



Johann Georg
Spies.

DANIELIS GEORGII MORHOFII ORATIONES ET PROGRAMMATA,

IN CELEBERRIMA HOLSATORUM ACADEMIA KILONIENSI

publicè proposita utraque:

Nunc Amicorum rogatu, & cura Filiorum, collecta, ac publicata cum

Indicibus necessariis.

HAMBURGI,
Sumtibus GOTOFREDI LIEBERNICKELS,
Rudolstadii, Typis HEINRICI URBANI,
Anno MDC XCIIX.



NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atque EXCELLENTISSIMO

VIRO,

THEODORO DASSOVIO,

Hebrææ ceterarumque Orientis Linguarum Profeſſori Witemberg. Celeberrimo,

Patrono Fautorique maximo.

COlenti jam mihi veſtratis Academiæ Muſas, VIR CELEBERRIME, quo eodem tempore haſce, quas vides, pagellas prelo ſubjiciebat Typogra-

graphus, è re noſtra videbatur fore, ſi illas Nomini Tuo præ ceteris ego fraterque nuncuparemus. Sunt quidem iſtæ ex ſchedis paternis depromptæ, ſparſimque olim, prout temporis ratio poſtulavit, conſcriptæ; nunc autem in juſti formam opuſculi redactæ, tituloque, ut arbitror, convenienti inſignitæ. Pleraque ſpectant hic ad Artem Oratoriam: cujus quanta ſit in perſuadendis hominum animis vis, tum clariſſimi viri olim probarunt, tum uſus & quotidiana certe experientia

entia etiamnum teſtatur. Omnino enim plus ineſt ponderis huic rei, quam vulgus hominum exiſtimat; quod non ſcholarum duntaxat umbraculis contineatur; verum ad Templa & pulpita ſacra quoq;, ad fora & curiam late pertingat, ubi egregia multa fieri quotidie videmus ab iis, qui ad interiores eloquentiæ receſſus penetrarunt. Eſt enim oratio ceterarum ſcientiarum quoddam veluti vehiculum, efficitque, ut in omni diſciplinarum genere præclare cogitata aptis

 con-

concinnisque verbis efferri queant. Hinc ea non immerito inter omnes prope ſcientias, quibus ſe humanum ingenium jactare poteſt, regium ſibi & nomen vendicat & locum. Neque exiguam ſane operam in hoc ſtudiorum genere quondam poſuerunt Græci pariter atque Romani; & majores noſtri, veterum ſapientiam imitati, nihil fere prius & antiquius crediderunt, quam ut ii juvenes, qui ad ſpem ſummæ cujusq; dignitatis alebantur, animos ad hoc ſtudiorum genus af-

ferrent instructos probe ac perpolitos. Cum igitur hoc volumen ejusmodi sit, ut aliqua saltem ex parte tanti cultorem boni juvare possit; utpote cujus orationes, quas continet, & programmata, non adeo infelici ingenio, (invidia tamen & jactantia absit) neque plane insuavi orationis genere, conscripta esse, docti judicarunt; edere illud, publiciq; juris facere ausi sumus.

Verum, cur potissimum ad Te contendat hic liber, tuumque illud nomen præferre publice gestiat, mira-

beris fortasse; nos tamen haud paucæ, tum privatæ, tum publicæ causæ, hoc ut propositum insisteremus, persuaserunt. Quis esset, cujus in fide tutelaque hic liber securius versaretur? qui profecto, quod glorietur, habet, cum Tuo quasi præsidio eruditorum sese judicio sistens plane causa cadere non possit: tum ipse Tu quoque nonsolum hoc studiorum genus magnifacias, sed etiam in aliis amplecti soleas, prolixissimeque fovere. Equidem probe

be memini, me aliquando ex Te de dictionis elegantia differente audivisse, Te imprimis his humanitatis studiis delectari; Cum non delecteris tantum, sed & optime iis ipse sis imbutus, qui per ipsos XII. annos Poëseos munus, communi quodam vinculo Professori Eloquentiæ conjunctum, summa cum laude in hac ipsa quondam Academia ornasti. Ad hæc accidit quoque peculiare quoddam in me, majorem natu, officium, qui me, in Academia vestrati viventem, summa

 be-

benignitate amplexus, innumerisque in me benevolentiæ documentis, Te mihi amicissimum esse, testatus es, ac subministrandis præsertim libris studia mea non parum adjuvisti. Quod idem felicitatis genus frater quoque meus, qui Deo volente huc aliquando profecturus est, sibi poterit polliceri. Qui quidem futuro studiorum suorum commodo tantum sibi Virum si devinciet, gaudebit; ego vero, me ingrati animi crimen melius effugere non posse, existimabo, quam si

pu-

publicum ejus rei ſignum à me exhibeatur.

Expoſitis quæ ad hujus inſtituti rationem pertinere viſa ſunt, ſupereſſet, ut more eorum, qui aliquid nuncupant, in laudes tuas digrederemur; ſed animus Tuus ita comparatus (id quod mihi ex eo tempore, quo Tuo convictu ſum uſus, innotuit) ut laude dignus eſſe malis, quam coram ac velut in os laudari: Neque enim tam, quod laudabile eſt, facis, ut videaris facere, quam ut aliter facere haud poſſis: multo minus

cum

cum iis facis, qui ex literarum humanissimarum studiis nil nisi fastum ambitionemque imbibere, & dictatorio quodam vultu, verbisque, laudem sibi & gloriam conciliare magno conatu consueverunt. Non meminerunt illi, pavonis instar Æsopii inflati homines, ea in re summam esse laudis positam, si nil gloriemur: neque hoc ii facere necesse habent, qui paulo majori cum solertia literas excoluerunt, quippe quos vel nolentes fama gloriaque sequatur. Cum itaque Tu, ERUDITISSIME VIR, longe aliter sentias, in modestiam Tuam nos peccare videremur, si meritis Teque dignis laudibus merita Tua efferre auderemus. Quare hunc in sermonem nolumus ingredi, in quo non paulo facilius sit initium quam exitum reperire; tacite potius Te Tuamque insignem

ſignem eruditionem veneraturi. Neque enim ejusmodi virtus Tua eſt, quæ pudore Tuo modeſtiaque celari poſſit; in lucem erumpit illa, Teque inſcio Tibi famam ac nomen dudum comparavit. Præcones teſteſque hujus rei non paucos habemus: Et, ne longe abeamus, teſtis eſt illa, in qua vivis, Academia, cujus ipſa quoque auditoria, pulpita, ſubſellia laudibus Tuis reſonare videntur: teſtium loco omni exceptione majorum ſcripta Tua ſunt, quibus nulla livoris, nulla calumniæ vis quid unquam nocere valebit. Pervaſit eorum fama per omnia tum gentis Tuæ, tum exterorum quoque ora, adeo quidem, ut omnes ore confiteantur uno, Te habere, quod aut doctiores admirentur, auditores exteri vero tanta laude celebrent, ut certare videantur. Quæ omnia cum adhunc ſe modum habeant

beant, eo facilius laudatione noſtra carere poteris, Tuæ certe virtuti non ſuffectura: nihilque adeo, quod addamus, ſupererit, niſi ut opuſculum beati Patris noſtri eo, quo ſoles, vultu, mente, manuque ſuſcipere, ac tueri velis, unaque benevolentiam illam, ſeu potius amorem, quo me majorem natu huc uſque proſequi dignatus es, in poſterum quoque ſartum tectum conſerves; certus interim, pro Tua Tuorumque ſalute ac flore, nunquam non apud Deum ambos ſupplicaturos eſſe

Celeberrimi Nominis Tui

obſervantiſſimos

Caſparum Danielem & Friedericum } Morhofios, Fratres germ.

ORATIONES.



In Inaugurat. Academ. Kilon. d. 6. Oct. 1665.

Reverendissimi & Serenissimi Principes ac Domini, Domini mei Clementissimi; Illustrissime Comes, Viri Munerum, Generis, Doctrinæ laude incluti, tuque nobilissima Juvenum Corona.

DUm publici omnium audiuntur plausus, dum undique tot lætantium vocibus, gratulantium votis, urbs ista, & hæc subsellia perstrepunt; dum in hoc novo Palladis delubro, in hoc Musarum Parnasso nihil non sonat literarium, dum doctissimis eruditissimorum virorum Orationibus aures vestræ detinentur, mea hîc facilè silere poterat infantia; nisi partes dicendi mihi imponeret, & muneris mei ratio & sacrosancta parendi necessitas. Erumpat ergo nunc vox ista, Serenissimi mei Principis munere mihi concessa, quam hæsitantem publici plausus provocant & evocant. Procedam nunc è mediis umbris in illustrem hunc lo-

locum, atque Serenissimæ huic luci imbecilles & ad Solis istius radios caligantes oculos exponam. Etenim, si, ut est in fabulis, Phœbi Parentis aspectum non tulit Phaethon, si Semele unius Jovis fulgorem non sustinuit, quidni hæc oculorum acies perstringatur ad ipsius nostri Phœbi intuitum, & ad tot nostros Joves Jovisque satellites? Quemadmodum vero Persæ solem orientem, ita & Te, Clementissime Domine, oculis quidem conniventibus, humillimis tamen votis veneror orientem Parnasso nostro Solem seu Apollinem. Tu enim & Cimbrici tui Orbis sol, & Parnassi nostri Apollo, ipso isto tuo ortu, atque adeo sub ipsam regiminis tui felicissimi Auroram, fidem fecisti veteri verbo, quo Musis amica dicitur Aurora. Senserunt, Serenissime Domine, senserunt Musæ nostræ Auroram tuam sibi amicam & majora sperant à meridie tua, quam perpetuam nobis servate ò superi, nec ullo unquam tempore ad occasum vergentem! Atque, ut apertius eloquar, Tu, Serenissime Domine, quod orbis miretur, quod postera secula loquantur! augustissima demum imples Divi Tui Parentis de erigendâ Academiâ desideria. Quanta hæc pietas! Tu quæ olim temporum difficultas exclusit, exequeris consilia, sub ipsis imperii tui auspiciis. Quanta felicitas! Tu populi tui & Rector & Doctor Sapientiæ sacrarium illi exstruis. Quanta munificentia! Tu denique de omnibus bene mereris. Quanta

gloria! Mihi ſanè fato ad hanc vernaculam tibi gloriam deſtinatus & quodammodo natus videris, quâ tu vivus vidensque ut beneficum aliquod numen ſalutaris, ipſamque ante mortem audis immortalis. Dum enim alibi Muſæ vel pelluntur, vel fame conficiuntur, vel pede profano conculcantur; Tu exules ſinu tuo recipis, tu liberalibus impenſis alis, tu quaſſatas erigis: Dum plurimi hodie tam averſo à literis animo ſunt, ut in ejus perniciem conjurationem Catilinariam juraſſe videantur, dum Cyclopes & Therſitæ, vel potius boves, niſi quod non mugiant, diviniſſima ſtudia pro futilibus & inutilibus raptant, eaſque funditus exſtirpatum eunt, Tu eas à contemptu vindicas, regioque habitu decoras ſiſtis. Dum alibi in hoc turbarum Oceano vel cum fluctibus luctantur, vel inter ſcopulos colliduntur, Tu naufragas tutiſſimo tuo Kilonienſi portu ſuſcipis. Tu Parnaſſos & Pindos erigis, quibus in Cœlum eatur, ſed ſine θεομαχία. Officinam Tu hic ſtatuariam erigis, in qua Cimbriæ tuæ novæ ſculpantur Virtutum imagines. Cumque Holſatia vernaculo ſuo nomine à lignis & lapidibus dicta credatur: erunt hic Phidiæ & Polycleti, qui è quovis ligno Mercurium Patriæ ſculpant, non ſtatuas tamen quaſcunque ſed Memnonias illas vocales, quæ ad Solis tui ortum animentur, ne, quod aliquando de Roma dicebatur: lapideum in eo fuiſſe populum, quia tot fermè ibi

ibi ſtatuæ, quot cives, nobis quoque objiciatur; erunt Deucaliones, qui omnem lapidem movebunt, ut lapidibus iſtis humanam formam inducant. Chemicam officinam aperis, in qua plumbea & ferrea juvenum ingenia ſublimiori quadam μεταμορφώσει mutentur in aurea, eaque non Vulcanio, ſed divino quodam igne cœlitus lapſo, Promethei cujusdam operâ ab omni fece humanâ excocta. Quod inſignis quondam Chemicus, ſe pharmacis ſuis hominem ab ipſis incunabulis arti ſuæ traditum immortalem effecturum jactavit, id verius nunc de Te dicetur; ut qui iſtis Sapientiæ pharmacis, quæ mentibus hominum propinas, id efficis, ut vitam vivant verè immortalem: Si enim, teſte Seneca, vita abſque literis mors, literati ſoli vivere, ſoli cenſendi ſunt immortales. Balnea hic parantur è fontibus Caſtaliis, quibus, ceu luſtrali quâdam aquâ ignorantiæ & vitiorum maculæ eluantur: Æthiopes verò non dealbantur. Hortos hic novos condis, & ſi fas ita vocare, Paradiſum quendam, è quo quatuor illi quatuor Collegiorum fontes perpetuâ ſcaturigine in terras tuas deriventur. Hic cavebimus, ne vel ſtillicidiis premantur, vel uredine infeſtentur arbores, ne in degeneres ramos abeant aut ſylveſcant; ne pugnaces fraxini, aut contumaces ilices inter Apollinares laurus & pacificas olivas reperiantur, ne, ut in fabulis legimus, è fungis iterum enaſcantur homines. Operam dabimus, ut *Sylvæ ſint*

Principe dignæ, ut potius Camœnarum locus, quam Martis, aut laſcivorum Faunorum hic adaptetur. Lucum Dodonæum adeo religiosè à gentilibus cultum tradit Diodorus Siculus, ut nefas fuerit ex eo exſcindi arborem, quæ in profanos uſus cederet, è quo non niſi res ſacræ, ut caduceus Mercurii, haſta vel clypeus Minervæ, Herculis clava, ſceptra Regum Spartanorum, Virgæ Areopagitarum formari debebant. Talis eſt ille Muſis noſtris ſacratus locus & lucus, à quo profanæ manus & bipennes arceantur, è quo exſcindantur divinæ Virgulæ, quæ myſteria tam divina, quam humana in lucem protrahant: è quò formetur caduceus Mercurii, qui animos hominum inflectat & demulceat: haſta & clypeus Minervæ, quibus Dea Muſis & Marti nata barbariem fuget literasque ab invidiæ telis defendat: Herculis clava, quæ vitiorum monſtra peſſundet, Cerberos, Dracones, Hydras literarias ejiciat & obtruncet: Sceptra, quæ populum in ordinem redigant: Virgæ & faſces quibus armetur Juſtitia, quos Judex in malignos expediat. Excreſcat hic Virtutis ille ramus aureus Poëtarum ſcriptis celebratus, qui nunquam è ſtirpe ſuâ ita recidi potuit, ut in locum prioris alius ei per omnia ſimilis non ſuccreverit. De Aſtyage Medorum Rege relatum legimus, viſam ſibi in ſomnis fuiſſe vitem, quæ è pectore ſuo excreſcens per ampliſſima regna palmites diffuderit multosque populos obumbrarit. Hæc

A-

Academia tua, Serenissime Domine, hoc Autumni tempore, ipso isto Octobri mense, quo

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis,

enata, Vitis illa frugifera est, in pectore, in sangvine tuo plantata, cujus rami non per tuas tantùm, sed & per alias terras & populos se diffundunt, sub cujus umbra hospitari gestient liberalia studia, eorumque cultores seduli, cujus liquore plusquam Castalio inebriari volent non Bacchi sed Musarum alumni. Poteram hic, forte non adeò ineptè usurpare illud Sacri Vatis Ezechielis dictum: *Mater* hæc nostra *quasi vitis in sangvine tuo plantata est, frondes ejus & fructus creverunt, & factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.* Formare enim hæc Mater nostra poterit, tam illos, qui sceptris præsunt, quam qui subsunt, tam qui parere possunt, quam qui imperare. Quod Augustæ Cæsarum familiæ omen fuit auspicatum, id sua quadam ratione nobis quoque esse potest. Quemadmodum enim Aquila in gremium Liviæ recens Augusto nuptæ lauri ramum demisit, qui plantatus ingens sensim lauretum dedit, è quâ sylva triumphaturi surculum decerpebant, qui sub finem triumphi iterum plantatus germinabat: quâ virente Sylva, floruit quoq; domus Augusta, quâ arescente, ipsa ejus gloria exaruit: Ita nunc sublimem istam Romano Germanicam è laureo suo serto decerptum hunc lauri ramum in gremium tuum, Serenissime Domine, demisisse dicam, quem

Tu nunc terræ tuæ infigis, qui felicibus auspiciis, tàm divinis, quàm tuis in ingentem excrescat sylvam, è qua Triumphatores nostri literarii frondes suas decerpant, quæ plantatæ alias iterum frondes infinitâ successione pariant, ut in omne usque ævum lauretum hoc nostrum vireat, & nunquam exarescat. Progerminet in isto luco Pygmalionis illa Oliva aurea numerosissimis è Smaragdo fructibus onusta. Olea hic fœcunditatis, truncus aureus eminentiæ erit symbolum, fructus è virente Smaragdo floridæ & vividæ virtutis simulachrum. Cœlum terris tuis imponis, Serenissime Domine, in quo Tu tanquam Sol istum ἐγκυκλοπαιδείας Orbem perpetuis imples radiis continuoque cursu absolvis: nec sine solis tui beneficio florere possumus cum Vere, messes dare cum æstate, fructus colligere cum Autumno, semina fovere cum hyeme. Hîc Tu à Te ipso, Astra à Te, Terræ tuæ à Te & Astris lucem capiunt. Procul autem esse jubes, quæ in ipso aspectu exstingvuntur Meteora, infaustos Cometas, ignes fatuos, capras saltantes, Dracones volantes, aliaque pulcherrimi istius Orbis tui decora. Quod Gallorum est de Scholâ Parisiensi elogium, primogenitam illam esse Regis filiam, id verè nunc de novâ nostrâ Academia dicimus. Filia hæc tua est, quia publicus omnium Pater es, & verè nunc Patriæ Pater dici potes: quod eam Cimbriæ tuæ genueris filiam, quæ in ipsis suis seris

ne-

nepotibus tot nobis gignere poteſt Patriæ Patres, qui te primum ſuum Parentem uno ore celebrabunt omnes, & auguſtum tuum nomen per omnium ſeculorum memoriam diffundent. Alius fortaſſis mallet Conjugem dicere, quæ ſe Tibi

Connubio junget ſtabili propriamque dicabit.

Properat ſcilicet in amplexus tuos divinæ pulchritudinis Virgo, SOPHIE, illuſtres tuos toros anticipatura. Qua in re admirabilem Te ſuſpicit orbis: Nam cum alii eô tempore vel thalami curas potiores habuiſſent, vel alias ſectati fuiſſent voluptates: Tu tamen, Sereniſſime Domine, prætuliſti æterna illa caducis, quia ipſe ad æternitatem factus, quia ipſe divinus, animusque tuus alia agere non poteſt, quam quæ divina ſpirant. O feliciſſimum SOPHIES & CHRISTIANI ALBERTI connubium! O fœcundiſſimum! Quanquam enim illa Virgo ſit, munificentiâ tamen tua gravida, Jovis inſtar, è cerebro, obſtetricante toto Muſarum choro tibi edet charisſima illa pignora, proque liberis libros Orbi & luci oſtendet. Atque hujus tam illuſtris negotii gloria tanta eſt, ut Orbis eam vix capiat, longè quidem major, quam ſi Oceanum jungeres pontibus, aut Pyramidibus & colosſis erectis metireris famæ tuæ magnitudinem: Omnes enim apices, titulos, prætextas & trabeas tranſcendit. Fruſtra veſtes palmatæ, triumphales currus, fruſtra inſanæ ſaxorum ſubſtructio-

nes in comparationem adducentur. Quod si Lysimachus olim occupatâ Thraciâ cœlum se hastæ cuspide contingere gloriabatur: Tu nunc non hastæ cuspide, non vertice cœlum, ferire, sed pedibus mihi calcare videris. Glorietur Cæsar, quod tot hominum millia ferro flammaque exstinxerit; Pompejus M. captis oppidis castellisque mille quingentis se efferat: Tu non cruentam istam gloriam sectaris, non homines exstinguis; sed regis, imo novos quodammodo gignis formasque literarum & sapientiæ studiis. Non tu Urbes exscindis, castella diruis, sed Helicona novum exstruis; unde non aliquot seculorum fama ipsa Tibi nascitur ÆTERNITAS. Pro parte hæreditarius est Tibi studiorum amor. Quem enim latet quanto favore Domus Cimbrica Musas semper amplexa fuerit? quis ignorat, quantos Divus tuus Parens in eas sumptus fecerit? quod splendidissima illa Bibliotheca, lauta illa stipendia, admirandæ istæ Sphæræ testari possunt, quibus similes major ille orbis non vidit, & quibus ego fati aliquid semper subesse credidi. Cum enim alii Principes & gentes pignora sua habeant, quæ ostentare soleant: Cum Romani ancilla cœlo lapsa; Scythæ securim, Phialam & Sagittam; Galli lilia & ampullas jactent: Cimbri Principes Orbem totum possident soli, qui ad eorum quasi nutum volvitur & revolvitur. Verum enim verò, quanta etiam fuerint Divi tui Parentis in literatos beneficia, voto tamen

A-

Academiæ erigendæ excidit ipſe, & nunc à Filio iſtud impleri lætantur ſanctisſimi ejus Manes. Cui Tu gloriæ nunc ſolus ſervaris, qui ita Muſas tractas ita foves, ac ſi unicus & ſummus eſſes ſeculi Muſagetes, ut nunc in Te uno Majores omnes vivere, quæque in alios diviſo alveo derivata bona, in Te uno meatu collecta fluxiſſe videantur. Solent morum Magiſtri ideas fictorum quorundam Heroum, aut Hercules aliquos proponere, ad cujus typi intuitum generoſa Mens parturiat. Sed ea quidem in Te cura erat ſupervacua: Si enim vel omnes Majorum ideas tolleres, animus tuus ſe ipſum ſibi ſiſteret pro imagine. Fecit enim Teipſa Natura Principem, neque Diadumenis illis coronam capiti ex utero connatam jactantibus ſimilis cenſeri debes, vel, iis qui à ſangvine mutuantur purpuram, quæ ipſa ſæpe magno ſangvinis pretio conſtat, qui exprimitur de venis populorum. Excuſſiſti tu ſponte tuâ Majorum cineres, ſi quas forte ibi reperires ſcintillas, quibus præferendas populo tuo faces poſſes accendere. Sed majores in Te ipſo alebas flammas, quæ nullâ ambitionis aurâ ventilatæ ſponte ſe exerebant, omnemque Virtutis materiem conſumebant. In ipſa illâ primâ tuâ pueritiâ ductæ jam erant lineæ, quibus Virtutum tam paternarum quam inſitarum effigies poterant includi. Vulgaris & plebejarum mentium ſors eſt ſurgendo creſcere: At tu qui jam in cunis eras

ma-

magnus, noluisti, nec potuisti major fieri, nisi Te demittendo. Quâ quidem Virtute, ut præcipuâ in Principe, & primâ, ceu quodam vinculo cæteras omnes adeo Tibi obligasti, ut nodo quodam Gordio tecum connexæ, nunquam possint à Te vel Alexandri cujusdam, vel ipsius Martis gladio dissolvi & divelli. Quemadmodum enim Orbis Universus in chartam angustam compingitur, ut in oculos distinctius possit incurrere: ita tu quoque à teneris didicisti minor fieri, nullo majestatis dispendio: ut te capere potuerint oculi imbecilles. Quæ humanitas tua tantum genuit in Civium animis erga Te amorem, ut jam non certius aliquod ab armis præsidium, quam ab illorum animis debeas exspectare, nec aliud munimentum, nisi quo intra pectora illorum tua mens, quæ in illis vivit, circumscribitur. Quis vero divinum illum animum Tuum nobis depinget? Ut enim cœlum indefessâ rotatur vertigine; ut maria perpetuis æstibus sunt inquieta; ut Sol orbem semper obit: ita animus tuus nunquam cessat, nunquam feriatur, sed semper in Heroicas illas & regias Virtutes agitatur. Cum enim multis pœnitendorum successuum mater temeritas assideat gubernaculis; tibi adsistit optimarum actionum præceptrix Pietas & Prudentia. Quæ muta est in terris Themis, tuo ore loquitur: Quæ cæca est, tuis oculis videt. Amas autem illos, qui è terris profugam de cœlo deducunt,

gra-

graviſſimos ſcilicet Conſiliarios, quibus aures non tantum das, ſed & lingvam, animos & manus. Hæc cum accuratius perpendo, Pyrrhus aliquis mihi videris, qui Diis gratias egit, quod primò Regem ſe fecerint, inde, quod animum Regium dederint, quod denique Cyneam, Virum acrem conſilio, & potentem eloquio conceſſerint. Singula illa Tibi non vota ſed fata ſunt: Principem enim Te Deus fecit, dedit animum Regium, dedit denique Cyneam, perilluſtrem tuum KIELMANNUM, cujus incomparabili prudentiâ, cujus ſvada, ceu Herculis Ogmii catenâ animos tuorum, & dirigis, & devincis: cujus conſiliis Tu, Sereniſſime Domine, primum inductus, immortalem ſtruis nomini tuo gloriam, dum Muſis novum Helicona exſtruis. Proſcribitur â plerisque aulis Veritas; vel ſi adeſt, ſilentium fovet plusquam Pythagoricum, nec vel in loquaciſſima cauſidicorum turba Patronos invenit; Adeo omnes ſunt ranæ Seriphiæ: Verum apud Te illa non ſilet, Te Judice loqui, audet, etiam ſine Patrono. Raræ ſunt iſtæ aquilæ vel lynces, qui radios ejus rectos capiunt; plurimi malunt reflexos; multi cœcutire amant in crepuſculo; multi mendaciorum nebulis ſe involvant nebulones. Tu vero illam in lucem portrahis, & quia Sereniſſimus es, ſerenam amas: odiſti noctuas illas, quæ illam oderunt, veſpertiliones qui illam fugiunt. Tu nudam illam Virginem ſtatuis, quam alii è conſpectu

ſuo

ſuo removent; turpiter verecundi, quam veſtibus tegunt, cujus os perſona obducunt, ne vel vultus illi apertus videatur. Non admittit græculas adulationes gloria tua, quæ ſolida eſt; non alis in ſinu tuo Sinones iſtos & Vertumnos, qui ut veſtitum; ita & ſententiam habent, aliam domeſticam, aliam forenſem, & qui quaſi rotæ figulorum in omnes partes convertuntur. Omnes intra ordinis gyros tenet ſumma Virtus Juſtitia, quæ adeo tua eſt, ut in Te habitare, velut in cœlo ſuo videatur. Bonos tibi cives formas, te ipſo, tuosque mores certiſſimam illorum facis diſciplinam: Tam enim abſurdum Tibi eſt Principem eſſe ſolutum legibus, quam in dirigendo navis curſu gubernatorem non hærere gubernaculo. Imò quia Princeps es, vivis ſecundum leges, nec aliter te Principem eſſe poſſe, credis: quem & Legis exemplum & ideam, vis haberi. Quanta verò eſt iſta liberalitas tua, quâ erga ſapientiæ cultores & Doctores uteris, quæ tibi cum ipſis Academiæ annis creſcet, vicetque poſterior ſemper priorem. Id enim cum ipſo ſummo Numine habes commune, ut dum tu beneficia largiris, munificentia tua inveniat, quæ largiatur. Detrahis ſplendori & pompæ, ut ſplendidiores ſint Muſæ, nec in Martis alumnos erogabis, quod debetur Muſarum cultoribus. Leonis Imperatoris vox tua erit, qui ſvadentibus, ut Eulogio Philoſopho deſtinatum ſtipendium in mili-

li-

litem ſolveret, reſpondit: *Utinam liceret meo tempore, quæ militibus dantur, in Profeſſores Artium erogare!* Nec pœnitere Te iſtarum impenſarum poterit, quæ infinitâ erga ſingulos utilitate rependuntur. Ut enim Soli non decedit, quod diſpenſat in ſidera; nec Arbori, quod in ramos; nec capiti, quod in membra; nec cordi, quod in venas: ita Ærario tuo nil perit, dum artes illas alis, quæ Viros tibi prudentes forment, quibus ſi impletur Reſpublica, lucrari etiam ex illis poterit. Solius enim prudentiæ opus eſt, cumulare Pelopis talenta, Craſſi pecunias, Crœſi theſauros: Et ſolus, me quidem judice, hanc diteſcendi artem docere vel poterat vel debebat Philoſophus; ſapientiſſimus autem Thales ipſo exemplo docuit. Verum ea omnia tanta ſunt, ut leviter tangere nefas ſit; omnia dicere velle temerarium: inprimis homini ad eam rem non inſtructo, & cujus umbra non capit tantam lucem. Satis nunc ſit, ſi dixero, in Te, Domine, complexum eſſe omnium virtutum, quas ſi ordine panderem, citius me dies hæc, cujus jam bona pars abiit, deficeret, quam illuſtria rerum argumenta. De Parrhaſio fertur; illum Athenienſium peſſimum Zeum ita delineare potuiſſe, ut invidum, avarum, ferocem, injuſtum, amentem ipſa pictura expreſſerit. Sed redivivus ille vix umbram tuarum virtutum penicillo aſſequeretur, quam calamus nullus exprimit, nedum meus. Alias ea res linguas, alios Orato-

tores postulat, quam me, qui Cicadæ isti similis sum, quæ in Eunomii insignis Cytharœdi lyrâ considens svavissimos fidium concentus strepera voce malè imitabatur. Illa potius optimorum Oratorum ingeniis & seculorum linguis reservanda, nec intra unius ingenii terminum finienda. Quin, si nihil aliud de Te memorari possit, quam ista Academiæ institutæ gloria, sufficeret pro æternitate occupandâ, &, dum ea diceretur, omnia, nisi fallor, simul dicerentur. Non enim potes non amare sapientiam, cujus Sacrarium exstruis. Ea autem est, quæ omnem Virtutum chorum, divina omnia & humana, cœlum & terras complectitur. O diem lætum omni annorum memoriâ celebrandum, quo tanta Musis fecisti otia; imò quo totum orbem tibi devinxisti beneficiis tuis! Demarathus Corinthius cum Alexandrum, profligato Dario & devicto Oriente, in solio Darii sedentem videret, lacrymans præ gaudio exclamavit: O infelices Patres nostros, quibus tale spectaculum videre non licuit! Ego vero felicissimum tuum Parentem infelicem non dicam, magna tamen eum puto caruisse lætitiâ, cui optabilius fuisset spectare hæc præsentia, quam exspectare futura. Vides, Domine, quam trahat splendor ille tuus illustrium Virorum oculos, quantum hæc festivitas collegerit confluxum tam spectatorum, quam studiosorum, ad hanc Panegyrin, tanquam ad Olympicam aliquam celebritatem concursantium,

qui

qui eo facto non tuæ tantum Cimbriæ, ſed omnium populorum negotium geri oſtendunt, quorum omnium pectus, haud ſecus ac ſcenam & theatrum tuis impleviſti laudibus. Circumſpice affuſa lateribus tuis gratulantium agmina: vide collectam hinc inde turbam, jam præcedentem vias, jam gratâ & blandâ quadam vi illas obſtruentem: perſpice vultus, qui mera gaudia loqvuntur: vide, quas flammas pectora à ſole tuo incenſa alant, quam fauſtis ominibus univerſi Cives tui adventantes Muſas excipiant & amplexentur. Vide, quam aures arrigantur omnium ad iſtos tympanorum ſtrepitus, ad iſtum tubarum clangorem, qui jam non Marti, cujus ante aliquot annos funeſtiſſima imago & rura obambulabat & oppida, ſed Muſis gratiſſimam indicunt feſtivitatem. Omnes nunc tantæ rei dignitatem ſubroſtranos & ſubbaſilicanos, juvenes & ſenes, in circulis & ſemicirculis paſſim prædicantes audias. Admirantur omnes magnificum illum apparatum, auguſtam illam & planè regiam pompam, venerantur ſceptra illa, quæ Muſis noſtris, auguſtiore, ni fallor, ritu, quam quo Conſulibus olim Romanis faſces & ſecures, præferuntur. Omnes Magnæ illius Matris noſtræ Academiæ Megaleſia mihi celebrare videntur. Nam potiori jure Magnam illam Matrem, Animorum obſtetricem, dicam, quam Romani ſuam illam Matrem Terram, corporum nutricem, quam è Phrygiâ advectam magnio apparatu in Urbem

recipiebant. Quemadmodum vero illam omni effusâ civitate Scipio Nasica, raræ virtutis juvenis optimusque, (talem enim Oraculum poposcerat) in ædem Victoriæ maximo omnium plausu pertulit: Ita nunc Te, Serenissime Domine, Optimum nostrum, addo & Maximum, Senatu tuo universo magnoque procerum numero stipatum hanc Deã hanc, Matrem nostrã ecipixentẽ, inque hanc ædẽ augustam cultui ejus solenni sacratam deferentem vidimus; quam & nos Victoriæ Ædem appellare possumus, in quâ tot contra barbariem & ignorantiam obtinebuntur Victoriæ, tot celebrabuntur triumphi, tot victores publicis decorabuntur laureis. Imò Capitolium aliquod mihi fingo, in quod olim quoque Triumphatores deducebantur; quod licet Jovi sacrum, habebant tamen & alia numina sibi exstructa delubra, Menti quoque fanum dicatum fuit: Ita & in nostro illo Capitolio vario numina variarum scientiarum nomina sunt, ad quas non nisi per Bonæ Mentis fanum pergimus. Ingredere, Domine istud Capitolium non elephantis cum Pompejo, non cervis cum Aurelio, aut Leonibus cum Antonio vectus. Non Te humeris inferemus, uti Tullium quondam ejus populares, non manibus, ut Romani Severum Imperatorem: verum animis & oculis (modestiore utique & gratiore pompâ) te gestatum in hunc locum deducemus. Ingredere: sed parietes illi, quos lustras & illustras, vix tantam

lu-

lucem capiunt: Pavimentum hoc ſervabit ſibi impreſſa illa benevolæ humanitatis tuæ veſtigia: creſcet cum tempore loci religio, creſcet cum affectu cultus, atque ad poſteros tranſibit. Magna profecto noſtra nunc eſt felicitas, cum â Te non ſolum poſſideamur: ſed ipſi nunc Te præſentem poſſideamus. Nobis Te dediſti, dum omnium imples oculos, omnium animos tuo deſiderio occupas: ita, ut noſtra apud Te poſſeſſio plena ſit obſequii; tua apud nos plena reverentiæ, quam Tibi præſenti exhibemus, quam abſenti integram ſervamus. Sed erramus, ſi abſentem dicamus, cujus præſentiſſima benignitas ſemper nobis adſiſtit, cujus manus nos defendunt, cujus oculi nobis proſpiciunt, & aliorum invidiam & faſcinantes oculos amoliuntur, cujus animus ſemper in civium animis erit,& in cujus animis deò nos omnes ſumus, ut à Te, quaſi à Mente quadam, quam totam in toto corpore, & totam in quâlibet ejus parte hoſpitari ſapientes ajunt, inſpiremur, moveamur & agamur. Solem illum communem ſiderum & terræ Principem aliquando nox nobis aufert, ſæpe nubes in volvunt, ſæpe Luna illi oppoſita nobis invidet; ſemper tamen ejus vires ſentimus in mundi inferiora propagatas, vel tùm, cum ille maximè abeſſe creditur, qui ſi aliquando ſerenus prodierit, lætior apparet, minus gratus futurus, ſi ſemper fulgeat. Ita & Tu, Domine,poſtquam vires tuas ſemper ſenſimus,nunc

vultus tui lucem objicis, quæ animos magna quidem voluptate perfundit, id tamen cum ſole commune habet, quod temere intuentium oculos occœcet. Poteras tu quidem, è longinquo res noſtras moderari: ſed maluiſti Te nunc nobis oſtendere, ut quanti Tu Muſas noſtras facias, videamus; Tu quanti nos te faciamus, videas. Tu umbratica noſtra ſtudia in tuam lucem producis, quæ non aliunde quam à Te lucem poſſunt capere. Tu eximio tuo ſplendore vigilatas noctes noſtras illuſtras, ut jam non ſolum Ἔργα καὶ ἡμέρας, ſed & noctes Atticas polliceri poſſimus. Quæ latuerunt hactenus pulvere Palladio ingenia, tuâ liberalitate ex arenâ literariâ in aream gloriæ evocabuntur, ſpes eorum non florebunt, verum in præſentia tuâ, velut ad faciem Solis conſtitutæ excoquentur, & ad maturitatem pervenient. Tu novam aliquam Urbem, novum aliquod aſylum, non ut Romulus infamibus quibusvis & depoſitæ ſpei mancipiis, ſed meliori juventutis flori, ſed ingeniis in ſpem publicam natis aperis, nec tuis ſolum civibus ſed & peregrinis. Et Cives quidem tui in magnâ lucri parte deputabunt, quod nunc poſſint habere Præſentes ſuas Deas, Muſas, quas non inde ab Athenis Atticis, aut è longinquo, inter ſollicita & anxia Parentum vota, & rei familiaris diſpendia, domumducere debeant, ſed jam domi ſuæ natas, vernaculas, hoſpitasque inveniant, novam erigentes in Kilonio Coloniam. Nec enim

nim adeunda illis tot pericula, quot Ulysses quondam subiit, ut diversa hominum noscant ingenia: hîc securi discent honesta sectari, fugere turpia, & populorum mores Historia illis vivis coloribus quasi in tabulâ quâdam depictos exhibebit. Peregrinos autem alliciet jam per tot secula cognita, & nuper ad Moscovitas, Persas & ipsos Indos delata Cimbriæ fama, tum & ipse loci genius, cui nihil eorum, quod trahere hospites possit, deest. Habet Cimbria vetustas & ab omni ævo celebratas familias, habet tot lato clavo insignes optimates, generosissima pectora, Viros Marte & Arte incomparabiles, qui excelso animo & magnificentiâ omnia summa, humanitate summâ omnia etiam infima complectuntur, quorum vel sola conversatio & exempla erudire poterunt. Habet Cives denique omnes ad hospitalitatem & civilitatem quodammodo natos. Habet præterea pulcherrima ista Urbs, Holsatiæ ocellus, commune totius Cimbriæ, nunc Musarum quoque forum & emporium gratissimos secessus, rura cultissima, nemora suburbana, quæ Tempe quædam dixeris, ut nulla deesse possit occasio, quæ severiorum studiorum intervalla honesto dispungat otio. Adduntur istis sylvis gratissima maris littora, ubi cum Lælio & Scipione post graviores curas conchas legas & umbilicos. Nihil deest eorum, vel toti Regioni, vel huic urbi, quæ Natura, vel ad necessitatem, vel ad svavem vitam homini largiri

poteſt, ut quæ aliis terris diviſa dedit bona, in hanc cumulaſſe omnia videatur. Quæ cum omnium oculis ſint expoſita, non opus eſt meâ commendatione hîc demonſtrari. Hæc omnia peregrinos ab omni parte huc vocabunt, ut omnes nova iſta civitate donari, & novæ hujus tuæ Urbis dici Quirites velint. Imò Circes quandam fabulam agit noſtra hæc Cimbria contrariis virtutibus: Humaniate enim, ſua optimisque moribus (quod aliàs ſæpe factum) hoc ab exteris impetrabit, ut cum hîc vivere cœperint, aliâ in patria ſe natos eſſe, obliviſcantur. Atque his omnibus id obtines, Sereniſſime Domine, ut æterna illa fama, quæ Divo Parenti tuo apud exteros crevit, tibi apud exteros altius latiusque excreſcat, dum domi naſcitur; vix intra Orbis fines terminetur, quæ intra Cimbriæ tuæ limites ſurgit. Naſcitur ſub Septentrione noſtro Muſarum mons, novus Parnaſſus, quem Magneticum appelles licet, (quales ſub ſeptentrione montes reperiri tradunt Rerum Septentrionalium Scriptores) ad quem occulto quodam inſtinctu rapiantur, ingenia literas amantia. Et ſanè magnum aliquod de Septentrione noſtro augurari ſoleo, quod mirâ divinæ providentiæ lege ſemper eò ſe converterint imperia, cumque Imperiis literæ, quarum connexa fata videntur. Fervebunt nunc omnium ſtudia ſub rigidio iſto Septentrione, etiam eâ tempeſtate, quâ frigere ſolent omnia: nam calent omnium affectus

ſo-

ſolis tui radiis inflammati. Stat ſupplex ſtudioſa Juventus ſeminarii hujus futura ſeges, Tibique ac Patriæ conſecrat ſtudiorum fructus. Illa nunc tota in flammas honeſtæ æmulationis & eruditionis abibit: nec ullus illorum eſt, qui non optimè hîc uſurpet, quod Dido peſſimè: *Sic ſic juvat ire ſub umbras*, & per iſtas Muſarum umbras ad æternam Famæ lucem. Nemo illorum tuâ face prælucente, nobis manuducentibus longum hoc literarum iter ingredi refugiet: Et quamvis multi viæ pertæſi, ſtatim in ipſa portâ deficiant, ut Galbæ cantherius: tuis tamen auſpiciis & noſtro ductu lubentiſſimè abſolvent. Quamvis multi ingentem illum Oceanum, tot ſyrtibus ſcopulisque, tot ingeniorum naufragiis fatale horreant, & in ipſo littore moras nectant: multi etiam adeò languido ſint ſtomacho & animo, ut, poſtquam navem conſcenderint, & paululum provecti ſint, toti ſtatim nauſeent requirantque continentem; tuo tamen ſidere afflati, tui Favoris favoniis ſubnixi, feliciſſimum demum literarum portum, in hoc Cimbriæ tuæ portu ſe ſperant conſecuturos. Et videor mihi videre ex hoc ſacrario, tanquam ex Equo Trojano prodeuntes tot Proceres, qui terrarum orbem imperio premant, tot generosâ nobilitate illuſtres, literarum ornamento jam illuſtriores, tot Papinianos, tot Galenos, tot in erudito pulvere Archimedes,

Qui totum radio deſcribant gentibus orbem.

Hinc præfectos suos capient Respublicæ, Magistratus Civitates, Judices tribunalia, Cyneas & Nestores Aulæ, Oratores Cathedræ: Absque verò literarum beneficio tot bardos & fungos videas in Republicâ, Strumas in Curiâ, tot Damas & Vappas in Civitate. Nec docta hic solum, sed & armata Pallas erit, poteritque inter ipsas literas succrescere bellator juvenis: quem Philosophus docebit mortem contemnere, quod præcipuum est in Milite, armorū autem usum peritissimi artifices. Novam intra hæc urbis pomæria Romam, novas Athenas reductas videas, cumque iis tot magna veterum nomina. Hic tanquam in speculâ collocati omnia perlustramus secula, per quæ vitam ducimus, non nostris sed mundi annis. Hic quasi in ipso æternitatis gremio, in ipsâ sapientiæ arce sedem nobis sumimus, eo vallo muniti, quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit. Hîc de imperio orbis terrarum sedemus judices, & publicorum Consiliorum arbitri. Hic in ipsos Judices merum illud & magnificum exercemus imperium, leges præscribimus ipsis Legibus, Censores ipsos sub censuram vocamus, & vel sine populi suffragio. Hic utrumque Fortunæ vultum securo spectabimus animo, extra inferioris mundi contactum positi: hic nos ipsos extra nubem contemplabimur, animosque nostros divinarum & humanarum rerum pascemus cognitione; quæ omnia nostris objicientur oculis, nostris claudentur parie-

rietibus, nostris occupabuntur calamis. Hic est ille non Martius, sed Musarum campus, in quo acies nostræ contra barbariem & ignorantiam disponentur, in quo, Apollinis nostri præsidio freti, victoriam reportabimus. Et nescio sanè, an non hic agmen ducere debeat Philosophia, cujus auspiciis validissimi in aciem producentur Exercitus. Qui in Errorum caligine versantur, ab illâ lucem accipiunt: illa illustres facit, ejus radiis perfusa mens se ipsam perspicit, ejus ardore incensa pellit ignorantiam, & quæ per cuniculos irrepsere vitia. Quod sine sole dies est, id sine Philosophia & artibus liberalibus vita: Tolle illum ex orbe; & induces perpetuam noctem, omniaque in chaos suum relabentur; tolle has ex animis, & spissam induces ignorantiæ nubem. Humana meritò vocantur nostra illa studia, quia mores ferinos ejiciunt, nec sinunt esse feros: Divina vocentur, quia homines faciunt, quæ qui spernit, nec humanus amplius est, nec homo. Quot enim in nobis affectus habemus, tot alimus feras, quibus nisi frena imponat Sapientia, in earum formas & mores abimus μεταμορφώσει plus quam Ovidianâ. Liberæ sunt & liberales illæ artes, quæ nec Tyrannos metuunt, nec faciunt; nec servitutem imponunt, nec subeunt: Ab iis enim libertas est, per eas dominamur; & nobis ipsis: quia Artibus Liberalibus servimus liberè; & aliis: quia liberi per Liberales Artes esse nondum didicerunt;

magni tam ſervitio, quam imperio Reges. Absque iis verò togata, tunicata & palliata ſumus mancipia, & miſerrimam ſervimus ſervitutem, quodque de Claudio Cæſare fertur, in magnâ vernarum familiâ omnium vernæ ſumus. Ne Vitiorum barbaries & Solœciſmi nos abripiant, cavebit Grammatica. Illa manuductrice operam dabimus, ne præſentis temporis faſtu turgidi, præteriti obliviſcamur, de futuro ſecuri. Illa eum, qui ſe plus quam perfectum ſomniat, ad imperfecti gradum dejiciet, & contrà ex eo omnibus numeris perfectum faciet. Adverſus Sophiſmata & Strophas muniet Dialectica, & ut rationem vitæ ſubductam habeamus, docebit: ut ſi cui præmiſſas formaverit prudentia, concluſionem non extorqueat fortuna. Si exultantes affectus noſtros æqualitate aliquâ temperabimus, Muſica exemplo ſuo docebit: quæ ſonos elatos tono humiliore coercet, dura mollibus miſcet, mollia duris. Si curvi aliquid in nobis eſt, corriget Geometria, quæ teretes atque rotundos, id eſt: Viros Bonos efficiet, quorum animus velut orbis quidam eſt, qui nec ſinu imprimitur, nec angulo excedit. Aſtronomia animum noſtrum quaſi Sphæram quandam agitabit, quæ Divinam Mentem pro Sole, Virtutum omnium complexum pro Stellis habebit. Si ad Virtutis lumen nondum confirmavimus oculorum aciem, Optica hæc Solem illum videndum ſiſtit, ad cujus radios cœcutiunt noctuæ,

nec

nec vitii umbram patietur irrepere. Præclara ista omnia ſunt & magnifica, quæ non prædico, ſed ferè polliceor, velut μάρτυρ ἐκ Διὸς δέλτων,& certiora mihi iſta ſunt auſpicia,quam quæ ex alitis volatu ; ſiniſtro oſcinis cantu,aut extis & fibris pecudum petebantur. Funeſtas verò illas, arculas & inebras aves, quæ fruſtra noſtra turbare conantur auſpicia & malè ominari non deſinunt, parum moramur. Quicquid enim obſtrepant iſtæ parræ; quicquid latrent Hircaniæ canes; quicquid rudant Arcadiæ greges, quicquid ululent Lycaoniæ lupi, quicquid grunniant Ætoliæ porci, noſtræ tamen Academiæ ſua conſtabunt fata, omni ſeculo perennatura. Hæc omnia Te diſpenſatore, DOMINE, nobis obveniunt bona: Prolixius ille beneficiorum tuorum ordo è munificentiſſimâ dextrâ tuâ promanat, ut mortalium omnium vivat ingratiſſimus, qui non gratam ſaltem vocem in obſervantiæ pignus afferat. Ruunt ergo in amplexus tuos Muſæ, quarum gaudia, quæ concepere, intra pectoris ripas ſe non continent, ſed in meros triumphos exundant: Et quis ſiſtat tantum votorum torrentem? Omnes ad Serenitatis tuæ genua provolvimur, & ſubmiſſas agimus gratias, cui hunc ſpiritum, hanc vitam, hanc vocem debemus. Omnes Tibi, vitam precamur, & de noſtris annis tuis ſinguli addimus,quanquam immortalem te potius optemus, ita ut nunquam ſubtraharis mortalibus. Omnes non aliter ſe ſu-

os-

osque ſalvos optant, quam ut te ſalvum videant, cujus ſalute ſe vivere credunt, qui Te magis quam aerem ſpirant, idque ſolum vivunt, quod tecum ſint, vel coram, vel abſentes per animi ſimulacrum. Devovet ſe Tibi totam Academia, quæ ſe dignam tanto Parente ſobolem oſtendet, cujus licet adhuc meſſis in herba ſit, poterit vel hâc hyeme lacteſcere, brevi in culmum ſurrectura. Omnes Deum Ter Optimum Maximum veneramur, ut hæc nobis gaudia velit eſſe propria, ut in Patriæ immenſam utilitatem, ut in perennem ſui gloriam cedant, ut Sereniſſimam Cimbricam domum in perpetua ſurgere ſinat incrementa, non niſi cum Orbe iſto finienda. Faxit is, ne Otia noſtra literaria, vel temporum injuriis, vel Marte turbentur. Malè enim convenit togæ cum ſago, & quantum illa diffundit; tantum hoc reſcindit laciniæ. Faxit, ut ſecuri tuo vivere poſſimus præſidio, Domine, qui auream amas libertatem, ſed ſine Marte ferreo, & velut è portu quieti ſpectemus alias in ſangvinis diluvio eheu! naufragas gentes. Ego vero, qui totus tuus ſum, me totum Tibi commendo: Neque enim hic exprimere poſſum, quantum Tibi debeam: quod dum tento, ſtupet calamus, hæret lingva, & magnitudine beneficiorum attonita, Te ſacro tantum veneratur ſilentio; aut, ſi quas ea voces proferre poſſet, leves tantùm, quà data porta, protrudit gratias. Interim, quamdiu inter homines ero, & hâc au-

aurâ, non meâ, ſed tuâ veſcor, tuis audebo rebus, imparem licet, occupare calamum. Æqvum enim eſt, ut quemadmodum me non ſinit Serenitas tua obſcurum, ſinat & pium eſſe, ut reflectam ignem, quem perſtrictus hauſi. Accipies autem non invitus & ſerena fronte, memoriæ perennis conditores calamos, & geſtarum rerum ſervatores cuſtodesque chartas, unicos theſauros noſtros, quos Tibi, ut Domino offero ſervus. Cum enim omnia debeantur, furtum me facere putarem, ſi quicquam meum ad te non deſtinarem.

Prodeat nunc ultimò in conſpectum tuum Muſa mea; quæ, quia beneficiorum tuorum compedibus ſe devinctam agnoſcit: noluit libero ſermonis ſchemate, ſed vinculis metricis ligata coram auguſta tua facie comparere. Verùm dum ea & pedibus & compedibus ſuis in tuam tentat ire gloriam, in ipſo ſtatim laudum tuarum limine tot invenit, quæ illam morentur elogia, ut ſi jam in ipſa ſe conferret penetralia, ceu Labyrinthi cujusdam ambagibus implicita exitum vix inveniret. Videbatur ſibi in quodam ÆTERNITATIS delubro verſari: cujus valvis hæc auro inſcripta verba:

CHRI-

CHRISTIANUS ALBERTUS DUX HOLSATIÆ CLEMENTISSIMUS.

Quæ dum accuratius intuetur, Phœbeo quodam & fatidico correpta furore, quot literas, tot fere ſub iis latitare videt oracula, quæ disjectis hinc inde elementis inque alia verba diſpoſitis, quaſi numine quodam digitum intendente ſtatim patuere, erantque iſta.

LEX, HELICONA STRUIS, MUSIS DANS SECLA, TIBI THESAURUM.

Mirata illa ipſis etiam literis quædam ineſſe fata vel omine longè quidem certiora, quam quæ vel ſiniſtræ Jovis manubiæ, vel tripudium ſoliſtimum, aut pecudum exta rata faciunt: hoc ſeu Poeticum ſeu Grammaticum ſortilegium ſacro quodam ſilentio ſummâque cœpit pietate venerari. Nec dubitabat jam amplius, quod priſci Sapientiæ Magiſtri docuerant, ipſa nomina ſigna eſſe rerum, cumque iis occulta quadam ratione connecti: Id autem jam pro certo habebat: uti in Principe omnia, ita & nomen illi ſacrum eſſe, è quo jam plura didicerat, quam ſi Jovis inſpexiſſet diphtheram. Dum vero ulterius illi immorat, ut hæc de ſingulis

Iis Anagrammatis membris illi carmina ſponte quaſi ſua properabant ad numeros, quæ explicarent latentia in illis myſteria:

LEX,

TE LEGEM, DUX MAGNE, *voco.* LEX *viva tuorum es,*
Et PRINCEPS *iſto nomine* SUMMUS *eris.*
Quod corpus ſine mente, quod eſt ſine lumine mundus:
Id populus foret, id Rex ſine Lege foret.
Quem Regem vocitas, hac Regem Lege vocabis.
Lex regat ut Regem, Rex regat inde gregem,
Et Rex ſit Legi, Regi Lex conſona: mutus
Rex ſine Lege foret, Lex ſine Rege foret.
Majeſtas in Lege ſedet: ſi dempſeris illam,
Lex ſine Lege foret, Rex ſine Rege foret.
Te LEX: *Tu* LEGEM *formas, dicique mereris*
LEX, LUX, DUX, *Populi* MENSQUE SALUSQUE *tui.*

HELICONA STRUIS.

Quis tibi Parnaſſus, quis ſurgit ad æthera Pindus?
Optime, quem PRINCEPS *nunc* HELICONA *ſtruis?*
Stat Mons iſte Tibi, quo cœlum ſcandere mentes
Æthereæ poſſint, ſideraque ipſe petas.
Stet mons iſte Tibi, Cœlum hic Tibi fulciat Atlas!
Ætna ſit, & flammis æſtuet usque novis.
Hinc Tibi ſurget honos, nobis fortuna: nec iſtum
Quem ſtruis hic montem, deſtruet ulla dies.

Dum

Dum ſtruis hunc montem, Te PRINCEPS MAXIME, *magnum*
Fortunæ & Famæ dicimus eſſe Fabrum.

MUSIS DANS SECLA

Tu Muſas, DUX MAGNE, *foves, nova ſecula nobis*
Efficis, ô ſecli gloria ſumma tui.
Aurea fac nobis, fac ſint argentea Muſis
Secula, ne noceant ferrea ſecla cave.
Sic mollem trahimus per ferrea ſecula vitam:
Sic noſtro vives munere; nosque Tuo.
Tu Muſis dare ſecla potes, DUX MAGNE: *ſed iſtæ,*
Quæ dederis poſſunt reddere ſecla Tibi.

TIBI THESAURUM.

Tu Tibi Theſauros, nova nunc Æraria condis,
In ſacro Muſis Mercurioque loco.
Sic tibi creſcit opum cumulus cum fœnore: Muſis
Quas dederis, ſolas ſemper habebis, opes.
Perſarum gazam ſpectavit Cimbria quondam:
Nunc Cimbrûm ſpectet Perſaque & Indus opes.

Hos pedeſtris mea Muſa, & compedibus tuis ligata, pedes ad pedes tuos deponit, ô Sacratiſſimum Caput: ſatis quidem intelligens; quam vile illis pavimentum ſubſternat, quibus vel ipſa aſtra ſe præbeant calcanda. Hæc de Nomine tuo carmina No-

Nomini Tuo offert, Domine, multis illi obſtricta nominibus, quæ nullo unquam tempore exſolvet, cui multum accedit nominis de tuo Auguſto Nomine Quod Tibi Tuæque Domui Sereniſſimæ felix ſit & æternum! quod ſera poſterorum memoriâ celebretur, quod Muſis noſtris, quæ nunc à Tuo Nomine vocari geſtiunt CHRISTIANO-ALBERTINÆ per omnia ſecula extollatur!

De Cauſis, ob quas multi ad minus ſolidam aliquam Sapientiam perveniant.

d. 22. Jan. 1666.

VIRI Munerum Amplitudine, Generis ſplendore, Doctrinæ laude incluti, Tuque lectisſima Juventutis Corona!

DUm omnia fervent & perſtrepunt mercantium turbis, dum tot merces undique apportatæ emptorum oculos & loculos provocant; commodè temporis hujus ſolennitatem, quo Mercurii ſacra colunt

omnes, nos quoque celebramus. Neque enim Mercatorum tantum, ſed & literatorum Patronus audit Mercurius, ut nunc duplici ſungi poſſit munere, & celebre hoc Holſatiæ emporium, ſit emporium etiam literarum; noſtriſque Muſis ſuæ quoque agantur nundinæ. Non jam inter nummorum tinnitus ſileant plectra, non in Pluti domicilio claudatur Phœbi ſacrarium, nec ſolæ tabernæ & mercium promptuaria: ſed & Parnaſſi pandantur penetralia. Cur enim Muſis turpe ſit mercantium & Nundinarum nomen? cum ipſe Juppiter cæterique Dii inſtitores audiant, quia omnia vendant laboribus: Cum ipſe Plato, ubi de conſtituendâ Republica laborat, mercatores non tam eos adſciſci vult, qui res corporeas pretio emant vendantque, quam illos, qui animi cultum, ſcientias arteſque honeſtâ mercede aliis divendant: Cum omnis noſtra vita, ſi Pythagoram audimus, ſimilis ſit mercaturæ, nundinaſque nunc agat totus orbis. Expoſuerunt ergo jam merces ſuas; vel potius mercedes & præmia literaria, in hoc bonarum artium emporio, in publicis his Parnaſſis Nundinis, in hoc bonarum mentium theatro Theologi, Juriſconſulti, Medici: Cur ergo noſtras hic non publicè oſtentemus Philoſophi? Nullâ tamen aliâ mercede, aliove pretio, quam quo Dii ſua bona, noſtra hæc vendimus præmia; virtutem vendimus virtute, cum Virtus ipſa ſibi ſit pretium ſolaque merces, ut non tam emptio hæc

quam

quam permutatio ſit nominanda. Adſunt nunc SEPTEM EXIMII VIRI, qui â ſummâ SERENISSIMI NOSTRI PRINCIPIS munificentia exſpectant, quæ laboribus ſuis ſibi quodammodò compararunt præmia, quæ mea manu mox tradenda. Cum vero χερσὶν ἀνίπτοις ſacra illa tractare non deceat, nec illa ſub pallio, vel ruſtico quodam apparatu tradenda: quædam pro more veteri præfabor, in eo quoque morem imitatus mercatorum, qui cum verbo uno vendere poſſint omnia, verbis tamen excentis faſtidiosè & ad indignationem usque emptorem onerant licitando. Circumſpicienti autem mihi commodum argumentum, de quo nunc verba facerem, me rem optimè acturum putavi, ſi quædam in medium afferrem, quæ naſcenti Academiæ videri poterant oportuna, quamvis ſcirem me acta agere, id eſt, dicere de re tot eruditorum calamis tritâ, & plurimos, quos hæc tangit Oratio, acta acturos, qui publicos & veteres errores, potius errabunt, quod meliora moniti verè ſapere velint. Dicam tamen, & clarè dicam, me dicturum de cauſis, quæ multis impedimento ſunt, quo minus ad ſolidam aliquam ſapientiam perveniant. Quæ cum tempori huic & novæ noſtræ Academiæ ſit convenientiſſima materies; & inſtans jam merus meridies me brevem eſſe jubeat, facilem â vobis omnibus & ſingulis mihi polliceor audientiam.

Cum omnibus omnino, qui aliquem voto-

rumſuorum finem conſequi contendunt, multi ſint exantlandi labores, multæ concoquendæ moleſtiæ, iis præcipuæ, qui Muſarum ſacra & caſtra ſeqvuntur, agmine quaſi facto, tot obveniunt pericula, tot incommoda, tot obſtant impedimenta, tot curæ iſtos ἐγκυκλοπαιδείας circulos turbant, tot moræ *ſtantes in curribus Æmilianos* & ſtudiorum ſtadia deproperantes meta & palma ſperatâ excludunt, ut mirum non ſit, ſi multi, non ad ſtudiorum ſolùm, ſed & ipſius lucis tædium detruderentur. Eamus per omnes literatorum claſſes, excutiamus omnes quercus, omnes laurus, perrumpamus omnem Parnaſſum: inveniemus hic non aureum montem ſed arenoſum ſcrupisque conſitum: neque jam in antro Corycio dormienti, quod de Heſiodo fabulantur Poetæ, obveniet ſapientia. Quantis ambagibus itur in Theologiæ ſacraria? Nam (ut de ſcientia tantum nunc dicam) quanta hic ſunt molimina in fundamentis bene ponendis, quibus ſuperſtrui posſit hæc ſtructura, & antequam pulcherrima illa Coronis feliciter poſſit imponi. Perreptanda omnia Orientis Regna: excutienda tota Hellas, tot librorum exercitus in ſubſidium vocandi: tot vaſta volumina pervolvenda, & pene ediſcenda: cum tot Hæreſium Hydris pugnandum, quibus, quò plura decuſſeris, eò plura ſuccreſcunt capita. De Vita autem ipſa quid fiet? quibus fortunæ nimbis terga ſubducenda? quanta de nobis ipſis ſumenda ſupplicia,

ut

ut æterna evitemus? quod imperium & plus quam merum exercendum in affectus nostros? quam multa concoquenda stomacho non Spartano, sed Christiano? Interroget jam aliquis JCtos, qui secundi ab istâ suâ Reginâ sunt: an Murcia sternat ad Astrææ tribunal? Et eandem illi cantilenam canent. Quam vasta hic omnia? quantum maris æquor orandum? quanta voluminum moles? quanta jurium, quanta factorum rerumque varietas? quibus non tam explicandis, quam enumerandis integrum consumeres seculum, & in quibus ipse Hercules laborem inveniret decimum tertium. Recinenda quoque nobis est vetus illa Amelii querela: Jurisprudentiam multorum camelorum onus esse. Sed adde nunc omnes ex Indiâ elephantos, ex Arcadia asinos, & vix ferent. Expugnanda horribilia illa Glossatorum agmina, verè Augiæ quoddam stabulum, è quorum sordibus, quod in Ennio fecit Virgilius, aurum exsculpendum est: ne nunc de infinitis aliis dicam, quæ comitantur eum, qui verum JCtum ipsâ actione & vitâ velit exhibere, qui in hoc turbarum Oceano tempestatibus seculi ubique fere jactabitur. Sed & Medici suos patiuntur manes: Quamvis enim illi inter angustiores humani corporis terminos versari videantur; latius tamen illorum extenduntur limites, quam ii forte credunt, qui ab illorum adytis absunt longius. Eruendi illis è carbonibus suis thesauri, ne dehinc pro

thesauris carbones inveniant. Perrumpenda totius Naturæ penetralia, atque ex ejus claustris producenda, quæ ad hominum salutem facere posse videbuntur, infinitæ molestiæ concoquendæ, antequam artis suæ certam consequantur experientiam. Cum Philosophis vero omnium agitur miserrimè, quibus longè augustiora & diffusiora sunt studia: Illis enim non iste solum Orbis pro libro est, & utramque facit paginam: sed ultra illum, extra sidera, extra Solis Lunæque vias, extra omnia, quæ sub sensum cadunt, eundum, divina omnia & humana perquirenda, ut profecto, qui solidam illorum acquirere scientiam velit, Sisyphi volvere saxum videatur: Adeo hic varia omnia, adeo tricis intertexta, adeo nodis plusquam Gordiis obsepta, non Alexandri cujusdam gladio: sed mentis acumine secandis.

Hæc quotidie nobis versantur ob oculos incommoda, hæ querelæ in omnibus recinuntur triviis: sed pauci sunt, qui illarum difficultatum causas vel perspiciunt, vel si perspiciunt, magnopere emendare allaborant. Sed video ego hic & exhibeo Tricipitem quendam Cerberum ad fores sapientiæ excubantem: monstrabo omnibus monstrum hoc informe, ingens, quod trium capitalium vitiorum tabe adeo inficit mentes humanas, ut ex eo contagio morbos trahant pene immedicabiles, quibus dehinc alii corripiuntur, qui hactenus purioris Sapientiæ sunt cultores. Quare velim unusquis-

quisque tam foribus & Limini Sapientiæ præfixum, quam menti suæ infixum habeat vetus illud: CAVE CANEM, & quidem TRICIPITEM. Atque utinam hic aliquis reperiatur Hercules, qui Cerberum hunc, ab inferis productum, eò catenis ligatum remittat. Nos certè annitemur, ut tria ejus capita, tribus orationis capitibus amputemus.

Primum Capitale vitium est, cum quò colliditur hæc mea Oratio, vocatur IGNAVIA, feralis omnis Sapientiæ, bonæ mentis, omniumque Academiarum pestis; Quam, uti multæ scelerum sunt viæ, duplicem facio, *Otiosam & laboriosam*. Quod mirum forte nonnemini videbitur, qui inter otium & ignaviam non aliud discrimen admittet, quam est inter Maronem & Virgilium, aut inter ensem & gladium, tantam autem putabit labori cum ignaviâ intercedere discordiam, *Lupis & agnis quanta sortitò obtigit*. Sed si illi rem omnem rectius intueantur, facilè videbunt paucos esse, qui ita Murciæ se totos manciparint, ut in nihil agendo subsistere illorum animus possit, si animum tamen habere dicendi sunt, qui ne minimum quidem ejus sensum habent; sed qui potiùs in ipsâ suâ ignaviâ strenui sunt nequitiæ Heroes. Monstro enim simile esset reperiri hic tale aliquod monstrum vel belluam, qualis illa apud Indos, cui PIGRITIÆ nomen indiderunt Lusitani, quæ lento ventris adipe humum verrens nunquam in pedes surgat, cui si fustes im-

pingeres vel totam contunderes, nihil aliud effeceris, quam ut ingenio suo tardam artificio tuo reddas tardiorem. Plurimi potiùs ita sunt animati, ut quemadmodum multi operam dant, ut cum ratione insaniant: ita isti, ut in summâ ista ignaviâ videantur laboriosi. Est quoddam Hippocratis oraculum: Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους lassitudines ultrò obortæ morbos arguunt. Quis vero non credat morbos trahere mentem ad bonarum artium studia nauseantem. Quis dum pigritiæ veterno adeo sepultos videt omnium animos, non morbum tantum, sed & fata literarum summa instare auguretur? quibus istam Parasiti Terentiani næniam pene occinas:

Exsequias bonis literis quibus est commodum ire,
hem tempus est!

Apparent sanè nonnunquam sub studiosorum nomine, planè eo indigni: sunt in illorum numero Numeri, Ventres, Plautinæ Familiæ homines, Terræ filii & in Voluptatum cœno se volutantes Scrofæ & Suilli, folles Epicurei, otio somnoque diffluentes Stertinii, Veri Antipodes, quibus dies somno, nox comessationibus consumitur, quibus ego quosvis cerdones meliores æstimo. Heroes illos Tricongios dicas, Conviviorum nautas & poculorum remiges, qui non uno aliquo mense, sed integro anno & seculo sua celebrant Saturnalia & calicum Quinquatria, qui malunt bibendo quam loquendo græcari, & quibus ipsum vivere

vere nihil aliud est quam bibere. Nihil illi sub pectore aceti habent, nisi quod fortè illic è continuo vini haustu residens acorem quendam contraxit. Nihil illi aliud, quam μυσπολεῖν (ut pulcherrima Hesychii in re turpissimâ voce utar) didicerunt. Quæ surda Parentum nomina dixeris, cum malè audiant, nisi clarè satis, si non de die, saltem de nocte audiri velint. Ne enim aliquis silentio Pythagorico illos obstrictos credat, non illud io Pæan! sed Eleleu & Evohe suum eructant, ut vastiori gutture vix clamarit â Diomede vulneratus Gradivus Homericus; qui tamen novem & decem millium pugnatorum clamores voce horrendâ exæquavit. Ranarum vitam illi vivere videntur, quæ quò magis bibunt & in humido vivunt, eò magis coaxant, suumque illud κεκκεκὲξ ingeminant. Militant quoque sub Ignaviæ vexillis, Venerei nepotuli & Sardanapali quidam, qui laxatis cupidinum frenis, per omnes assiduè ganeas bacchantur. Sunt qui se credunt ludo lusuque posse inclarescere, *si regna vini sortiantur talis*, qui nunquam manus de tabula vel chartâ lusoriâ tollunt, in quâ perpetuos suos triumphos agunt. Sunt qui turpissimâ quâdam vitæ securitate omnia præterita, instantia, futura pari oblivione dimittunt, nullo consilio vitam exigunt & semper se ipsis fiunt deteriores. Sic teritur tempus, perduntur sumptus, & quod omnium optimum maximum est, bonus animus, & in primâ hâc &

tenerrimâ ætate mille modi addiſcuntur, quibus jucundè pereatur. Hinc conſumpto maximam partem patrimonio, quod ex ejus quaſi naufragio enatavit, vix pro tolerandâ vitâ ſufficit, ut ſæpiſſime ad incitas & mendicitatem redigantur jam ſero nimis parci. Hinc fit, ut nunquam seriò ſtudiis incumbant vel aſſideant, quorum cupiditas volat, animus pendet, ignorantia vero ſtat firmis impacta radicibus, aut ſi ingenii promptitudo nonnunquam compenſat deſidiam, ἐφήμερος quædam in illis gignitur ſcientia, quæ cum die & oritur & occidit, ut Cadmæis iſtis militibus uno die natis, armatis & truncatis non ſint abſimiles. Eos noctu nitentes cicindelas dicas, quæ ad clariſſimam ſolis lucem evaneſcunt. Statue eos ad ipſam Sapientiæ lucem, noctuæ erunt, nec ferent iſtos radios. Fac converſentur cum doctis, & omne id quod ibi geritur, non aliter ſpectabunt, quam Tamyras vel Tireſias Apellis tabulam, aut ſtatuam Polycleti. Quis vero ingenuus ferat hos Bœotiæ colonos & vervecum è patria cives? Meliora certè de vobis ſperare poſſumus juvenes Optimi, qui hactenus cane pejus & angue fugitis illam peſtem. Ne patiamini iſta carcinomata pulcherrimo noſtro inſidere Corpori, ne, quod ait Perſius, *fibris increſcat optimum pingve*, ne menti veſtræ fiant inſidiæ, aut ullum vobis ab illis ſit periculum. Dum enim inter vos illi erunt, facilè aliquos veſtrum in ſuas partes trahent, quod illis tam

eſt

est in proclivi, quam agnorum gregem quò velit ducere, facile est verveci sectario. Quam verò pulchrè pendebunt tum turdi illi, qui ab hac Voluptatis transennâ escam petunt! Fugite hanc voraginem, hunc hiatum, in quo tot periere Curtii. Non tam ad Medusæ, quam ad Voluptatis adspectum exhorrescite, O Juvenes: Cum enim illa adspectu suo in lapidem mutare feratur homines; hæc pessima Siren vel lapides in ceram emollit, adeô ut rigidæ etiam Virtutis pectora, quibus robur & æs triplex circumdatum credas, cerea sint in quodcunque flecti nequitiæ genus. Quibus vero Ignavia & Voluptas animum semel obsedit, ii jam omnes honesti fines transierunt, ut vitia semper succedant vitiis, & facto agmine Virtutem omnem expugnent. Quemadmodum enim, si ab alto monte deturbes saxum, primò quidem illud lentè movetur: at impetu semel dato, per præcipitia fertur, nec ulla vi sistitur: Sic qui ab optimo illo Virtutis statu in Voluptatis declivia semel motus, repente in deterrimum potest evadere. Quod si vero Otia amatis, amate literas, quæ vera animis nostris dant otia, ut & Græcis locus ille, in quo ista studia pertractantur, ab otio nomen invenerit. Paradoxon vos docebo: Solam *Ignaviam esse laboriosam; Virtutem vero, Diligentiam, studia literarum pulcherrimum fovere otium, & summam in iis esse animi quietem.* Quod si ægrum lecto affixum videmus, eum in otio versari, & quam

quam maximè quiescere & pigrum esse facilè omnes credimus: cum tamen *laborare* ille dicatur, & verè quidem: Nam vel ipsa illa molestiâ, corporis cruciatu & suâ patientiâ satagit, & fatigatur. Et quid magis potest esse laboriosum quam ferre miserias, quas necessario parit animus nullâ Virtutis luce illustratus & otiosus, qui vel in eo satagit & laborat, quod ignavissimum ventrem, in quem totus pene concessit, sustineat & circumferat.

Quemadmodum vero corpus animo est ignobilius; ita & morbus ignaviæ & luxuriæ corpori potissimum & ventri suos debens natales levior est, præ capitali isto solius animi morbo PHILAUTIA, qui ideo gravior est, quod medicinam propter animum corruptum non admittat; ignavia autem ab animo nonnunquam possit admittere. Alterum hoc Cerberi caput est, alterum Capitale vitium, quod eò magis perniciosum est, quo illud occultius se ingerit perque cuniculos in animos irrepit. Quo contagio semel infecti doctorum animi, se jam super omnem eruditionem evectos Sapientiæ regnum occupasse credunt, cum tamen sub affectato Sapientiæ titulo ignorantiam aliquam splendidam invehant. Hi cum è fontibus Castaliis tanquam canis è Nilo biberunt, & Oceanum literarum tam facile emensi ut Hercules in poculo: cum Disciplinas uno forte in compendiolo omnes non adeò didicerunt, sed vorârunt; cum pugno Dialectices

se

ſe percutere & Rhetorices palmâ alios depalmare norunt, id eſt: cum oris dicacitate quâdam & argutandi promptitudine in fortuitam aliquam ſapiendi excreverunt audaciam; tunc illos tantos in ſimpulo fluctus movere videas, quales non rerum pater Nereus in toto Oceano. Non profectò mirum eſt, ſi iſti in tantis tenebris tam multa turbent, & qui duces illos ſequuntur, in magnis verſentur erroribus. Continuo enim, qui ab unica illâ veritatis & ſapientiæ viâ declinant, in partes ſcinduntur varias, atque eæ rurſus in partes alias, quæ ita inter ſe implicantur aliosque implicant, ut citius in Cretæ labyrintho exitum, in Gordio plauſtro lorisque caput, in Cimmeriis tenebris lucem, in Scyllæ & Charybdis æſtu tranquillitatem invenires quam hic veritatem, aut quod pectus poſſit ſatiare. Hinc tot ſtrigoſis & macilentis quæſtionibus tempus teritur, quæ ipſa dehinc explicatione operoſâ fiunt implicatiores, ut quò quis ingenioſiùs ineptire poſſit, eò majorem Sapientiæ laudem reportet. In quamcunque te vertas partem, occurret tibi

Pergula Pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Diſputatur, dubitatur, concluditur: Unus ait; alter negat; alter deliberandum cenſet. Canuntur claſſica, pugnatur, bella geruntur de re nihili plus quàm civilia; quibus evenit ſæpe quod apum præliis, ut

Hi motus animorum, atq; hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcant.

The-

Theatrum aliquod dixeris unum talem hominem, qui tot vanissimas intuetur imagines, atque illis pascitur, ut solus turbam facere possit, similis Abydeno isti,

Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo solus sessor plausorve theatro.

Similes istos dicas illi apud Euripiden Alexandro, qui pro Helenâ inanem Helenæ effigiem rapuit, vel pueris, qui puppas & mutas effigies pro rebus ipsis sectantur. Quin Ixionis aliquam fabulam ludere mihi videntur. Ut enim ille pro Junone nubem amplexus Centauros fertur genuisse: Sic isti dum pro solidâ sapientiâ inanem ejus speciem amplexantur, nihil animo nisi mera monstra concipiunt. Ut ille radiis rotæ districtus pendensque sine fine circumagi fingitur: ita hi vano labore suspensi & nusquam mente consistentes, dum in istâ rotâ altius volunt eniti, semper relabuntur in priora, manifestâ cerebri & mentis vertigine. Ferenda esset hæc insania, si intra privatos parietes delitesceret, si in Scholastico pulvere tantum reperet; Sed in lucem quoque ire audet & in secula. Nec eo contenti sunt temerarii illi, quod hirundinum more, quicquid in buccam venit, garriant; chartis illinenda sunt somnia illa & somnurnæ imagines: nec tot fungi nascuntur unâ pluviâ, quot libri nunc uno die. Quemadmodum nulla apud Judæos olim Virgo, quæ non mater esse cuperet: ita & nostris scriptoribus intolerabilis planè res est Virgi-

gi-

ginitas. Omnes virginem chartam perdere, inque illam è mentis utero, nullâ obſtetricante Minervâ, abortire geſtiunt. Comparare, illos poſſis tenuioris fortunæ hominibus, qui adeo abundant liberis, ut cum egeſtas illis paterna ſubvenire nequeat, cibum oſtiatim quærant: Ita homines iſti in ſummâ tenuitate ingenii longè plurimos tamen animi fœtus edunt, quos cum Typographi ægrè foveant & educent, vulgo paſſim obtruduntur. Hæc cum perpendo, dubitare mecum ſoleo, an gratiæ debeantur Germaniæ noſtræ, quod prima hanc artem invenerit: Ex quo enim plumbei iſti apud literatos dominantur typi, plumbeum, ex ferreo factum fuit ſeculum & plumbea ſtupidaque capita tot plumbea extuderunt monumenta. Quibus ſi Lectores vel Emptores forte acceſſerint, pro theſauro non niſi carbones inveniunt, quos chartis illevit Typographus. Premitur totus fere orbis iſtis Typographorum prælis, & quemadmodum Tarpeja quondam ſcutis oppreſſa: ita nunc Veritas, decumanis iſtis libris, quibus velut ſcutis & clypeis defendere ſe debebat, comprimitur & opprimitur. Ingrediatur nunc aliquis librariam officinam cum lucerna Diogenes, & ſi olim in maximo hominum cœtu non homines invenit, ſed ſterquilinia; nunc inter vaſtisſimas librorum moles meram inutilium & futilium, verborum colluviem inveniet. Lupanar aliquod ingredi mihi videor, in quo tot ſe offerant

rant venalia proſtibula, titulos quidem inveniens, ſed deſiderans libros. Plurimi ex ſe gignunt, ut araneæ: Pauci mella è floribus colligunt, ut apes. Illi quam feliciſſimè monſtra ſua, non imploratâ Deâ Nixiâ in lucem protrudunt: Hi inter acutiſſimos dolores pulcherrimos fœtus ægrè enituntur. Illi in modum Canis feſtinantis cœcos pariunt catulos: Hi more elephanti per decennium & amplius fœtum in utero geſtant, usque dum omnibus numeris abſolutum edant. Non tot Autumnus de arboribus dejicit folia, quot chartarum folia mittunt Autumnales iſtæ in Germaniâ nundinæ, non tot veris tempore renaſcuntur, quot in vernis nundinis prodeunt folia. Sed folia! ventoſis verborum follibus agitata, grandes in folio & à foliis libri, ſed fructuum admodum parci. Sed unde remedium iſti malo quærendum? Conclamata hic quidem res erit, niſi in ipſis ſtatim primordiis obviam illi eatur. VERITATEM ſectemur, illam nobis ponamus ob oculos, ſic in opinionum labyrinthos non delabemur: ad illius pulchritudinem facile expalleſcet aliorum ſcriptorum fucus. Pulcherrima quidem Divæ iſtius facies eſt; ſed Eruditi, vel ut rectius dicam, Sophiſtæ, qui vel ebur atramento candefaciunt, eam atramento defœdant & calamis compungunt. Sepiæ Piſci illi ſunt ſimiles, quem ajunt effuſo atramento aquam turbare, ne videatur & capiatur: ita illi tenebras & nebulas ſibi offundunt, ne de-

deprehendatur in iis sub superbâ aliquâ scientiâ latens ignorantia. Sed quis mihi, dices, Veritatem è profundo suo eruet? Erues, si seriò rem geras. Fabula tibi hic quædam quasi cum Proteo agenda, cum quo veritas quodammodo comparari potest. Qui veridicus quidem est:

—— novit namque omnia Vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur;

habet tamen suas insidias vultque abscondi: nam

Omnia transformat sese in miracula rerum

Tu vero — *somno aggrediare jacentem*

Vim para, & fortius illum prensa, ne elabatur:

Nam quantò ille magis formas se vertit in omnes
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla

preme iterum iterumque. Sic

— cum nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit —

& palam eloquetur omnia totumque pandet negotium. Ut verò expeditius in eo negotio verseris, velim artem prius discas, quæ priora illa re dediscere doceat, aut largiore aliquo Lethéi fluminis haustu saburram vanissimarum cogitationum ex animo eluas.

Tertiam jam expedio securim tertio capiti, quod DISCORDIAM voco, vix absque armata manu impugnandum. Horridum enim

nim est cataphractum, pro lingva vibrans sicam tetricoque aspectu fulminat.

Dii talem terris Cimbris avertite pestem!

Hæc sive juvenum se ingerat animis, sive Doctorum se subselliis immisceat, sive aliunde obveniat, semper turbas movebit, semper destruet & diruet, mutabit quadrata rotundis, sursum deorsum vertet omnia, Hactenus hæ quidem in omnibus Academiis audiuntur querelæ: Castra immigrasse in Academias, nec jam amplius Musis, sed Marti litari, plusquam militarem dominari apud omnes licentiam, quæ quidem non falsò ita spargi, sæpius dies docuit, & tristissimi casus. Non puto incognitum esse, quam sæpe propter studiosorum tumultus, Academiæ funditus sint subversæ, neque enim ex Africâ tantum (quæ semper aliquid monstri peperit) sed vel ex ipsâ nostra Germaniâ hæc exempla peti poterant. Nobis adhuc pacata & tranquilla sunt omnia, & quæ magna felicitas nostra est, etiam in ipsis his nundinis. Nam & meliora nobis ab indole vestra pollicemur, Optimi Juvenes, quam ut illam infra has sordes velitis abjicere, & porro speramus. Probe meministis non bene misceri pulverem literarium & arenam gladiatoriam: loca Musis destinata ab otio & tranquillitate nomen invenisse; Musas ipsas feminas imbecilles fingi, quibus cum plectris tantum res est, non verò cum hastis vel gladiis, quæ Castaliis quidem fontibus, nullo vero sangvine

ne tinguntur. Si qui hic aſperi erunt Morychi & rixoſa capita, illi potius ad Antipodes eant, qui nobis obverſos habent pedes, ne hic capita inter ſe collidantur, vel ad Thraciæ urbem πονηρόπολιν, vel cum iſta barbarie ſuâ ad ipſos barbaros. Quid noſtro Ordini objici poſſit, non video: nam tanta hic animorum conjunctio, tanta morum facilitas, honeſtiſſimaque æmulatio, quæ omnem invidiam, omnes ſimultates excludat. Non erunt inter nos, qui latronum truculentorum inſtar graſſantur per æternitatis ſemitam, quique in latiſſimâ illa viâ progredi non poſſunt, niſi in alios arietent, vel planè eos de gradu dejiciant. Longè aberit à noſtris ſacris hoc hominum genus, quod Nigrum vocat Satyricus, quos iis ſimiles dicas, qui ſepiæ atramentum lucernæ addunt, ut ii, qui forte circumſtant, continuò videantur Æthiopes: Pari modo illi famæ ſui luci quandam calumniarum fuliginem immiſcent, ut ſoli ſuâ luce ſplendeant, reliqui verò omnes appareant Nigri. Quare præclaro & prudenti profectò factum eſt conſilio, quod Pacem habeamus inter ſymbola noſtræ Academiæ, quod nobis ut tutelare aliquod numen colatur. Illa tranquillitatis mater, ſecuritatis clypeus, publici boni radix, præclara virtutum nutrix: Illa vinculum erit, quo colligabuntur hujus corporis membra: illa anima erit, quâ ſpirabit, quam ſi dempſeris, vivum erit cadaver, vivum quidem; quod ſibi vivant ſinguli; cadaver:

quia reipublicæ vivere desierunt, & ab illa compage, sine quâ salva esse nequit, singuli recesserunt.

Verum jam satis nos debellando hoc monstro; me dicendo; Dnn. Auditores, audiendo; vos vero Dnn. Candidati, jam dudum vincendo credo esse fatigatos, ut mihi de fine Orationis & de auditorum tædio evitando circumspiciendum: Vobis autem Triumphatoribus laurus imponendæ. Non inter Vacunæ aut Martis potius, quam Musarum alumnos vos numerari voluistis. Non fuere inter vos Metii, qui sibi ipsis visi pulcherrimi, non Narcissi, qui suam in Castalio fonte imaginem perditè amarint. Vos istos Euripos artium feliciter estis emensi, Omnes angulos Parnassi scrutari didicistis. Vos jam in rerum *causas* perrupistis, nec causando moras ullas vobis fecistis. Vos *infiniti* immensitas non conjecit in tædia, non in *vacuo* egistis supervacua. Non *locus* vos pertraxit in devia, nec in *loco* vobis desipere dulce fuit, quos jam sapientia facile primo *loco* numerat. Vos ita *temporum* momenta expendistis, ut *præterita* nec teretis *futuris*, omni rei & negotio literario *præsentes*, in *tempore* omnia ageretis, *tempori* obsecundantes, quantum licuit per *æternitatem*. Omnia denique ita egistis, ut vobis bonis & strenuis Parnassi nostri Quiritibus jure quodam debeatur ista laurus, quam mox vobis sum impositurus.

Antequam vero idâ me fieri possit, prius sum-

ſummus APOLLO noſter Lauriger REVERENDISSIMUS ET SERENISSIMUS PRINCEPS compellandus. Cum verò is vices ſuas ceſſerit, Viro Admodum Reverendo & Ampliſſimo DN. CHRISTIANO KORTHOLT SS. Theol. D. & Prof. celeberrimo, nunc ad Te mea convertitur Oratio MAGNIFICE DN. PROCANCELLARIE, eâ quâ par eſt obſervantia, totius Collegii Philoſophici nomine rogans, uti ſeptem hos Reverendos & Eximios viros, quorum nobis ſatis perſpecta & explorata Eruditio, DN. HENRICUM Stürning/ Paſtor. ad æd. S. Spirit. DN. LAURENTIUM FRISIUM, PaſtoremBredenſem. DN. JOHANNEM Schmied/ Paſtor. Birtenſem. DN. JOHANNEM MAURITIUM, deſignatum Paſtorem Huſtroppenſem. DN. CASPARUM URSINUM Islebienſem. DN. DAVIDEM HARBERDING Roſtochienſem. DN. JACOBUM DORNKRELLIUM Lunæburgenſem, publicè Philoſophiæ Doctores, quos Magiſtros vocamus, creandi & renunciandi poteſtatem concedas. Quod inſigne beneficium tam totum noſtrum Collegium, quam ipſi hi Candidati gratiſſimo agnoſcent animo, qui omnia ſua obſequia & officia ſanctè pollicentur.

RESPONSIO DN. PROCANCELLARII.

Spectabilis Dn. PRO-DECANE.

PRoſpero fato accidere reor, ut e veſtigio, quo iſthanc reliquit Medicus cathedram, tu conſcendas

 ean-

eandem Philosophus. Medicinam quippe & Philosophiam sorores esse dixerunt quidam Sapientes, alteram corporis, alteram animi conservatricem. Et est revera, quemadmodum Medicina Philosophia quædam corporis, sic Philosophia medicina animi: Dum non tantum mentem humanam inscitiæ rubigine exuit, & jucunda mirabilium rerum cognitione imbuit, verum etiam appetitum in ordinem cogit, evulsis vepribus sentibusq; inordinatorum affectuum, ut secum ipse homo in gratiam redeat, ut & domi quisque benè vivat, & publicæ tranquillitati consulat. Taceo, ex alio insuper capite cognatus sibi esse Medicinam ac Philosophiam, ob insignem videlicet usum, quem altera præstat alteri. Etenim artem suam Physicæ quodammodo subordinari, eique & subjectum (ut in scholis loquimur) & principia referre accepta, Medici non negant. Unde Galenus neminem Medicum agnoscit, nisi eundem Philosophum; & in curando dicit aberrare, quicunque aberret in cognitione rerum. Quanquam id peculiare non sit Medicinæ, quod à Philosophia suo quodam modo dependeat. Sane & Jurisconsultus, cum de ratione legum, quæ earum est anima, quæque sola dissidentium interpretationum arbitra, quæritur, non nisi ad sacrum hoc asylum confugit. Quinimo, si de Legibus, non modo interpretandis, sed, quod magis est, rogandis aut abrogandis agatur, hinc oracula petenda & exspectanda erunt. Et licet Theologiæ non æque dominetur Philosophia, ut Leges ei, quemadmodum Juris peritiæ & arti medendi, præscribat, optime nihilominus & de ipsamet meretur, quando modum rectè tranctandi res divinas, easdemque legiti-

time docendi, & adversus hostes, qui magnis animis, neque nullis instructi armis, sæpe agmine facto irruunt, validè defendendi suppeditat, adeoque nobile perquam servitium summæ illi & sanctissimæ disciplinarum præstat. Equidem non desunt hodieque, (uti defuere nunquam) qui,

Vervecum in Patria carassoque sub aëre nati,

honestissima sapientiæ studia superciliose despiciant, eademque Juventuti reddant suspecta; optantes nimirum omnes sibi esse similes, ut communibus ignorantiæ tenebris ipsorum inscitia involuta mortales lateat, justamque reprehensionem effugiat. Bonum interim factum, quod Philosophiæ dignitas à fece hominum & ultimis Mysorum minime dependeat, neque stulta & stolida eorum, qui cerebrum in calcaneo gerunt, ipsa curet judicia. Certe nova huic nostro Athenæo non possum quin eo etiam nomine gratuler animitus, quod Philosophantes Musas adeo experitur propitias, ut etiam in præsens, ubi primum augustiora ejus solenniter exercentur Privilegia, ipsi septem publice se nobis sistant Viri eruditione insignes, ob sedulam sapientiæ bonisque scientiis navatam operam, testimonium ac præmium suorum laborum petentes & exspectantes.

Quos quidem ut tacito quodam applausu, sat scio, excipiunt, quotquot adsunt omnium ordinum spectatores: ita, ne diutius capessendorum βραβείων Spes ipsos ac desiderium detineat; autoritate S. Romanæ Cæsareæ Majestatis, jussuque & voluntate Reveren-

dissimi Serenissimique Principis ac Domini, Dn. CHRISTIANI ALBERTI, Electi Episcopi Lubecensis, Hæredis Norwegiæ, Ducis Slesvigæ, Holsatiæ, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst; Academiæ nostræ Rectoris Magnificentissimi, Domini nostri Clementissimi; Tibi, Amplissime & Consultissime Dn. DANIEL-GEORGI MORHOFI, Philos. & U. J. Doct. Eloquentiæ ac Poëseos Professor, Pro-Decane item nunc & Promotor Spectabilis, Ego permitto, ut præsentes illos Reverendos Eximiosque viros, HENRICUM nempe Störning/ *ad ædem Spir. S. apud nos Pastorem, LAURENTIUM FRISIUM, Pastorem Bredensem, JOHANNEM* Schmiedt/ *Pastorem Birtensem, JOHANNEM MAURITIUM, designatum Pastorem Hustropensem, CASPARUM URSINUM, Islebiensem, DAVIDEM HARBERDING, Rostochiensem, JACOBUM DORNKRELLIUM, Lunæburgensem; ut, inquam, MAGISTROS sive DOCTORES PHILOSOPHIÆ recepto more ac solenniter illos renuncies, simulque ipsis tribuas omnia Jura & Privilegia, quæ summo isti in Philosophia gradui quæque ratione adhærent: cetera DEum orans ac venerans, ut, qua jamjam ornabuntur præsentes Dn. Candidati, dignitas illa, ille novus titulus, cedat cumprimis in ipsius Numinis gloriam, Ecclesiæ reique publicæ emolumentum, & majorem Universitatis nostræ Splendorem; Dnn. autem Magistrandis non modo honorificus sit, verum etiam salutaris!*

CONTINUATIO DECANI.

Ego vero tam Reverendissimo & Serenissimo PRIN-

PRINCIPI, RECTORI ET CANCELLARIO nostro MAGNIFICENTISSIMO, quam Tibi Magnifice Dn. PROCANCELLARIE, Collegii universi nostri nomine gratias ago habeoque, quas concipere possum maximas, pro clementissimè & benevolè concessâ illa potestate, quâ mox, more usitato, defungar, si vos Dnn. Dnn. CANDIDATI solenni jurejurando, præeunte verba Ministro publico, tactisque sceptris prius vos obstrinxeritis.

FORMULA JURISJURANDI.

Minister publicus Ad DNN. CANDIDATOS.

Vos Dnn. Candidati Philosophiæ, antequam promoveamini in Philosophiæ Magistros & Doctores jurabitis:

Quod Serenissimo PRINCIPI RECTORI ET CANCELLARIO hujus Academiæ MAGNIFICENTISSIMO debitum cultum & honorem deferre; Quod Academiæ Kiloniensis & Facultatis in eâ Philosophicæ honorem, & commodum ad quodcunque honoris evecti fastigium, quærere & promovere; damna vero avertere: Quod denique ita vos in doctrinâ & vitâ gerere velitis, ne quid dedecoris inde vel Academiæ huic inclutæ, vel Facultati in eâ Philosophicæ accedere possit: SIC VOS DEUS ADJUVET!

CONTINUATIO DECANI.

Ergo quod cedat in summi Numinis gloriam, quod Ecclesiæ, quod Reip. quod Academiæ huic salutare: Quod denique ipsis Candidatis felix faustumque sit. Ego DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS U. J. D. Eloq. Et Poet. Professor Ordinar. in hoc actu Prodecanus & Promotor Te

Dn. HENRICUM Störning/ Kilonio-Holsatum, & in Patriâ Pastorem ad æd. Sp. S.

Dn. LAURENTIUM FRISIUM, Abela-Holsatum, Pastorem Bredensem.

Dn. JOHANNEM Schmied / Pastorem Birtensem.

Dn. JOHANNEM MAURITIUM, Tondera-Holsatum, Designatum Pastorem Hustropensem.

Dn. CASPARUM URSINUM, Islebiensem.

Dn. DAVIDEM HARBERDING, Rostochiensem.

Dn. JACOBUM DORNKRELLIUM, Lunæburgensem.

a-

adeoque vos omnes & ſingulos, Philoſophiæ Doctores, ſive Magiſtros, creo, creatos renuncio & publicâ voce proclamo, talesque vos ab omnibus haberi & ſalutari volo, in nomine Sacroſanctæ Trinitatis Patris, Filii & Spiritus S. Confero vobis item omnia illa jura & privilegia, quæ gradui iſti ac titulo, tum de jure & conſuetudine communi, tum ſpeciatim vigore diplomatis Cæſarei ſub nuperam Academiæ hujus noſtræ inaugurationem publicati, ſunt connexa.

Nunc ad ritus illos, quos ad ſplendorem ſolennitatis Antiquitas addidit accedo. Ac primum quidem vos *in cathedram hanc ſuperiorem voco*, ut intelligatis, vobis docendi & diſputandi poteſtatem jam publicè eſſe conceſſam. Hic murus, quamvis ligneus, pro veritate vobis eſto aheneus. Sed hic librorum egetis ſubſidio, ſine quibus nihil ſolidi agitur in ſtudiis. *Aperio* hos libros, ut diſcatis, nec veſtra tantum ſomnia aliis propinetis. *Claudo* iterum, ut ſciatis, ipſique non tam in libris, quam libri ſint in vobis, & ut fiatis ipſi librorum receptaculum & Bibliotheca ambulans. *Pileum* vobis impono, quod libertatis eſt ſymbolon. Liberi ſunt Sapientes (noſtis Stoicorum effatum) ſtulti ſoli ſerviunt. Quemadmodum vero ille non alatus (neque enim Mercurii galerus eſt) ita monet, ne vos Dædaleis Eruditionis alis extollatis. *Annulum* digitis veſtris impono, cujus interventu matrimonia firmari ſolent. Capite er-

ergo hunc annulum pronubum, quo Philophia ſe vobis

Connubio junget ſtabili propriamque dicabit.

Hos amores, ut eò certiores ſint, hoc *amplexu* obſigno, quo admonemini, ut diſcordiam, quæ errorum mater eſt, fugiatis, concordiamque potius amplectamini, quo arctis colligetur Sapientiæ Unio. *Faces* demum vobis præferri vidiſtis, quibus monemini, illuſtrem vobis porro vitam agendam eſſe, quæ aliis ſuo exemplo prælucere, & vobis ipſis ad gloriam faces præferre poſſit.

Quod ſupereſt, Deum T. O. M. ſubmiſsè veneror, ut novos illos honores proprios vobis eſſe ſinat & auſpicatos, is veſtra ſtudia & conſilia eò dirigat, ut ex honore hoc veſtro magnum naſcatur Academiæ huic ornamentum, magnum Eccleſiæ & Reip. præſidum. Reliquum jam eſſet, ut recens creati Magiſtri noſtri ſpecimina quædam publice eruditionis ſuæ ederent: Sed cum illuſtris auditoris patientia diutius non ſit protrahenda: tu tantum nunc, Reverende & Clariſſime Dn. M. HENRICE Stürning / tam noſtro quam publico omnium nomine ſolennes gratias agito.

PA-

PANEGYRICUS
IN
NUPTIIS AUGUSTISSIMIS
REVERENDISSIMI & SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,
DN. CHRISTIANI ALBERTI,
Postulati Coadjutoris Episcopatus Lubecensis, Heredis Norvvagiæ, Ducis Schlesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst/
Domini sui Clementissimi,
Rectoris Magnificentissimi,
ET
SERENISSIMÆ PRINCIPIS ac DOMINÆ,
DN. FRIDERICÆ AMALIÆ,
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI REGIS & DOMINI,
DN. FRIDERICI III.
Daniæ, Norvvagiæ, Gothorum, Vandolorum Regis, Ducis Schlesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst/
Domini sui Clementissimi
FILIÆ,
Principis ac Dominæ suæ Clementissimæ,
publico Universitatis Kiloniensis nomine dictus
Mens. Decembr. 1667.

PRO-

PRORECTOR
ACADEMIÆ KILONIENSIS,
CHRISTIANUS KORTHOLT,
S. Theol. D. ejusdemque Professor Ordinarius, & Facultatis suæ hodie Decanus,

LECTURIS SAL.

MUSÆUS, Poëta elegantissimus, Leandri & Herûs describens amores, pro infaustis minimeque durabilibus earum plangit nuptias, quod nullis celelebratæ fuerunt tripudiis, nullis epithalamiis condecoratæ.

ἦν γάμος, inquit, ἀλλ' ἀχόρευτος, ἔην λέχος, ἀλλ' ἄτερ ὕμνων,
οὐδὲ πολυσκάρθμω τὶς ἐπεσκίρτησε χορείη.

Scilicet mos est jam inde ab antiquo, idque terrarum ubique receptus, ut inter publica omnium gaudia conjugalis coalescat societas. Hinc Romani suum ingeminabant TALASSIO, hinc suum Græci HYMENÆUM lætissimis vocibus iterabant. Quin apud ipsos CHRISTI cultores consvetudinem jam olim frequentatam, ut cantu, cymbalis, tibiis, connubialia festa personarent, vel ex Ambrosio

&

& Chrysostomo, magnis illis priscæ Ecclesiæ luminibus, discere in proclivi. Quid? exemplum epithalamii, in festum nuptiale HONORII Imperatoris eo tempore a Claudiano concinnati, hodieque extat, quo, inter alia, Cæsarem sic affatur Poëta:

Cum Tibi protulerit festas mox pronuba tædas,
Quæ, tali devota toro, quæ, murice fulgens,
Ibit in amplexus tanti Regina mariti?
O mihi si liceat thalamis intendere carmen
Connubiale tuis!

Sed & aliquanto pôst celebratas MAURITII Cæsaris nuptias ab hymnis commendat carminibusque Nicephorus Callistus. Nec minùs, qui vixit circa initia noni a nato Sospitatore seculi, Aponius, indicium facit, fuisse isthac ætate, qui *modulamine dulci potentiam sponsi & pulchritudinem sponsæ collaudaverint*: sicut idem comprobat, qui sub ejusdem seculi exitum scripsit, Remigius Antisiodorensis. Atq; hæc expedentes Musæ nostræ Holsaticæ, quando suum APOLLINEM, Reverendissimum, inquam, Serenissimumque Principem ac Dominum, DN. CHRISTIANUM-ALBERTUM, Ducem Slesvvigæ, Holsatiæ, &c. &c. Dominum nostrum Clementissimum, Conjugali sibi vinculo nectere viderunt Serenissimam Principem ac Dominam, DN. FRIDERICAM AMALIAM, Serenissimi Potentissimiq; Principis ac Domini, DN. FRIDERICI III., Daniæ, Norvvegiæ, Gothorum Vandalorumque Regis,

gis, &c. &c. Domini nostri Clementissimi, Filiam, Principem Dominamque nostram Clementissimam; nihil, quod ad augenda gaudia hæc connubialia a se quidem conferri posset, sibi duxere prætermittendum. Dictus proinde est lætitiæ publicæ proximus dies Jovis: quo ab hora ante meridiem nona, interprete Oratore suo, Viro Clarissimo Amplissimoque Dn. D. DANIELE GEORGIO MORHOFIO, Panegyrico sermone, quique svaviorem hunc reddet, Musicorum concentu, & epithalamiis, ex Gloriosissimi Statoris sui, Nutritii munificentissimi, Magnificentissimique RECTORIS, nuptiis istis concepta gaudia, simulque devotionem testabitur subjectissimam, & vota pro novi hujus conjugii incolumitate solenniter nuncupabit ACADEMIA nostra CHRISTIAN-ALBERTINA. Quanquam vero, dum commune est istud e Patris patriæ nuptiis enatum tripudium, neminem fore arbitramur facile, qui non vel suopte motu huic actui sit interfuturus; ne tamen nostro desimus officio, omnes omnium ordinum viros honoratissimos, ut præsentia sua Panegyrin isthanc splendidiorem reddere velint, majorem in Modum rogamus. P. P. Kilonii, die X. Decembr. cIɔ Iɔc LXVII.

MA-

MAGNIFICE DOMINE PRORECTOR,

Generoſisſimi Domini, Viri Admodum Reverendi, Nobilisſimi, Conſultisſimi, Amplisſimi, Clarisſimi, Tuque Nobilisſima Studioſæ Juventutis Corona, Auditores omnium Ordinum Honoratisſimi.

Si, quam eſt fœcunda hujus temporis lætitia, tam mihi facunda contingeret Oratio, nullum profecto, Patres Academici, eſſet periculum, ne vel vos benignâ iſtâ ſpe, quam de me concepiſtis, excideretis, vel ego graviſſimæ iſti, quam mihi impoſuiſtis, provinciæ impares afferrem lacertos, aut vires ingenii mei, quas perquam novi exiguas, in extremum temeritatis diſcrimen adducerentur. Quis enim veſtrûm eſt, qui non intelligat, quam ſit grave & arduum, feſtiva ejus diei aptâ oratione exprimere gaudia, quo æterno fœdere univerſa coaleſcit Cimbria, contracto inter CHRISTIANUM ALBERTINUM, Dominum noſtrum Clementiſſimum, & FRIDERICAM AMALIAM, Magno Danorum Rege prognatam Principem matrimonio, quo non ſplendidiſſimæ ſolùm Principum familiæ, ſed tot etiam gentes, atque adeo totius ſeptentrionis populi indiſſolubili inter ſe nexu copulata comprehenduntur? Nam ſanè, ſi quis unquam in Cimbrorum faſtis albo notari lapillo,

E aut

aut posteritati commendari debuit dies; is est, quo Cimbriæ felicitas ad summum perducta fastigium in augusto FRIDERICÆ AMALIÆ sinu molliter conquiescit, Regalis thalami fulcris sustinetur, & Amoris nodo plusquam Gordio ita adstringitur, ut nullo unquam tempore dirimatur, aut seculi injuriis incidatur. Et hæc quidem singula ita omnium animis obversantur, ita sensus omnes occupârunt, ut compositioris etiam animi homines incredibili isto & impatienti gaudio quasi lymphati linguas diffunderent in jubila, manus explicarent in applausus, pedes erigerent in tripudia, omnes denique pulcherrimum illum diem salutarent, quo speciem aliquam reviviscentis quasi Reipublicæ videre sibi videbantur. Quod cum longè latéque flueret gaudium, etiam ad nos permanavit; cujus magnam partem jam tum animo frequentabamus: quamvis serò quodammodo, nec attemperate satis tributa ejus exsolverimus, morem illorum imitati, qui cum debent non respondent ad tempus. Neque enim abesse ab his sacris debuerunt Musæ nostræ, quæ ut Serenissimi nostri Principis clementiâ primum hîc ducere spiritum cœperunt, & proprias has perpetuasque sedes ejus beneficio possident; ita omnem movere Helicona, omnem in Apollinis sui thalamos exhaurire Hippocrenen, omnes denique voces gratulationibus impendere non cessârunt, nec in se quicquam humillimorum studiorum

por-

porro patientur desiderari. Quare laudabili profecto comparatum est à vobis consilio, Patres Academici, ut hoc ipso in Musarum sacrario, hoc ipso è loco, quo præsentem Ducis nostri vultum ante ipsum hoc biennium adoravimus, è quo tum omnes felicibus nostris præsagiis & votis augurabamur, quod nunc æterno Divini Numinis consilio confectum esse, videmus, sanctissimi ejus connubii festivitas à publico vestri affectus interprete, quem me esse voluistis, deprædicaretur. Ego verò, qui nunquam aliàs vestram autoritatem defugio, & nunc quidem hanc datam mihi dicendi potestatem in honore & beneficio ponere queam, in tam arduo tamen officio invitus quodammodo vestro obsequor imperio; dubius certè & in varias agitatus partes à me ipso diffideo. Ut enim hinc animos dejicit suscepti muneris difficultas, cui facile vel exercitatissimus quisque succumberet: ut retrahit rei, de quâ dicturus sum, majestas, quam tenui oratione complecti velle & injuriosum esset & temerarium: ut terret virium mearum imbecillitas, quam, nemo prudens unquam ostentavit in publico: ita ex adversâ parte stimulos addit muneris mei ratio, quæ monere videtur, ne ullâ in parte ab illâ recedam; aurem vellicant publici omnium plausus, quæ occultâ quâdam vi sensus nostros feriunt, ipsaque voces nostras timidas tacito increpant convitio & vel invitas provocant; animat hinc vestra benevolentia, quæ ut no-

noſtro ore publice loqui non eſt dedignata; ita tot linguis ſuis unam hanc armare, tot vocibus unius ſuccurrere hominis infantiæ videtur. Accedit deniq; his omnibus, quod publicæ pietatis nomine meam quoque non obſcurè poſſim profiteri, cui cum illa nunc patrocinetur, majori loqui incipit fidentiâ, intempeſtivam rata verecundiam, quæ ingratum ſilentium indecoræ præfert orationi, & illam leniter ex intimo pectore ſpirantem ſimplicitatem, præ natante ſummis in labris grandiloquentia averſatur. Quin verò eſto crimine me non poſſe abſolvi, quod Principis tanti, cujus jam aliquot annorum geſta omnem ſuperant facundiam, auguſtos thalamos opidanâ aliquâ & inconditâ Oratione amplecti cupiam; cum promptiorem immodeſti amoris veniam ſperem, quam modeſtæ impietatis, cujus abs nobis culpam deteſtamur. Præterea ſi quid rectè ſentio, non poteſt in tanti Ducis laudibus, quas animo percurſas & prope decantatas habemus, in tanta rerum fœcunditate ſterilis & infacundus eſſe Orator, quæ cum per ſe ſplendorem habeant, ipſi Orationi, ut eam verborum luminibus non frequentemus, lucem inferunt, nec illam â mortali ingenio mutuantur. Cumque illarum tanta ſit magnitudo & ſublimitas, nihil de illis dici humile poteſt, nulla in ſermone egeſtas oborietur, ut non aliunde earum amplificatio, quam â ſimplici nar-

narratione debeat deduci. Et iſtæ quidem, quæque aliæ illis ſunt continentes cauſæ, ita ſunt comparatæ, ut facile hoc quoque in argumento Oratoris perſonam tueantur, nec alii nobis colores, quibus ſe commendet, vel audientiam noſtra ſibi faciat oratio, magnoperè ſint circumſpiciendi. Enimverò jam mihi videre videor A. O. animos in vobis non ſine, immoderatione quâdam erectos, ora in me, obverſa, aures cupidas, vultus veſtros tacito quodam gaudio occupatos & vocem hanc publicam mihi quaſi imperantes. Sentio vota mea veſtris juvaris quodammodo elici, omnium amores in publicos Cimbriæ Amores conſpirantes video; ut ridiculus profectò eſſem, ſi, quod jam ante facere vos video, multis demum obteſtationibus, ut audire me velitis, contentius à vobis efflagitarem. Quis præterea inter vos tam inhumanus haberi velit, qui non ſtatim ad Amoris nomen emolleſcat? quis triſtis iſte Cato, cui Venus illa Cimbrica non arrideat? quis iſte, ferreus, cui Cupidinis tela ſaltem aures non, ſtringant? cui faces iſtæ animos non accendant? cui ipſæ denique hæ Charites, quas loquimur, videri queant ingratæ? Adeſte vos Genii, vos Amores, ut nectare veſtro delibuta verba mollius influant, ut telis veſtris armata aculeos relinquant: Adeſte vos Muſæ, quas hic lateri meo vicinos conſpicio ſvaviſſimisque hymenæis mihi præludite, ut veſtro inſpi-

rata numine aures mentesque omnium mea effascinet oratio.

(Hîc interjecti concentus Musici)

QUotiescunque Cimbriæ nostræ felicitatem, cujus maxima pars hujus temporis festivitate continetur animo meo recolligo, toties Divini Numinis exosculor consilia & fatorum vim religioso animo tacitus adoro; toties nullum Serenissimo Principi auspicatius illucere potuisse tempus animadverto, quam hodiernum illud, quo ad amplitudinem ejus & gloriam divinitus quædam adjuncta fortuna videtur. Si enim in illud cogitatione revolvimur, quo post cœlo illatam Divi sui Parentis gloriam rerum primum potitus imperii tractare gubernacula cœpit, quo ut salutare aliquod sidus turbatis Patriæ rebus affulsit; nemo quidem tum exstitit, qui non in illo Maximi Parentis virtutes omniumque retrò Principum imagines redivivas agnosceret, qui non enervatæ Reipublicæ ab isto Atlante robur, ac propè exstinctæ vitam promitteret: nemo qui non ab ejus diei gloriâ supremam Patriæ salutem pendere existimaret. Ut vero hæc negari non debent, & vel in dubium sine impietatis crimine vocari nequeunt, nos certè ultrò largimur; id tamen uno ore mecum fatebuntur omnes, quod parum constans illa, quæ uno tantum pede conquiesceret parumque duratura felicitas videretur. Quemad-

admodum enim illam nascendi sors dederat, ita moriendi necessitas abstulisset, eodemque tumulo & gloria nominis & Cimbriæ fortuna componeretur, si nemo, qui memoriam tanti nominis ab interitu & oblivione temporum vindicatam æternitati assereret, relinqueretur. Sed & viventi nullum parari tutius munimentum thalamo, nullum præsentius adjungi præsidium, quam Amoris poterat, nullum tam validè latus defendere satellitium, quam blandissima aliqua Venus Prætorianis quasi pharetratorum Cupidinum cohortibus circumfusa. Quo denique jure magnificum illud Patris Patriæ nomen tueretur Princeps optimus, nisi & Patrem se aliquando ostenderet iis in filiis & nepotibus, quos eodem Patrum Patriæ nomine supplex Cimbria salutaret? Cumque à bono Patre familias (si Xenophonti credimus) nihil distet bonus Princeps, quâ in re sollicitius ille versaretur, quam in matrefamilias sibi adsciscenda, sine quâ nec subsistere magna illa familia potest, nec ampliari, nec prospera aliqua rerum successio sperari. Atque ex eo facilè quoque intelligimus, quam nec hujus diei felicitas cum illâ comparanda sit, quâ primus inter Cimbriæ Principes nova Musis fecit otia, nova illis regna in florentissimo hoc loco erexit. Quanquam enim æterna istius operis fama omnium seculorum monumenta, Mausolea, Pyramides & insanas substructiones longo post se relinquat intervallo, & vel sola o-

mnium temporum memoriæ occupandæ ſuffi-ciat; proprius tamen & privatæ vitæ rationem & Reipublicæ rectionem iſtæ contingebant curæ, quibus omnium ſaluti proſpiciebatur. Et ipſæ noſtræ (arbitror) interceſſiſſent Muſæ, ne mortalem haberent Apollinem, quem ſolum auguſti alicujus connubii beneficio in immortali poſterorum ſerie ſibi ſpondere poterant immortalem. Quodſi augurari nobis licet, non ſine bono factum eſt omine, quod Muſæ, ceu Divæ qnædam pronubæ ab illo prius ſuſceptæ, quæ pectori ejus tot Veneris dolis Cupidinumque telis hactenus inconcuſſo cum ipſa Venere conſpirantes occulto quodam afflatu blandiſſimos illos amores inſpirarent. Quid verò ſi divinâ aliquâ futuri amoris præſenſione, DUX SERENISSIME, tum mentem Tibi affectam fuiſſe dixero, cum pro Symbolo PACEM Muſis noſtris dares, oleæ ramo & copiæ cornu decoram? Quam enim illa aliam quam tuam ſignificavit FRIDERICAM? quæ ut amabili Pacis nomine toti Cimbriæ, ita & Muſis noſtris adoranda. Agnoſcimus Te Dominam Deamque noſtram, FRIDERICA, Te Irenen noſtram veneramur, in ſymbolis noſtris jactamus: Te ſacrorum noſtrorum cuſtodem uſurpamus: Tuum in larario noſtro ſimulachrum reponimus: Tibi ſceptra noſtra, in quibus tua circumfertur imago, ſubſternimus: Tuis oleis laureas noſtras inclinamus: Tuum illud copiæ cornu fœcundiſſimâ hâc anni tem-

pe-

peſtate in nos effuſum gaudemus. Nam ipſo in tempore hoc, quod Cimbris multorum ſucceſſione annorum, ipſique Sereniſſimo noſtro Principi auſpicatum fuit, æternam illam fatorum manum, quæ temporum & ſeculorum intervallis imperiorum momenta metitur, obſervamus: quaſi cum ipsâ rerum naturâ, cujus tum vis illa vitalis per totum mundum pertinens variis opibus mortalium cenſum auget, incrementa ſua fortunaCimbrica quodammodo partiatur. Autumnus iſte fuit (ut jam remotiora prætervehar) qui Tibi, CHRISTIANE ALBERTE,Patriam,primam illam Sponſam tuam ſociavit: Autumnus iſte fuit, qui ſecundam illam Sponſam Sophiam, vel ſi pro unâ mavis novem, Muſas Virgines deſponſavit: Autumnus iſte nunc eſt, qui tertiam Tibi Sponſam FRIDERICAM AMALIAM illam è Codano mari ortam Venerem in thalamum tuum deduxit. Cumque ex prioribus iſtis Conjugiis tot inveneris & ſuſceperis liberos, quot hîc in ſacroſanctam parendi neceſſitatem tibi rerum mater natura naſci voluit,quotque hîc ingenia ad fertilium tuorum agrorum ſimilitudinem perennis fœturâ famæ luxuriantia ſubnaſcuntur: ſperabimus jam, quod non ex alitis volatu aut oſcinis cantu, nec e tripudiis ſoliſtimis, aut affectione ſiderum, ſed eadem freti fatorum indulgentiâ prædicimus Autumnum illum, quo FRIDERICA tua magna à nobis Mater; Tu verò auguſto & glorio-

ſo Patris titulo publicis omnium acclamationibus ſaluteris, Cimbricaque iſta Fortuna, quam Te nemo unquam parentiorem habuit in tuto collocetur. Nam quis non omnia fauſta ominetur, cum in ipsâ Tychopoli atque adeò in ipſius Fortunæ ſinu divini operis primordia jacta ſint, ipſis manum jungentibus fatis, ipsâ hîc conſpirante Venere & Fortuna, quæ tamen numina alius uno tantum nomine hîc appellaret, cum nec muniis ſuis diſtincta videantur. Fortunam Homerus, (ut à celebratiſſimo Scriptore Pauſania accepimus) Oceani fecit filiam. Quò fortaſſis reſpexerunt navium in mari fluctantium picturæ, quæ in Templi Præneſtini pavimento conſpiciebantur. Ex eodem originem ſuam trahere Venerem uno omnes ore Poëtæ fabulantur, quo innuitur, quodammodo, quam maritimis iſtis limitibus & Oceani proventibus Fortuna Cimbrica contineatur. Quorſum etiam apud Romanos Veneris & Fortunæ templa fuerunt contigua, quorſum vota ipſi Fortunæ ab amantibus facta? ſerta & corollæ à recens nuptis ſuſpenſæ? Quorſum Cupido alatus illi appingebatur, niſi ut arctius illud Veneris & Fortunæ contubernium indicarent. Sed nos quidem inepti ſumus & levitatis alicujus notam non effugimus, quod à profanis Gentilium ſacris lucem aliquam ſacroſancto huic Amori quæramus. Faceſſat hinc Fortuna, quam inſanam, mutam, brutam, cœcam ſaxoque volubili inſtantem fingunt

gunt Poëtarum fabulæ: nam lynceam, illam perſpicacisſimam, immutabilem & divinam dicemus. Potiori nos jure Te, Sereniſſima FRIDERICA, prodeuntem ex Tychopoli tua Fortunam Deamque veneramur, & omnia illa cognomina, quibus illam veterum ſalutavit ſuperſtitio, Tibi non ſine religione aliquâ tranſcribimus, eodemque ſed convenientiore cultu exornabimus. Age ergo fabricemus nobis ex divina tua imagine fortunæ aliquam ſtatuam. Hanc Bupalus delubris ædiſicandis & ſimulacris fingendis apud Græcos ſolertisſimus artifex Smyrnæis primus omnium ſpecie fœmineâ, capite globum ferentem, manu Amaltheæ cornu tenentem repræſentavit. Nos Fortunam picturi Tuum nobis ſimulacrum fingimus. Orbem illum, quem ad majoris mundi leges incomparabili artificio agitatum inter pignora ſua aſſervat Cimbria, illud ex ære monumentum ipſo ære perennius capiti tuo imponimus: neque enim pedibus ſubjicimus, cum conſtantem Te & immotam velimus. Idem vero Amaltheæ cornu, quod ut Irene in noſtris geſtas inſignibus, dextræ asſimili planè ornatu inſerimus. Te FORTUNAM ſub fœminea ſpecie VIRILEM, cui templum Ancus Martius dedicavit, quod ad Victoriam parandam fortitudinem & viriles animos largiretur, appellabimus: cum nec in Te Heroidum Cimbricarum Virtutes, quæ Romanis & Viris & Viribus non ſine æterno urbis æternæ dedecore,

re, ſuperiores fuere, conſenuiſſe credo; exemplo certè ſuo CHRISTIANUS ALBERTUS teſtabitur, quem vel inermi Tibi victas porrigere manus videmus. Te PRIMIGENIAM propriamque Cimbriæ FORTUNAM, quæ à Serrvio Tullio ejus ut creditur amaſio, cui ipſe quoque thalamos exſtruxerat, nomen illud invenit, nuncupabimus: cumque à gignendo illa ita dicatur, tum maximè, cum primigenius aliquis tuâ in aulâ ludet Aſcanius, iſto Te nomine efferemus. Te PRIVATAM, Te PUBLICAM FORTUNAM, cui publica privataqne omnia dedicamus, à qua omnium & ſingulorum fortuna ſuſpenditur, habebimus. Te cum Pindaro PHEREPOLIN Civitatum noſtrarum Conſervatricem; Te SALUTAREM ſalutabimus, cum hîc ſaluti confirmandæ accedas, tuâque ſalute noſtra contineatur. Te OBSEQUENTEM dicimus etiam cum dominaris, cumque Amor in noſtris obſequiis Tibi imperat. Alii Vitream ſibi fingant; nos Te AUREAM, quæ aurea nobis tempora reducat, quam non cum Imperatoribus Romanis in larario, ſed in thalamo ſuo reponat CHRISTIANUS ALBERTUS. Quod ſi olim LOCORUM FORTUNAS commenti ſunt Romani; Tu ad eorum exemplum non aris tantum noſtris focisque præſidebis; non viarum, ædium; non tuæ Cimbriæ tantum: ſed totius ſeptentrionis, qui tuis amoribus, uno quaſi orbe colligatur, omniumque FORTU-

TUNARUM FORTUNA celebraberis. O faustum illum Autumnum omnibus veris & æstatis floribus coronandum! quâ in tam auctâ & lautâ parte nostra estCimbria! O fortunatum illumJovis diem gemmis & auro notandum!quo Fortuna Cimbrica in FRIDERICÆ AMALIÆ concepta thalamo ad omnem posteritatis memoriam propagabitur. O felicem Veneris illam noctem! quâ nova nobis exorta lux ipsum splendore diem provocavit, omniumque siderum faces exstinxit: quæ efficiet, ne oblivionis nocte CHRISTIANI ALBERTI nomen prematur. O horam illam auspicatissimam! quæ nobis ætatem novam promittit ipsisque in Sponsorum amplexibus integra secula emetitur. O admiranda æternæ sapientiæ decreta! ô arcana Divini Numinis vestigia! quæ in ipsa rerum gestarum serie passim deprehendas. Divino profecto consilio est, quod florentissimâ in ætate, quæ aliis omnium Voluptatum genere diffluit, eo Vitæ statu, quo in immensum excurrere adsolet humana licentia, eo fortunæ culmine, ad quod velut ad metam quandam publicam tot illustrium amorum tela collineant, non præmaturis Cupidinum ignibus ustulari aut inconsulto aliquo amore abripi Optimus Princeps potuerit: sed refrenatis incomparabili exemplo illecebrarum istarum stimulis mediam ferme illam vitæ humanæ ætatem, quam rigidi quidam temperantiæ exactores & tristes Patrui præscribere, nec

ipsi

ipsi servare solent, expectare prudentissimus Cunctator maluerit, quam præcipiti aliquo consilio illuc amores suos dirigere, quò fata non destinârant. Magnum quoque divinæ excitationis argumentum apparet ex eo, quod post longam istam in amore moram spesque omnium solitariis annorum tædiis fatigatas, subito amoris ille ignis ut fulgur aliquod è siccâ nube eruperit, adeo ut omnem suspicandi solertiam præverteret, nec prius, quam re propemodum confecta, fama ad nos perveniret. Quo in negotio divinus ille impetus conspicitur, qui ut moræ impatiens temporum momentis adstringi se non patitur; ita igneas illas & divinas utrinque mentes impulit, ut jam amarent, antequam consilia amandi susciperent, priùs votis suis potirentur, quam id publicè constaret. Dum enim multi alia omnia agi existimant, dum de gravissimis Cimbriæ negotiis vel deliberari vel disputari credunt, ad quæ expedienda magnus ille Principis & Cimbriæ suæ Nestor & Cyneas KIELMANNUS mitti putabatur: ecce statim vestigia ejus insequitur DUX noster SERENISSIMUS, & subitò Amor quasi DEUS quidam è machinâ apparuit, totâque scenæ facie in Veneris theatrum immutata, nihil jam triste vel severum sonat, omnia plausibus complentur, omnia FRIDERICÆ AMALIÆ amplexibus involvuntur, osculis obsignantur. Quasi scilicet eâ re tacitis quibusdam impulsibus totam

Re-

Regiam familiam Tychopolin, jam olim FRIDERICI Regis Amoribus illuſtrem, adire compulerit ſolertiſſimus Amor, ut nova illic ſe præſide celebrarentur comitia, ipſisque Principibus leges præſcriberentur. Intelligitis, opinor, A. quam omnia hîc ſingulari fato fuerint, nec forte quâdam aut incertis caſuum, ſed divinis omnia in Principum amoribus gerantur auſpiciis, quam diverſis & à ſublimiori aliquâ mente incuſſis motibus iſta Heroum pectora præ vulgaribus animis incaleſcant. Neque enim hîc aliquis eandem ludi fabulam exiſtimet, cum Corydon Phyllidos ſuæ amores ambit: ſanctiores multò illæ curæ ſunt, tantumque omnem privatorum ſortem ſupergrediuntur, quantum divini impetus humanas appetitiones & conatus antecedunt. Non ſolet vulgò majorem agere orbis hiſtrioniam, quam in Amoris theatro, in quo ut quis ingenioſius delirat, cumque ratione inſanit, ita belle ſibi feſtivus videtur, & ſcenam quam optimè creditur exornare. Quas enim ineptias otioſus excogitat amator, ut Glycerio alicui placeat? quibus aucupiis & lenociniis inducuntur animi? demulcentur aures? quæ inſidiæ ſtruuntur? quibus cuniculis ſubruitur pectus? Plurimi cum mentis oculis non utantur, ſed cœco quodam affectu in cœcum ferantur Cupidinem, in ſola forma obſtupefacti hærent, cum de ea tamen æquè inter amantes conveniat, atque inter Philoſophos quondam de ſummo bono

no, & ſæpiſſimè Parides iſti, elegantiarum ſpectatores fallantur, dum pro egregiâ aliquâ ſpecie imagines ceruſſatas, & pro Junone nubem, quod ajunt, amplectuntur. Cum illis agi quædam Pygmalionis fabula videtur, qui ut ipſi ſibi ſtatuam confecit, quam miſerè deperire cœpit: ita illi formas ſibi fingunt, quibus ſibi pulchri & ſaperdæ videantur. Illis jam non ſerio, ſed ludo jocoque aguntur amores, nec eorum fructus aſſeqvuntur: quia enim non tam virum quam maritum agere contendunt, egregiè ſibi gratulantur, quod domi alere poſſint aliquas pupulas, ſpeculi conſultas, Melitæas catellas, glires, quibus non tota hyems, ſed totus annus dormitur, quæ domi compresſis ſedent manibus & diem humeris protendunt, cum quibus perpetua celebrare poſſint Floralia. Alibi Mopſo alicui Niſa datur tetricique & fuliginoſi Vulcani thalamum bella quædam Venus aſcendit. Alibi fœtida quædam & edentula anus nitido alicui & cincinnato Narciſſo, non Junonis Cinxiæ, ſed Monetæ auſpiciis, jungitur, & vel ex graveolentibus oſculis bonus lucri odor captatur. Alibi rigido & affecto ſeni juvencula in thalamum deducitur propediem ei funus ductura, & propter ſordidam in amore cauponationem ipſius naturæ leges evertuntur. Alibi ephebi in Venerem catuliunt & cum vix nuces reliquerunt pueri, eas ſpargunt mariti: veriti fortaſſis, ne vel mors illis thalami gaudia, vel extremus dies

an-

antevertat. Multis, queis Veneris illa myrtus non niſi laureis intertexta arridet, per chalamos in Cathedras ſcanditur & tribunalia, ſoliusque ambitus causâ Sponſa ambitur; quaſi vero, quemadmodum Comitum Habſpurgenſium oſcula diſertos facere credebantur; ita uxoris alicujus baſia doctos aut peritos reddant. Scilicet non in Poëtarum tantùm fabulis, ſed nunc quoque viâ lactea in cœlum itur, nec tam ex lucubrantium lucernis quam ex nuptialibus tædis gloriæ faces accenduntur. De iſtis Amoribus, quibus paſſim exardet hominum vulgus, vera ſunt jacta in omnibus Philoſophorum monumentis convitia, qui tamen ipſi in partem aliquam hujus ſtultitiæ ſæpe venerunt, nec ſupercilia ſua & barbas Cupidinum telis ſubducere potuerunt. Illorum, ſi quid rectè judico, Amor morbus quidam eſt, &, ſi Platonem audimus, opinio alicujus boni: ut ſi quis lippus plumbum aurum eſſe exiſtimet ejusque deſiderio vehementer torqueatur. Valeat vero lutulenta illa Venus, quæ, ut è ſpumis nata ſubitoq; iſto fervore ebulliit, poſtquam deferbuit, in ſpumas iterum & aquas dilabitur. Faceſſat hinc cæcus iſte Cupido, quem nos Argum oculatiſſimum in Cimbricis Amoribus ſenſimus. At enim jam olim duplicem aliquam Venerem exhibuerunt ſapientiſſimi veterum Philoſophi, quarum altera Vulgaris plebejis vacat amoribus, ad turpes concubitus irritat, & ſervorum pecorumque

congreſſibus patrocinatur; altera verò Cœleſtis Heroum thalamis miſcetur & ab ipſis fatis decretos amores exequitur. Sanctam hanc appellat Seneca, almam Maro, Parcarum imperatricem Euripides, Omnium rerum genitricem Orpheus, Harmoniam & Uraniam in Bæoticis Pauſanias, Cœli filiam, matre carentem Plato, animam diviniſſimam Plotinus. Hunc amorem reſpicit Aſcræus ille Vates, cum Cupidinem illum ſuum deſcribit antiquiſſimum & pulcherrimum Deorum, quem alii informem mundi materiam diſtinxiſſe & ſuperiora inferioribus connectere docent, quem ipſum illum Deum vocant inſidentem omnium penetralibus, omnium rerum conſervatorem. Quid verò aliud, quam ſupremam illam mentem, ipſum illud æternum numen ſub his nominum involucris intelligamus? quod cum vim quidem ſuam per omnium hominum negotia diffundat, potiſſimum tamen in Principum curis, animis, affectibus ſe exerit, quibus ipſius populi res arctiſſimè implicantur. Propius ſcilicet aliquod & ſublimius divinæ potentiæ cum Principibus intercedit commercium, quam vel ſtupor, vel malitia quorundam capit, eorum conſiliis miſcetur, eorum cogitationes dirigit, per oculos iſtorum prævidet, per manus illorum in orbe hoc operatur: ita ut tota divina ſit & ſanctiſſima illa Principum diſciplina, omniſque illorum vita auſpiciis ſublimioribus ducatur, omnes impetus

præ-

præſentis impulſu numinis concitentur. Quis ergo Principum amoribus Deum neget pronubum? quibus univerſa non ſolum populi ſalus, ſed & aliarum gentium, quas fœdera illa tangunt, ſecuritas ſuperſtruitur, ad quorum genium temporum momenta ſimul cum ipſa fortuna convertuntur: quis non ultra privatorum ſortem æſtimaret? Cum enim Dei vices in terris obeant Principes, ejusque imaginem inter ſuos circumferant; quis non videt, quam ille divini amoris radius majori & pleniore aliquâ luce in propriores feratur animos, qui ſpeculi inſtar primam ejus imaginem recipiunt lucemque reflexam ad nos remittunt. Præterea animus iſte Principum nobis imperantium magis quam in cæteris totus in eam convertitur partem, quam Stoici & Plato imperantem vocant: quare imaginem illam divinam quam proximè exhibent, & à ſenſuum vulgarium contagione immunes Numinis impulſui ſe magis accommodant. Non aliâ quam divinâ illâ mente æthereisque ignibus veſtrûm animi, SERENISSIMI PRINCIPES, agitati fuerunt, & idem illud Numen pectus vobis obſidet, idem in ſvaviſſimis oculorum ſcintillationibus ludit, in amantium vocibus ſonat, inter amplexus veſtros includitur. Non hîc ad Naſonis alicujus præcepta amores exigebantur; non impenſo pretio aut magnis jacturis extorquebantur; non ſalaci opus fuit facundiâ, qua effaſcinarentur animi; non oculi

hîc in amore duces, ut in privatorum amoribus: ſed mentis illa acies & conſiliorum perſpicacitas, quæ aſpectu ſolo non contenta etiam proſpicit in amore, quid ſibi, quid Reipublicæ ex uſu ſit, quid poſteritati. Neque enim oſcula iſta & amplexus inter duos tantum terminantur, ſed cum iſtis totæ gentes totæque civitates eodem vinculo conſtringuntur, eâdemque fœderum religione ſibi obligantur. Nam profecto fœderum illorum, quæ ipſo naturæ & ſanguinis nexu ineuntur, quæ divinis ſanctionibus ſtabiliuntur, major eſt pietas & reverentia: cumque quodammodo æterna dici poſſint, ſi in mortalitatis ſolatium thalami fœcunditas acceſſerit, certior & magis immutabilis eorum eſt ratio, quam quæ fortuitis conventionibus ſolius utilitatis gratia contrahuntur. Quemadmodum ſcilicet ſocietas iſta naturalis, quæ inter patrem & filium, maritum & uxorem intercedit, ſocietatis civilis eſt fundamentum, ſine quo illa non conſiſtit; ita nec ille, qui ſocietatis civilis caput eſt, ſanctiori magisque neceſſario fœdere poteſt adſtringi, quam quod natura, inter conjuges inſtituit. Quod Antiſthenes olim dicebat: Uxorem ducere, deberi & Naturæ & Patriæ, id præ omnibus de Patriæ Parente verum eſt. Quamvis enim in univerſo humano genere cœlibem vitam non toleret Natura, ne tota ipſa tollatur, & communis hominum conciliatio evertatur: quamvis etiam parum diligens Pa-

triæ

triæ civis sit, qui de civitate propagando curam non gerat; parum tamen hinc universæ rerum naturæ vel toti civitati detrimenti exspectandum, si unus vel alter privatorum à re sit uxoria omissior. At ille qui Patriæ Pater audit omnibusq; in illustri loco ad exemplum positus se uno omnes continet, arctiori hîc vinculo Naturæ & Patriæ tenetur. Quod cum bene perpenderent Lydi, eam tulisse legē refert in præceptis connubialibus gravissimus autor Plutarchus: ut necessario Reges essent mariti: quæ tam sanctè observata fuit, ut si vivis excederet Princeps, superstite filio, qui per ætatem imperii gubernaculo jam erat aptus, non admitteretur, quam uxorem duxisset. Quod si forte Regis conjugem mori contingeret; ex eo statim tempore, & quamdiu vacuo in thalamo dominabatur autoritate regiâ imperioque exutus est: quasi præesse civitati non posset, nisi domi etiam suæ & uxori imperitaret. Magna profecto & intolerabilia illa convitia & crimina sunt, quorum reos peragit Romanos solitariam vitam sectatos Augustus Imperator in luculentâ illâ oratione, quam nobis Dio consignavit. Jam Viros esse negat, qui nihil virile exhibeant; jam Civium & Romanorum nomine ne appellare quidem dignatur, per quos, quantum in illis est, Civitas pereat, Romanum nomen exstirpetur. Homicidas vocat, qui illos non gignant, quos nasci ex illis conveniebat: impios, quia nomina & ho-

nores majorum ſubvertant: ſacrilegos, quia ortum gentis, quem à Diis immortalibus traxerant, abolere intendant, templa & aras eorum evertant; cum eos, qui colere Deos debebant, non gignant: Patriæ denique Proditores, quod civitatem diſſolvant, eamque ſterilem & inanem hoſtibus tradere videantur. Quid acerbius dici poterat in Cives, cujus magnam partem vereor, ne quis in ipſos etiam Magiſtratus rapere poſſit, ſi illud naturæ patriæque tributum, quod omnium hominum quam maximè debent exſolvere, publicè mala nomina, intermittant. Quantâ ergo gloria efferendus SERENISSIMUS noſter PRINCEPS? quantis illi nominibus adſtricti ſumus? quod Cimbriæ ſuæ non inviderit illã felicitatẽ quam jure quodam ſuo poſcere videbatur, & vota omnium non tam impleverit, quam ſuperaverit. Eat illa dies in ſecula! in annalibus libris ad ſeram poſterorem ſeriem transmittatur! quo illud Sereniſſimorum Amantium par, magno totius Cimbriæ bono, dextras junxit, quo priorum temporum lacrymæ ex oculis noſtris effinguntur, quo ſecretis malis omnibus adeſt cumulata bonorum complexio. Omnium ſeculorum memoriam occupent veneranda illa CHRISTIANI ALBERTI & FRIDERICÆ AMALIÆ nomina, quibus nihil unquam ſociavit elegantius natura, quorum laudes nullum ſatis ingenium concipiet, linguæ nullæ explicabunt. Quid enim in tantâ tu-

tuâ fortunâ, PRINCEPS MAXIME, quid tanto in rerum culmine à nobis proferri queat, quod non præconia nostra supergrediatur? Si sublimes illæ animæ, à quibus Tu non interruptâ serie descendis, hîc nominandæ: si augustæ tuæ domus splendor, quæ præter cœteros Princeps fortunata, totque prudentiæ & antiquitatis documentis robusta, delineandus; nihil sanè tam magnificum & eximium dici à nobis potest, quin omnem etiam conatum nostrum rerum exsuperet magnitudo. Si affinitates, quibus non Principes solum, sed & potentissimos Tibi Reges habes obstrictos, percensendæ, si denique in omnibus illis, quæ domum tuam Regiis etiam titulis illustrem exornant, habitare diutius, & plena manu illa in astra ferre conarer, non horæ alicujus opera, sed seculi labor esset insumendus, & augustum orationis solum nulla satis facundia emetiretur. Ut verò omnia hæc summa quidem, sed extra Te posita sunt; ita parum ad te pertinere credis, cum malis tuis esse virtutibus magnus, quam alienis; quamvis omnium Majorum virtutes in te non tam alienæ quam nativæ sint, & ita sint singulæ, ut videantur singulares. Ea est in Te earum conspiratio atque societas, ut non una absque aliarum consortio subsistat, omnesque in Te quasi in sacrario quodam ac delubro adorentur: quibus magistris ad vitæ veritatem propius accedis & præclaras illas imperandi artes, quas semper in Te sitas esse intel-

tellefximus. Earum tamen omnium fructum, nec Tu ipſe, nec nos ſatis capere videbamur, niſi pleniſſimam earum poſſeſſionem FRIDERICA AMALIA admiſſa fuiſſet, cujus Tu easdem virtutes eodem jure poſſides, quo Illa tuas, quæ in Te geminæ uno illo amoris vinculo cohærent: ut, cum Illa in Te vivat; Tu in illâ, iidem vos agant impetus, eosdem in animis veſtris thalamos illæ ſortiantur, quibus uberior earum leges ad poſteros propagetur. Aſſurgit ad tam auguſtum FRIDERICÆ AMALIÆ nomen univerſa Cimbria, & velut Helicen aliquam & Cynoſuram Arctoo cœlo lapſam veneratur. Quam ſi nunc præſentem liceret intueri, nemo ſanè dubitaret, quin ipſa Virtus, quam fœmineâ aliàs ſpecie pingimus, quam optimè illâ FRIDERICÆ AMALIÆ habitudine totâque corporis compoſitione noſceretur: Frons ſerena & in placidam exporrecta clementiam inſcriptos ſibi affabilitatis characteres, quos ipſe duxit expreſſitque Amor, oſtentat: ipſa absque ſupercilio ſupercilia gratiſſimâ deprimuntur modeſtiâ & arcum quendam triumphanti in genarum purpurâ Virtuti ſuſpendunt. Iſtis inſidere oculis pro pupulis Charites, & quædam illic reconditæ amorum faces ardere videntur, quibus animos in ſui reverentiam rapit: Pectus iſtud magnæ animæ capax, totaque FRIDERICA AMALIA nihil aliud quam vivam aliquam Virtutis imaginem repræſentat. Ingredere, HEROINA, Cimbri-

briam tuam, non bonis avibus, non felici aliquâ ſiderum compoſitione, ſed tuis auſpiciis, & tui vultus, velut ſideris alicujus afflatu, ſenſibus Te noſtris ingere, omnium animos occupa, omnium amores Tibi obſtringe. Affer in thalamum Sponſi tui divinam illam comptiſſimi tui corporis majeſtatem, cumque ea omnia gentis tuæ decora, omnes Maximi tui Parentis & auguſtæ Matris virtutes. Ingredere arces noſtras, Parnaſſum noſtrum, velut quædam arcium artiumque Dea Minerva. Ingredere ſilvas noſtras Diana, in quibus arbores Dodonæarum quercuum inſtar vocales laudes nomenque tuum ſonabunt. Ingredere rura noſtra & agros Ceres, eosque jam tum omnis generis frugibus fœcundos adſpectu tuo redde fœcundiores. Ingredere denique totam Cimbriam, FRIDERICA, & iſto nobis nomine Maximum tuum & SERENISSIMI noſtri PRINCIPIS Parentem, utrumque FRIDERICUM exhibe, quorum ille præſenti auſpicio; hic, cum jam mortalium rebus exemptus ſit, divinitatis ſuæ interventu res noſtras in ſuo tam genero, quam filio moderentur. Tibi opes noſtræ affluunt: Tibi divina humana omnia nosque totos conſecramus, qui tuis in oſculis amamur, tuis amplexibus implicamur, tuo iſto annulo, quo tuus ſe Sponſus Tibi devinxit, velut arctiſſimo & non interrupto duarum gentium vinculo, continemur. Salve DOMINA! Salve Patriæ MATER! quo gemi-

mino nomine geminus Te noster affectus; hinc Reverentia; illinc Amor salutat, qui animos ad obsequia promptissimos tam variè afficit, ut cum utrumque se debere intelligat, neutrum tamen rectè exequatur. Cum enim adsumus humillimam exhibituri reverentiam, impedit amoris nimii fiducia; cum amorem offerimus, Reverentia sacræ tuæ Majestatis horrore impulsa intercedit. Illa in genua submisso poplite procumbit? hic etiam amplexui tuo se sistere laterique assidere non veretur. Illa vel tertiatis præ metu verbis vix Te compellat, vel solo tantum silentio veneratur, & in ore vultuque tuo acquiescit; hic importunâ loquacitate totum se tibi expectorat, nec aptius aliquod, quam Matris nomen invenit. Sed facile, opinor, amoris vehementiæ ignosces, Domina; Cumque & Tibi Princeps ille Affectuum & Affectus Principum Amor etiam in nostris servitiis dominetur, amoris nomen præferes, Teque uno omnium ore & affectu Matrem appellari Patriæ permittes. Quo titulo nescio quàm pulchrè nobis blandimur, jam animo quasi præcipientes illius diei gaudia, quâ novos aliquos Hectores & Hercules CHRISTIANO ALBERTO tuo largiaris, in quibus Cimbria solatium inveniat, Parens munimentum, familia præsidium & securitatem. Sperabimus ex Te utriusque sexus Principes, Fridericos, Christianos, Adolphos, Amalias, Sophias, Eleonoras, omniaque ista nomina, quo-

quorum æternæ laudes in annalibus nostræ gentis leguntur. Nos interim impatientibus votis, quæ nunc in condito habemus, impellimus illud tempus, quo augustum pectoris onus fiat gratissima ulnarum sarcina, illæ mobiles cunæ perpetuum jaciant Reipublicæ fundamentum, illæ fasciæ certissima imperii pignora custodiant & involvant, blandissimi illi vagitus omnis facundiæ ora recludant, omnium provocent acclamationes. Horum Bonorum omnium, quæ vel possidemus, vel exspectamus, quæque omnia inter se apta sunt & connexa, originem, si à DEO discesserimus, Tibi, Rex Maxime, FRIDERICE, adscribimus, cujus benigna voluntate inusitatoque amore, quo omnes prosequeris Amor & delicium humani generis, effectum est, ut arctiore illo fœdere jungantur, quos ipsa natura & imperii finibus & sanguinis jure conjunxerat: unde nunc non minus nostrûm omnium, quam tuorum Pater salutaris. Non poterant, tuo augusto judicio, fœcundius repullulascere Cimbricæ illæ toto orbe pervagatæ virtutes, quam si eadem in stirpe depacti surculi latius lætiusque se diffunderent, unde uberiores fructus tota Cimbria habeat percipere. Quemadmodum scilicet lucis ille fons & origo sol (cujus quandam imaginem circumferunt Principes) terras istas, à quibus propius ejus absunt radii, magis calefacit, magis fœcundat: ita Tu, quamvis bonitatis tuæ radios quoquoversum

ſum emittas, viciniorem tamen Tibi Cimbriam præſentiore fovere lumine voluiſti. Te Duce (nam vel ipſo tuo nomine pacificum aliquem Numam præ te fers) in FRIDERICA tua, cognomine Filia IRENE illa rerum optima Pax tranquillitasque publica aras focosque defendet, agros mactabit, oppida firmabit, Rempublicam totam nulla jam ſui parte nutantem fulciet, omnium denique animos occupabit, ut nihil relinquatur ſimultatum, omnis ultrò citròque diſcordia exulet, rapta aliovorſum ſtudia reducantur, omnium iniquorum conatus elidantur. Quæ omnia cum apud animum reputo, hoc quoque in negotio DOMINUM illum, qui Tibi in ore ſemper & animo, tuis noſtrisque rebus PROVIDISSE animadverto. Patere, REX MAXIME, ut aliquid, quod non levis quædam adulatio, ſed pietas ipſa expresſit, ediſſeram. Agnoſco Te Regio illo auſpicio propius contingere immortale illud & æternum Numen, quod Majeſtatem tuam ſecundiore armat præſidio; quò magis ſanctioribus adverſus DEUM ſtudiis ſummum illud Fortunæ myſterium mereris, illud imperiorum munimentum, quod ſine armorum potentiâ firmum, ſine armis victoriam, cum armis armorum regimen, pugnandi vim ac virtutem conciliat diſpenſatque, quod non ex cœleſtium orbium vertigine, ſed ipſo ab animo tuo ſuſpenditur. Tu, DOMINE, (ut illa Senecæ, quæ in Nerone malè reſpon-

sponderunt, de tuâ fortuna rectius pronunciem) unus ex tuis placuisti electusque es, qui Dei vice fungatur, in cujus manu fortuna statusque omnium repositi, cujus ex responsis lætitiæ causas populi urbesque concipiant, quorum nulla pars, nisi volente Te propitioque floret. In hac tamen rerum facultate non ira Te ad iniqua supplicia compulit, non temeritas hominum & contumelia, quæ sæpe tranquillissimis pectoribus patientiam extorsit. Nemo unus homo uni homini tam charus fuit, quam tu populo Cimbrico magnum longumque ejus bonum, ut omnibus tuis civibus hæc exprimatur confessio: se esse felices, nihilque bonis illis accedere posse, nisi ut sint propria: ad quam illos cogunt securitas alta, affluens, jus supra omnem injuriam positum, & lætissima Reipublicæ forma, quæ tuas virtutes in Primo Regni herede, incomparabili Filio, inque posteris tuis nunc reddit immortales. Nos sanè illud beneficium, quo Cimbros Tibi universos obstrinxisti, gratâ mente agnoscimus, ejusque consilii DEUM, qui tum Majestatis tuæ animum insederat, in Te autorem veneramur, cujus sanctissimum numen etiam atque etiam imploramus & appellamus, ut Te publico egregio diu superesse velit domusque tuæ tueatur æternitatem. Insonuêre interim omnium acclamationes humillimæque voces eorum, qorum oculis Majestas tua observabatur, quique istam mirati in Te sunt hu-

ma-

manitatem, quod beneficium illud tuum non conferre ſolùm nobis, ſed & afferre decreveris; dum non CHRISTIANUS ALBERTUS ſponſam ſuam, ſed Tu eam in Mariti domum, cum universâ Regiâ familiâ manu tuâ deducis, ipſisque Generi tui ſiſtis amplexibus. Quâcunque incedis, quò oculi inciderunt, viæ magnâ hominum multitudine & gratulatione florentes, applaudunt. Adſunt honeſtisſimi lateris ſtipatores, Cimbricæ flos Nobilitatis, inſignes ad laudem Viri, genere incluti, Marte & arte illuſtres. Occinunt è muris & aggeribus diſploſa cum ingenti fragore tormenta, illa terreſtrium Deorum fulmina, ſed innoxia: Omnes denique viri, pueri, puellæ, ſenes ad tuum conſpectum, velut ad ſalutaris alicujus ſideris exortum, accurrunt, vias obſtruunt, cupidiusque ambientes penè prenſant, penè ulnis ſuis excipiunt, Omnes & Majeſtatem ſummam & miſtam illi communitatem ſuſpiciunt, quâ ita Te blandum & benignum omnibus oſtendis, ut eum demum honorem, quem aliis exhibes, tuum eſſe exiſtimes. Noſtro certe in ſolo infinita beneficiorum tuorum mesſis metitur, cujus ſementem Tu in Patriâ tua feceras: ibi radices illæ defiguntur; hîc fructus illarum uberrimos colligimus. Inter publica iſta gaudia, dum omnes ſtudiorum ſuorum ſatagunt, & quod ſe illis in præſenti tempus dat feſtiva in lætitia degunt, Muſis quoque noſtris nihil votis ſuis prius aut antiquius fuit,

quæ

quæ pro tua non solum, sed & communi domus Cimbricæ, jam uno nomine appellandæ, incolumitate conceperunt; quamvis fortuito illa, ut solet in re subita & immenso gaudio fieri, tam in animo, quam sub manu nascerentur. Nunc tacita & in sinu nostro enutrita lætitia in publicas has voces prorumpit. Gratulamur Tibi, REX MAXIME, de tanto Genero, quem, si vel optio data fuisset, è magno rivalium numero elegisses. Gratulamur Tibi, PRINCEPS SERENISSIME, de tanto Socero, quo nec major Tibi nec fortunis tuis auspicatior obtingeret: & de tali Marita, qua non ipsa Natura, non Virtus quicquam finxit elegantius, nec ipsa tua desideria invenire potuissent. Gratulamur Tibi, FRIDERICA AMALIA, de isto conjuge, cujus fortuna singularesque virtutes ultra Principem abeunt. Gratulamur denique nobis omnibus & singulis de omnibus & singulis, quæ in nobis quasi fasciculo quodam stipata colliguntur. Gratulamur ipsis Musis nostris, quæ in Te, REX MAXIME, Patronum; in Te, DUX SERENISSIME, Patrem; in Te, FRIDERICA AMALIA, Dominam & Matrem inveniunt. Quod si olim Cadmi & Harmoniæ nuptiis etiam Musæ cum reliquis Diis interfuerunt, quorum alii lyram percusserunt, alii tibias inflarunt: ita nec in connubialibus sacris tuis, CHRISTIANE ALBERTE, qui Cadmus quidam & literarum in Cimbria tua propagator jure me-

meritoque diceris, illæ ſilebunt. Erigitur ergo ad publica illa ſolennia Academia tua, quotque hìc in negotia miſiſti literaria, quot hîc tuo beneficio liberalium artium ſtudiis inficiuntur & in hoc ſcientiarum quaſi mercatu bonas literas præſtinant, tuum prodire in conſpectum & hâc te alloqui voce videntur: O noſtræ fundator quietis, ô ſapientiæ inſtaurator, ò Pater, qui ita nos tuis obſediſti beneficiis, ut quocunque pedem ponimus, iis inſiſtamus, in ea incurramus; Hic tibi reſtabat glorioſiſſimæ vitæ actus: Hæ Tibi extremæ partes impoſitæ erant, quæ nunc cumulatiſſimè à Te implentur: Hoc ſummum erat illud beneficium, quod Cimbria tua & tuæ præterea Muſæ ſperare poterant, in quas magna quoque illius fortunæ pars derivatur, quibus integra ab iſto die ſecula naſcuntur, quæ iſtis amorum tædis illuſtrantur: Acclamamus Tibi cum univerſo populo Cimbrico, quod olim Octavio Puteolanum ſuum prætervehenti à nautis & vectoribus coronatis & thura libantibus acclamatum eſt: Per illum ſe vivere; per illum libertate & fortunis ſuis frui. Uno omnes ore omnia bona dicimus & fortunas tuas laudamus & quantum in nobis erit, memoriæ conſulemus poſterorum, ut tantum illis exemplum ne ſubtrahatur. Nos interim varia tua beneficia, quæ majora ſunt, quam ut diſſimulari debeant, in intimum pectus depangimus, in quo velut perpetuis quibusdam tabulis nomina noſtra

pa-

patebunt magno tuo Nomini obstricta. Quæ inter penates & domestica Numina in Muséis nostris tua hactenus culta imago est, non solâ amplius conspicietur, sed FRIDERICÆ Tuæ juncta adorabitur, à quarum gemino conspectu tenebræ nostræ & umbratica studia illustrabuntur, quarum vultibus, velut testibus quibusdam & hortatoribus in spem æternitatis arrecti, per scientiarum hoc curriculum, velut quædam Circensium spatia, sine tædio circumducemur. Procedunt & ordine insequuntur Divæ, quot hîc in novo hoc sacrario tuo inquilinas constituisti, inter quas prima comparet purissima syndone vestita RELIGIO, quæ Te, CHRISTIANE ALBERTE, Defensorem veneratur, inque Te & dulcissimâ Conjuge sublimes illas virtutes, quæ nos recta via ad beatissimam superorum sedem ducunt, admiratur. Illa est, quæ dextras jungere jubet: illa fœdere amoris ante aras suas vos devincit: illa amores vestros Amori Divino commendat, ad quem velut ad Helicen aliquam & Cynosuram illi convertuntur: illa pro vestra salute ferventissimas DEO preces allegat: illa sanctissimas voces, quas in ipsa rerum natura æterna lege recondidit DEUS, occentat; CRESCITE ET MULTIPLICAMINI! CRESCITE! ut per omnem seculorum memoriam stirps vestra in immensum excrescat. CRESCITE fortuna, viribus, opibus, animis, in æterna Patriæ incrementa. MULTIPLICAMINI! ut

qui populos tenetis imperio, populos integros in posteris Patriæ gignatis. MULTIPLICAMINI! ut omnium salus, quæ in geminis vobis consistit, in omnibus multiplicetur. Prodit hinc ASTRÆA cumque eâ tot justitiæ sacerdotes, qui cum doceant, quomodo jus cuicunque suum tribui debeat, ita nunc ipsi vobis votorum suorum tributa tribuunt, laudantque in vobis & exoptant illam à Justiniano suo laudatam philosophiam, quæ humano generi immortalitatem artificiosè inducit. Gratulantur illi sibi Patriæque, quod hoc individuo inter vos vitæ consortio utriusque Cimbriæ populi socientur, quod ista divini atque humani juris communicatione, divina humanaque jura omnibus conserventur. Succedit HYGIEIA amorum vulneribus, quæ Cupidinum tela fecerant, medicinam factura, sed bonis verbis & carminibus, quorum hîc magna est efficacitas, & FRIDERICÆ AMALIÆ aliquando obstetrices manus admotura. Illa Te CHRISTIANE ALBERTE, summum ex hoc conjugio Patriæ Medicum vocat: quod, ex quo vulnera ista priora consanaverunt, præsentius saluti publicæ servandæ remedium adferre vix potuisses. Neque à Te, illâ judice, velut à Medico valetudinis publicæ tantum, verumetiam ut ab Aliptis, virium & coloris ratio habetur: ut jam non salva tantùm nobis sit Patria, sed & pingui illo & affluenti otio fruatur. Illa morbos, quantum poterit,

à vobis proſcribet, perpetuam vobis & robuſtam ſanitatem largietur, & ſi quod immortalitatis parandæ pharmacum excogitari poſſet, illud non invideret. Ultimo denique loco noſtra comparet SOPHIE, pulcherrimarum ſatellitio Divarum cincta, quæ catenis ſuis, quas pro inſignibus gerit, vos illigat, ut quos commune duarum gentium tenet vinculum, commune artium quoque vinculum nobis obſtringat. Inter ejus ſatellites primam ſe exhibet illa quæ ultra naturam abit ſcientia: quæ ut à ſenſibus vulgaribus quam longiſſimè abeſt, & inter Socraticas nubes ſummasque rerum ideas verſatur tota: ita, cum in vultuum veſtrorum contemplatione defixa hæret, humana vos tranſcendere, & divinarum ſeparatarumque mentium indolem & felicitatem accedere crederet, niſi Amor conjungeret, & mortalium rebus ſuperi vos non inviderent. Ideas tamen Pricipum & Virtutum omnium in vobis & communem aliquam populi naturam ſingulatim collectam videre ſibi videtur, quam, quia pluribus ineſſe apta nata eſt, in ſeros nepotes extendi velit. Nec jam rerum Domina illa vocari valde expetit, cum vobis rerum Dominis quos ſibi ſumpſit titulos pleno jure tranſcripſerit. Nec in vobis tria illa, quæ in rebus omnibus requirit, deſiderat: quos Amoris illa UNITAS adunat, Virtutum VERITAS jam perfecit, fœcunda denique BONITAS, quæ ſe ipſo non contenta totam ſe aliis impertit, in

civium amorem, in prolixæ denique posteritatis curam impellet. Adest hinc illa Naturalium rerum contemplatrix Doctrina; quæ cum de vobis philosophari instituit, ad Empedoclis præcepta omnia exigit, cui Amor primum facit omnium rerum principium; Litem verò (alterum illud) ex illustri hâc Amantium Scholâ, ad Sauromatas usque & Indos, imo ultrà Naturam ablegat. Illa tædas vestras ignibus suis auget, auris inspiratis ventilat. Illa ex hortis suis flores spargit, è sylvis laurea serta vobis suspendit, thura adolet, odores adhalat, è terræ visceribus vectigales gemmas eruit, ex aquis uniones piscatur, omnes denique sinus suos excutit, quæque in imis recessibus abdita habet, protrahit, ut muneribus suis vos impleat. Vacuum enim, quod semper abhorret, etiam ab aula vestra, ærario, thalamo, cujus propriores habet curas, proscribet. Quæ Morum philosophiam profitetur, non alias Virtutes quærit, quam quas felicissimo connubio in toros vestros pro dote uterque adduxistis, quæ laudatissimâ illâ mediocritate non consisterent, nisi in summa hæc pectora incidissent. Illa pro faustissimis amorum auspiciis summum illum Finem, maximum illud bonum, quod individuam illam corporis animique voluptatem secum trahit, quodque in FRIDERICA Tua, velut virtutum quâdam parente consecutus SERENISSIME PRINCEPS, es, gratulatur. Architectonica illa & imperatrix Disci-

ſciplina tota veſtra eſt, quæ præſidium ex veſtro thalamo, cui univerſa Reipublicæ cura ſuperſtruitur, exſpectandum eſſe docet; in cujus, ut ita dicam, territorio FRIDERICAM ipſo Principi imperare, ipſis in oſculis decreta figere, ipſis in amplexibus leges præſcribere jubet. Quæ in numeris & menſuris occupata eſt, Matheſis veſtrorum quoque amorum init menſuram, quorum tantam illa æqualitatem obſervat, ut omnibus abſoluti numeris dici poſſint; quanquam in virtutum veſtrarum finibus ponendis de defectu artis conqueratur. Neque enim tam in cœlo quam in frontibus veſtris feliciſſimos illos adſcendere adſpectus videt, qui animos quaſi faſcinant, inque eos ſidereâ quadam vi influunt: in oculis veſtris ipſa habitare aſtra credit, quæ ſalutarem illum Patriæ ſuæ fulgorem ſpargant. Si inſpectis cœli tabulis de Veneris compoſitione pronuntiandum; illam ſeptimi domicilii, (quod vocant) ipſiusque conjugii auſpicatiſſimi præſidem inveniret: quæ omnia magnopere augur aliquis jactaret, niſi ab iſtâ, quæ in thalamum CHRISTIANI ALBERTI deducitur, Venere, certiora, quam à Bactrianorum fabulis & imaginariis Planetarum dominiis, auſpicia exſpectaremus. Illa omnes vos in amore lineas, omnia tuliſſe puncta lætatur, amplexuum veſtrorum helices metitur, ad votorum veſtrorum amuſſim fortunæ dirigi rotam cupit: illa teretes vos & rotun-

dos videt, quales Viros bonos (quidni & matronas?) Venusinus esse vates voluit: illa famæ vestræ & triumphanti in vobis Amori pyramides eriget: annos nobis detrahet, vestris apponet, ut ex singulorum vitis integra vobis secula colligantur, infinito bona omnia numero admetietur, &, quod sola potest, in vobis omnia omnibus demonstrabit: si demonstrari debent, quæ media in luce posita, omnium patent oculis, nec tenuissimi nostris coloribus vel umbris illustrantur. Non abest ex illarum numero omnium famula, Dialectica, quæ quamvis extremum occupare soleat; audet tamen, sed sine solœcismo in ipso petere Principe principium: & quamvis in privatorum conjugiis contingere casibusque subjici plurima videat; hîc tamen omnia necessariis fatorum rationibus ex se invicem cogi sentit; in immenso autem amore vestro definiendo, nihil operosis artis suæ præceptionibus juvari se intelligit. Illa copulâ sua vos necteret, nisi ea quæ inter vos intercedit, firmior esset, quam ut istis verborum vinculis indigeret: vehementer autem sibi plaudit, quod pulcherrimam enunciationem: CHRISTIANUS ALBERTUS AMAT: Famam sonare docuerit, quæ brevissimorum verborum exiguo spatio multò continet maxima bona, quæ in omnes diffunduntur. Quorum omnia genera de vobis universè affirmat, cum nihil vobis ipsa negasse Natura videatur. Quia verò in illu-

ſtri veſtro conjugio ſummâ omnia ratione aguntur, ratiocinationi cuidam illud comparat; quæ cum ita inſtituatur, ut poſitis quibusdam, diverſum aliquod ſequatur: ita ex uno compoſitis thalamo, CHRISTIANO ALBERTO & FRIDERICA AMALIA, aliquid ab illis diverſum, præclaram aliquam ſobolem, magnum Patris incrementum, magnum Matris delicium elici nimium quantum exoptat. Non defuerunt quoque ſtudiis ſuis Hiſtoria & Eloquentia, affines Divæ, quæ cum pene ſolæ Principibus ancillentur, conſiliis eorum familiarius ſe miſceant; nec à thalamis Principis ſui hîc diſceſſerunt. Illæ calamos & linguas in laudes veſtras aptabunt, è noctibus veſtris integra ſecula contexent, omnique cavebunt opere, ne nocti ſuæ illuſtria in vobis exempla permittantur. Et neſcio, an non magnæ matres dicendæ ſint, quæ vos in ipſo æternitatis thalamo ad omnem ſeculorum memoriam concipient, dum vos in veſtro magnas Patriæ ſpes concipitis. Tandem & Poëſis magnorum pediſſequa Heroum, meritis ſuis amores includere veſtros conatur pedibusque celerrimis approperans alta voce exclamat:

Pande Muſa, pande montes,
Et ſacros reclude fontes.
Sparge rores, necte flores.
Et ſonoras tunde chordas.
Vos Amores ventilatas

Hinc & hinc movete tædas,
Hinc & hinc movete pennas,
Hinc & hinc ciete plausus!

Gratiosa CHRISTIANO FRIDERICA *jungitur*
Euge! nunc lætissimorum
Advola corona Cimbrûm,
Maximoque FRIDERICO,
Qui suâ descendit Arcto,
Et tuos salutat agros,
Et tuas invisit urbes,
Poplites submitte flexos,
Supplicique plaude dextra.

Magnus ecce! CHRISTIANO FRIDERICUS *jungitur.*
Magna salve FRIDERICA,
Fonte tincta Gratiarum,
Et novem decus Dearum,
Aureo serena vultu,
Regio decora cultu,
Igneis micans ocellis
Cimbricas accende flammas,
Cimbricos ascende lectos.

Ecce! nunc in CHRISTIANO FRIDERICÆ *jungimur.*
Lux amœna, Lux serena,
Ter quater beata salve,
Consciis statuta fatis
Maximis sacrata Divis,
Omnium petita votis,
Fulgidis notata gemmis,
Mollibus revincta myrtis,

O

Omnibus festiva vicis.
Tu reductam nunc perenni jungis Arcton vinculo.
Nox venusta, Nox benigna
Ter quater beata salve,
Luce nunc illustris ipsa,
Cimbricis micans ab astris,
Omnium fœcunda votis,
Omnium facunda linguis,
Osculis signata tantis,
Regiis serena tædis.
Tu novum reducis Orbi Cimbtico nunc seculum
Vive! Vive! Par beatum,
Et toris nobis ab istis
Mille nunc toros refunde,
Mille funde CHRISTIANOS,
Mille funde FRIDERICOS,
Mille nobis conde secla
Mente nunc vovemus unâ.
Ore nunc sonamus uno:
FRIDERICE, CHRISTIANE, FRIDERICA Vivite!

Hæc illa effusissimo gaudio, intermistisque jubilis cecinit, quæ Tu jurata ejus Soror, Musica, (nam & Te in aliquam ejus festivitatis admitti partem æquum est) svavissimis exprime concentibus: Illæ vero non perituræ utique voces non aures tantum nostras circum sonabunt, non intra parietum horum includentur augustiam, sed omnium diffundentur linguis, ominium animis circumferentur.

De Intemperantiâ in Stúdiis, & Eruditorum, qui ex eâ oriuntur, morbis,

cum magiſtratum Academiæ Kilonienſis adiret, menſ. April. 1669.

QVando in religioſiſſimo hoc loco, in ipſo Æterni Numinis conſpectu, in iſto Illuſtrium & doctiſſimorum Virorum conſeſſu, in hoc ornatiſſimo ſuggeſto me verſari intelligo; qvando ſacroſancti jurisjurandi, qvo me modò obſtrinxi, animo recurrit memoria; qvando hic mihi ſceptrorum ſplendor objicitur; qvando epomidem iſtam purpuream humeris meis incumbere ſentio: is mihi animum religionis horror perculit & conſternavit, ut ille, qvem hac in ſede conſiſtere, & apud vos eſſe videtis, vix apud ſe eſſe videatur. Quoties pallium hoc, Auditores, qvod ſeptem Clariſſimorum Virorum & nuper admodum Clariſſimi mei deceſſoris humeros digniſſimè ornavit, mihique jam octavo circumponitur, intueor; toties ab illo ruborem in genas mihi reflecti ſentio, ut qvod honoris habetur ſymbolum, idem qvoqve ſit perpetuum pudoris mei documentum. Neq; ſanè me fugere tenuitatis meæ conſcientia poteſt, quam res ipſa, ut ego non profitear, loqvitur, & cui magnificis cum nominibus non us-

usqve adeò convenit: neque ſi muneris mei partes reſpicio, Is ſum, qvi ſceptris debeam admoveri, ad gratisſima Muſarum mearum vincula potiùs condemnandus: qvibus ut ſolvi me ægerrimè aliàs fero, ita nunc qvoqve ab earum complexibus, ad inſvaves occupationes, nolim facilè, ſi per me ſtet, abduci. Ac qvamvis nihil horum attendi abs me debere aliqvis arbitretur: erant tamen cauſæ profectò gravisſimæ, qvas nominare hîc non attinet, ob qvas dignitatem illam deprecaretur aliqvis, & in beneficio reputaret, ſi ad alios devolveretur. Veniebat & hoc in mentem, qvod, cum tantâ diligentiâ & fide omnia geſſerit Clariſſimus Deceſſor meus, nihil mihi videam ampliùs, qvàm ſummam æmulandi difficultatem relictam. Verùm qvando meo hîc ſtare arbitrio non permittitnr, dum & Serenisſimi Principis ac Clementisſimi Domini noſtri auſpiciis, & veſtra Academici Patres voluntate, munus hoc mihi imponitur: age ergo jacta eſto alea, & divini Numinis gratiâ, Clementisſimi Principis noſtri auxiliô, veſtro autem Patres Academici conſiliô, pronvinciam hanc tàm arduam ſuſcipiamus, proqve virili noſtrâ ornemus. Aderit conatibus actionibusqve noſtris, qvem ſubmisſis precibus ſimpliciter nunc apello, æterni ſui Spiritûs afflatu Deus Optimus Maximus; qvæ ſanctisſima ſpes animum mihi contra quascunque difficultates erigit & confirmat: Solatur prætereà veſter qvoqve favor & bene-

vo-

volentia, quæ ſub onere hoc titubanti prudentiâ ſuâ & conſiliis ſubveniet: ut hoc mihi defenſore, his conſultoribus nihil magnoperè metuendum eſſe videatur. Cùm autem ex antiqvo more boni ominis gratiâ aliqvid ſit dicendum, qvod ab inſtituto non ſit alienum, vel eâ in re ad Te Deceſſorem meum, Vir Clariſsime, qvem invitum adeò ab hoc loco dimitto, reſpicere, tuaqve legere veſtigia volui, ita tamen, ut ea, qvæ marum ſint partium eâdem operâ involvam. De Intemperantiâ & morbis dicturus ſum, qvorum ad Te ſpectant negotia, qvod ut de tuo mihi liberaliſsime concedas, eſt qvod etiam atqve etiam peto: ſed de iis tamen, qvæ à ſtudiis oriuntur. Eâ verò parte magis ad me pertinent; qvanqvam & veſtras interdum manus poſtulant, cùm non pauci inter illos ſint, qvi helleboro veſtro; multi, febres præſertim, & hinc orientia ægriſomnia, venæ ſectione indigere videantur. De qvibus cum pro exiguitate temporis dicere apud vos cogito; video qvidem qvàm multa mihi præterire, aliqva vero curſim exſeqvi neceſſe ſit, & in iis tamen ipſis explicandis qvantum ingenii mediocritas ſuccumbat; niſi humanitas illa veſtra, de qvâ (neqve enim nutus veſtri me fallunt) jam ſecurus mihi eſſe videor, Orationi audaciam, audaciæ veniam promptiſsimam largiatur.

Qvotiescunque in mentem venire ſolet illius temporis, qvo frugalitatem Reip Romanæ o-

olim Cæſarum luxus excepit, & ſimul penſius mecum conſidero, qvàm penè eadem habuerint fata literæ & bonarum artium ſtudia: toties luculento exemplo didici, qvod & prudentisſimis qvibusqve & ſagacisſimis crebrâ animadverſione perſpectum eſt, ab ipſo temporum ingenio, & ætatum inclinationibus, tum animorum, tum conſiliorum & literarum momenta ſuſpendi. Nam ſanè qui communis erat rerum omnium morbus, ipſiqve propemodum inteſtinus ætati intemperantia, ita arcanâ qvadam virulentiâ etiam animos omnium afflârat, ut ubiqve caput exſerens, nihilqve intactum relinqvens, ex cogitatis omnibus eluceſceret, ipſis in verbis atqve adeò omni in doctrinâ deprehenderetur. Eadem verò tempora nobis jam eſſe reducta, nemo ibit inficias, poſtqvam expulsâ pridem ſuperiori ætate barbarie & ignorantiâ, quæ cathedras & ſubſellia occupaverat, nova aurei cujusdam in literis ſeculi felicitas effulſit, qvæ nunc eadem per veſtigia relabi, & à culmine ſuô in qvo conſtiterat incipit dimoveri. Cujus rei aliam nunc, qvàm qvæ tum fuit, cauſam nominare neſcio, ſciendi ſcilicet qvandam intemperiem & doctrinæ luxum, vires & exemplum à communi ſeculi noſtri malo capientem. Qvemadmodum enim, poſtqvàm à priorum temporum ſobrietate & temperantia deſcivimus, nihil eſt eorum, qvæ ad vitæ commoditatem ſunt inſtituta, qvod non ſtultitiam aliqvam immani ſumptu

ptu patiatur, ita nunc qvoqve cum ſtudiis comparatum eſt, ut nihil placere poſſit, niſi qvod ſuperbâ aliquâ ambitione, & plus qvam meretricio fuco coràm ſeculo nauſeabundo comparet. Non ſufficiunt jam ædificia, qvibns contra aëris inclementiam nos muniamus, niſi oppida intra domos exſtruamus, quæ magnâ ſui parte ab oculis tantum habitantnr: Non corpus modicâ nec indecorâ tegere veſte placet, niſi laciniis diffluat, niſi aurô illuſa undiqve ferreo ſeculo ruborem incutiat. Qvando apud magnates menſa inſtruitur, non ad cœnam ſed ad ſcenam accedere videmur, tot dapes velut in orcheſtram prodeunt, & palato noſtro qvaſi qvædam fabula pararur, cui ipſa rerum elementa fiunt tributaria, & non rarò ipſa hominum pericula apponuntur. Simillimis profectò nunc apud plurimam literatorum partem moribus vivitur, poſtqvam ſimplex illa & infucata animi cultura è medio ſublata, & liberalia non ſolùm ſtudia, ſed omnes vitæ civilis exercitationes contagio hoc laborare cœperunt, ut nihil penè jam amplius virtutis & artium veritate honeſtateque, ſed per officii qvandam ſimulationem omnia gerantur. Quis non in exiguâ & minutiſſimâ etiam ſcientiæ parte, vel ampliſſimè ſe habitare, & vel orbem poſſidere exiſtimet, qvi vix literarii pulveris pugillum teneat? Qvis non purpurâ ſuâ aut ſplendidâ aliquâ togâ omnem ſe involvere & qvaſi in ſinu gerere doctrinam putet, cujus tamen nudi-

ditas è miserè cohærentibus centonibus undiq; prospectat? Qvis non robustos etiam & solidos sapientiæ cibos devorâsse aut concoxisse sibi videtur, qvi lacte vix nutriri incepit? Adeò scilicet pervulgata illa vitia literariam qvoqve Rempublicam infestant, & animos occultis qvibusdam cuniculis irrepunt; qvibus remedia sunt omni conatu qværenda, anteqvam illa validius contrà medicam manum insurgant: qvanqvam illam jam nunc vix agnoscere videntur. Qvandoqvidem verò morbum nosse suum nec dissimulare prima ad salutem via, Medico autem accuratiùs illum inqvisivisse, præcipua curationis pars est: nihil quidem aliud nos nunc agemus, qvàm ut propiùs eos excutiamus literatorum morbos, qvi ex sciendi quadam intemperie suam trahere originem creduntur, medendi operâ illis ipsis relictâ, quibus eos eorumque causas ob oculos ponimus. Est enimverò, ut in corpore humano, ita & in animo & literario orbe intemperantia omnium, quos nominare qvidem possumus, morborum causa, qvi non aliò qvàm hoc fonte derivantur. Hujus intemperantiæ, quod mireris, princeps causa est ipsa jejunitas, & profunda quædam rerum & studiorum inter se connexorum ignorantia: qvæ cum animum, qvi per hunc scientiarum orbem circumduci debebat, obsidet, uni alicui arti ita affixum tenet, ut præ immodico in illâ studio cæterarum hujus orbis partium oblitus, angustis unius

ter-

terminis omnem ſapientiam metiatur. Nam cum primum non niſi uno & ſimplici nomine appellaretur omnis divinarum humanarumq; rerum ſcientia, nunquam defuerunt præclara in gloriam ſeculi & publicam ſalutem nata ingenia, quæ ſimplici & planâ viâ ad ſapientiam graſſantes, eam integram & incorruptam minori negotio occuparunt, quàm qui nunc in aliqvâ ejus particulâ ſibi vindicandâ tàm operosè deſudant, totqve in diverticula à regiâ viâ diſtrahuntur & penè diſcerpuntur. Nunc autem cum Reſpublica literaria in ſuos qvaſi ordines & tribus diviſa, & velut agrariâ lege aratroqve circumductô ſuis ſingulis artibus poſſeſſores certiqve domini ſint asſignati, ſinguli ſuâ qvaſi qvadrâ vivant, & ſuas ſibi res habeant, accedente imprimis ambitione, in factiones & partes dilabuntur. Innata ſcilicet & hac in re animis noſtris eſt dominandi libido, nec facilè ullus eſt vel exiguæ etiam artis doctor, qvi non illam præ omnibus efferre contendat, & inter partes officii ſui numeret aliis eam anteferre. Si Grammaticos, ſuperbisſimum hominum genus, interroges, multos hîc Palæmoni ſimiles invenias, qvi ſecum natas ſecum morituras literas impudenter aſſeverent, & vel alios in ordinem redigere non vereantur: totam autem Philoſophiam rectiùs longe Hiſtoricorum & Poëtarum, qvos manibus aſſiduè terunt, qvàm Ariſtotelis & Platonis libris doceri dejerabunt.

Phi-

Philoſophus ſibi ſapiet, nec alios facilè in aliqvā ſapientiæ poſſeſſionem admittet, Oratorum & Poëtarum pigmenta ſpernet: Hi verò ut barbarum averſabuntur. Theologus alto ſupercilio deſpiciet reliqvos. Jurisconſultus ſolum ſe, ſi Ulpiano credimus, geret veræ nec ſimulatæ Philoſophiæ affectatorem, & cum L. Craſſo apud Ciceronem omne diſciplinarum & artium genus duodecim tabularum legibus, ſi Diis placet, ſtatuet contineri. Atque has oriri ſimultates & liticulas neceſſe eſt, cum per familias ſuas diſtincti ſuis vivunt auſpiciis, & ut vaſtius habeant imperium, limites proferre, & vel aliunde rapta & qvomodocunqve corraſa, rebus ſuis, nimiâ ſciendi intemperie, in immenſum adjicere laborant. De qvibus omnibus nunc preſſius nobis eſt & accuratius per ſingulas partes agendum. Quemadmodum autem bifariam conſiderari ſolet omnis doctrinæ artiumqve ratio: nam vel ſola in rerum contemplatione defixi, intimæ veritatis imaginibus animos paſcimus, vel ipſo in exercitio & operatione verſamur: ita utrobiqve mali vis ſe exerit lateqve propagata omni ex parte diffunditur. Porrò aliæ ſunt artes, qvæ viam ad rerum ipſarum cognitionem ſternunt, & ſciendi inſtrumenta Philoſophis ſuppeditare dicuntur, quarum cum prima ſoleant eſſe ſtudia, primâ hîc peccatur intemperantiâ. Plurimos enim videas his rebus affixos in ipſo limine non ſinè aliquâ an jucunditate, an ſtu-

pore totâ penè vitâ suâ hærentes, similes fabro, qvi de instrumentis sibi comparandis mirum in modum sollicitus, non ut eis aliqvando utatur, sed ut illorum aspectu vel possessione solâ sibi gratuletur. Agmen eorum ducunt Grammatici, in sermone elimando occupati, magno semper in pretio habendi, si rem suam agant, nec aliorum limites invadant. Verum nulla doctrinæ pars nugarum est feracior, ob doctorum suorum intemperiem, nec in solentiorem in cæteras dominatum affectat. Quia enim dum verborum apices in omni scriptorum genere venantur, multa illis hæret rerum, sed confusa admodum notitia, quâ deinde turgidi omnibus se controversiis perpetui Dictatores ingerunt, nihil sibi impervium, nihil tam sublime habent, qvò pertingere sibi nõ posse videantur. Satis opinor intelligitis A. de qvibus loqvor: Critici illi sunt & Antiqvarii, sed semidocti & minorum gentium (neqve enim Erasmos, Grotios, Scaligeros, Vossios aliosque Heroäs hunc in censum refero) quorum de superbia tot sunt eruditorum qverelæ, qvibus nunc aures vestras nolo obtundere. Scilicet hi Reges sunt illi & Principes, hi Lexicorum Imperatores, quorum nutu gubernantur omnia, & qvi unicè ab omnibus observari volunt: Cumque jam Romanum exspiraverit in Imperatoribus imperium, ad se unà cum lingva illud hæreditario qvodam jure pertinere putant. Nihil ab istorum aliqvo qvæsi-

ve-

veris, ad qvod nō reſpondeat, aut Grammaticis tricis involvat, ne aliqva, etiam illa qvæ non ſunt, neſciviſſe videatur. Non alios etiam ſcriptis orbi erudito ſe oſtendunt, in qvibus ad minutiſſimas usque minutias, è ſeculorum tenebris inſanâ ſed obſcurâ diligentiâ erutas deſcenditur. Qvod qvidem non ſic accipi velim, qvaſi antiqvitatis ſtudia, qvæ nemo niſi barbarus averſatur, improbare contendam, qvi ipſe eas magni ſemper habui & aliis commendare conſvevi: ſed modum in eâ re eſſe tenendum, & hanc intemperiem coërcendam ſtatuo: ne dum illam judicii vim, qvæ inutili illo labore non leviter affligitur, in rebus exiguis, & ad bonam mentem nihil profuturis exhaurimus, tum cum illa in ſeriis promenda eſt, à nobis ipſis deſtituti ab aliis aptiora ſentientibus rideamur. Annon diligenter conqviſita ſunt & religiosè ſervantur monumenta etiam viliſſima, nummulorum, lapidum? Annon immenſi de ludis, circis, nuptiis, funeribus libri conſcripti ſunt, è qvibus, cum opus eſt, ad ſatietatem petere iſta licet, ut profectò inanis & ſuperſtitioſa ſit opera, illis inqvirendis immorari. Quid enim in fece & rubigine antiquitatis ætatis noſtræ animique florem conſumemus, cum tota nobis ſe pandat rerum mater natura, tot ſe offerant rerum priſcis incognitarum inventiones, qvibus operam impendere multò foret utilius & honorificentius. Non poſſunt iidem hunc intemperantiæ mor-

bum dissimulare, cum ad interpretandos autores accedunt. Quàm hîc illos tumultuari, rixari, dubitare, opinari, conjicere, ædificare diruere, quadrata rotundis mutare videas: quã in cumulandis ad qvævis obvia, locis, quos vocant, cõmunibus, cõmunia plurima & tritissima sectari, imò illuc planè nõ pertinentia, nõ sine fastidio animadvertas: ut Bacchi illa κέρνος, in qvo papaver, triticum, allinm, hordeum, pisum, ervum, cicer, lens, faba, avena, carica, mel, oleum, vinum, lac, qvin etiam illota ovis lana congerebantur, legentibus videantur. Et illi quidem homines satis se consecutos esse gloriæ autumant, si ut pro librorum helluonibus ab imperito vulgo habeantur, totam ubique bibliothecam in commentariis ostentent, qvos postquam legeris, ne sensum quidem autoris, qui in tantâ sylvâ anxiè qværebatur, fueris assecutus, animum verò tot rerum indigestarum congerie impeditum planè referas & intricatum. Multi istorum hominum, idcircò, ni fallor, bonos mihi legere autores videntur, ut errata in illis inveniant: qvod per indè est, ac si quis iter ingrediatur, ut scrupis aut lapidibus incurrat. Paucissimos invenias bonos autorum medicos, qvi corrupta restituant, ægra sanent, vulnerata cicatrice obducant: longè verò plures, qvi latronum & carsicum instar integra mutilent, sana & recta contorqveant, & qvemadmodum Procrustes corpora longiora amputando, breviora extendendo lecto

cto suo aptabat, omnia ad ingenii sui vel capacitatem vel angustias examinent vel exaniment. Hactenus illos in domo suâ adorti sumus, viamque etiam in foro suo errantibus commonstravimus; iidem verò infeliciter etiam alieno in regno jus suum exercent. Cùm ex eorum genere aliqvis qvanqvam aliàs cæterorum gloriam eruditione supergressus, in Prudentiæ Civilis arenam descendisset, Regumqve causas egisset, statim animadvertit seculi sagacitas, quàm impares afferret lacertos, nec istis rerum argumentis, qvæ causam hanc satis decerent, pugnaret. De qvo non semel conqvesti sunt Viri gravissimi, qvi alio defensore tempora egere illa, judicabant. Qvoties cum Jurisconsultis manus conseruit, toties medius deprehensus, nunquam sine atroci vulnere dimissus est. Astrologiæ vanitatem cùm diffuso admodùm volumine impugnat, magna tibi certè ex hoc hiatu promittas: cùm tamen si rationum momenta inter se contuleris, vehementer ea corvos ludant hiantes: nam vel è Grammaticorum armamentario deprompta tela, statim ubi figuntur, hebescunt, vel si qvæ rem ipsam ferire poterant, levia sunt, & à scopo, vi ineptæ illationis, aberrant. Qvare, si quidem rebus omnibus se integros incolumesque velint Criticorum filii, aliorum præstantium virorum exemplis, sibi qvid ex usu sit discant, nec temerè aliorum cedant vineta, qvi illis sylvas suas & horrida

tesqva non invidebunt. Temperantius res suas agant, nec aliâ fini, quàm ut gravioribus disciplinis ingenia præparent, sibique & aliis interiora sapientiæ adyta aperiant. Neqve enim sola ista doctos faciunt, sed doctrinæ potiùs fucô animos imbuunt, qvos cum isti ingenii sui acie diu limârunt, deniqve prius atterunt & confringunt, qvàm acuunt, Nec solido aliquo cibo ista omnia pectus saturant, sed putido & ventoso tantùm distendunt: nihil lucis mentibus affulgent, sed tenebris potiùs involvunt, ut si quando in rem ipsam veniendum, si salubrioribus patriæ consiliis subveniendum, noster domi non sit, & in alium orbem delatus sibi videatur. Verum eos tandem ut dimittamus, tempus nobis aurem vellicat, si tamen prius summi literatorum suo seculo Principis J. Cæsaris Scaligeri, de Grammaticorum grege elogium, quod inter carmina ejus reperitur, illis oggesserim:

Plus pœnitet me temporis, quod impendi
In Grammatistas & leves locutores,
Vanas Poëtarum atque perditas nugas,
Quàm barbarorum, quæ leguntur in libris.
Hæc est mearum tota summa summarum:
Stultum ac supinum plumbeique diliri est,
Rebus relictis consenescere in verbis.

Altera nunc me vocat Oratorum classis & Eloqventiæ studia, qvorum in vita communi omnibusque in negotiis sacris, civilibus, familiaribus usus tàm longè lateque patet, ut potissi-

ſimam ætatis noſtræ partem in his cenſeam inſumendam. Nam cum cæterarum diſciplinarum in ſe bonarum & laudabilium uſus interdum intempeſtivus & intemperans in reprehenſionem incurrere poſſit; Eloqventia tamen abs ſe neceſſaria ſemper eſt, & omni in cauſa reqviritur, ut nunqvam poſſit culpari, niſi ab inepto ingenio, nec cum opus eſt, nec cum modo uſurpetur. Nec deſunt (qvam ſingularem qvorundam artem non diſſimulabo) qvi ideò impenſiùs ſermonis ſtudent culturæ, ut, quando ſpeciosâ hac veſte publicè comparent, majorem in omni doctrinæ genere de ſe excitent opinionem, & ſententiarum ſuarum adſtipulatores facillimo negotio inveniant. Ipſe facundiæ parens Cicero vix haberet, cur in cæteris Philoſophiæ partibus magnoperè gloriaretur, niſi qvæ in libris ſuis diſputavit, eloqventiæ ſuæ luce illuſtraſſet. Quod ſi verò vitia, qvæ in Eloqventiam non pauca irrepſerunt, intemperantiæ adſcripſerit aliqvis, non repugnaverim: cum negari nequeat, ſæpè, ut intemperans ſeculum eſt, intemperantes eſſe hominum lingvas, & ultra civilis dictionis ſimplicitatem modò inaniter turgere & diffluere, modò præcipitibus & hiantibus ſententiis frangi: qvanqvam à perverſâ in Scholis informatione magnâ ex parte quicquid eâ in re peccatur, manare certum ſit. In diffuſo illo & ventoſo dicendi genere, qvod plus ſonat quàm ſapit, vix ſalis aliquan-

do micam in toto verborum Oceano reperias, qvæ extra alveum & litora feruntur, & à fine ſuo qvàm longiſſimè recedunt. Quæ non niſi per longas ambages ingenii quodam œſtro ac furore quaquaverſum ſine lege, ſine ordine agitata peregrinatur oratio, ſui faſtidium præmittit, antequam moleſtè exſpectata aures illabatur, ac aërem potiùs flagellare, quàm animos ferire conſvevit. Vidiſtis aliqvando majores illas literas ingenioſi alicujus Scriptoris manu exaratas, qvàm multis illæ linearum ductibus, & qvodam qvaſi labyrintho implicentur, omnique ex parte ceu reticulis qvibusdam obtexantur, cùm poſt anxiam illam ac aliqvot horarum operam, nihil amplius qvàm ἄλφα & βῆτα legatur. Hæ literæ Aſiaticæ Orationis vobis faciem qvàm elegantiſſimè depingent, qvæ verborum magis fœcunda qvàm rerum, cùm diu inani auditores expectatione torqveret, & neſcio qvid auguſti minaretur, tandem ex illa qvædam promit, ſed magno ſermonis apparatu incruſtata. Ex adversâ parte regium Eloqventiæ paludamentum in lacinias conſcinditur, dum coactæ in turbinem ſententiæ, velut fatua qvædam è pelvi fulgura vibrantur, qvæ, cum in animos deſcendere neqveant, ſolis ſenſiculorum qvibusdam illuſionibus detinent Auditorem, & leviter ſui admiratione aures titillant. Unde oritur ea ſæpisſimè obſcuritas, ut Divino potiùs aliqvo in conjectandis ſenſibus, qvam interprete opus eſſe videatur.

tur. Affinis Eloqventiæ Poësis est, sed numero syllabarum pedumqve mensurâ, & dictionis habitu diversissima: qvam parcius attingere, svaserim ei, qvi civilibus negotiis aut aliis severioribus studiis se destinavit. Qvi enim, absque illo impetu, qvo Musarum aguntur filii, ad eam accesserit, magno primùm labore macerabitur, ut versus aliquot componat: qvi si etiam ultrà mediocritatem assurgant, vix operæ pretium fecerit, ut delicati jam seculi plausum mereatur: sin verò ingenitâ quâdam propensione ad poëmata pangenda feratur, videat, ne blandissimâ carminum vi quasi effascinatus illic hæreat, inter ipsas metamorphoses mutatus, vel In campis Elysiis, aut in Parnassii jugis oberret animus, cum in necessariis magis studiis illum habitare oportebat. Non aliam ob causam sapientissimus Imperator Antoninus libro, qvem de rebus suis scripsit, Diis gratias agit, qvod non magnos progressus in Poëticâ fecerit: metuebat enim ne ista studia se præpeditum detinerent. Eisdem fortè rationibus inductus Balzacus, Vir inter Gallos doctissimus, idemque Poëta elegans, in præclaro illo, qvem de Principe patriâ linguâ conscripsit, libro asserere non dubitavit: Quod si, integra aliqua natio Dialectices vel Poëseos morbo laboret, frequentioraque sint Sphærarum & Astrolabiorum, quàm aliarum rerum magis necessariarum commercia, non procul à ruina sua abesse censenda sit. Hæc verò non eò dico,

qvasi Poëtas è literariâ Republicâ planè ejici velim, sine quorum lectione docti nomen nemo tuebitur, & quos viro secretioris prudentiæ arcana rimanti multis modis prodesse posse, certissimum est. Qvin tulit hæc ætas non paucos, Poëtas summos, qui tamen nec ad res gerendas inepti, nec ad illustria munia obeunda ingenio impares accesserunt; sed summâ cum gloria iisdem defuncti fuerunt. Quibus exemplis illorum hominum calumnia facilè retunditur, qui in ipsa scientia, nec potiùs in insano ejus studio ac intemperanti usu, cui prudentior aliquis facilè moderatur, crimen, quod iis impingunt situm esse existimant. Et his tamen imputationibus effici illud solet, ut vel nulla vel mala cultoribus suis bonæ literæ lucrentur præmia, barbari autem & semi docti homines de illis ubique triumphent. Nemo tamen hâc in re, ut autumo, impurum Epicuri os audiet, qui homo minimè bonus & nequam, Poëtas tamen virorum bonorum consortio excludere ausus est, dum viro bono ac sapienti, sed qvem ex ingenio suo informat, omne Poëseos studium interdicit: quo longè saniora sensit Strabo, qui bonum Poëtam, nisi vir bonus sit, fieri posse negavit. Mitto plurima, quæ ad hunc locum pertinere posse videbantur, cum ad ipsam rerum cognitionem, de quâ amplius dicere debemus, nobis sit properandum. Est verò in universum de contemplationis studiis id tenendum, nihil illis esse

divi-

divinius,& ad perficiendam mentem & ſibi ipſi quaſi reddendam præſentius remedium: in quibus tamen, ſi cum modo non verſeris, aut pro veritatis luce ſophiſmatum nebulas, ut ille in fabulis pro Junone nubem, amplectâris, facilè ex inſano illorum amore pro genuinis ſapientiæ ideis notionum centauros & Chimæras, monſtroſos nugarum & impiorum dogmatum fœtus ſis ſuſcepturus. Quin non rarò ipſa etiam innoxia horum ſtudiorum tractatiò multum intemperantiæ adjunctum habet, dum animus à rerum civilium contubernio in ſe ipſum vocatus, & qvaſi carcere qvodam detentus,nunquam liberos ad prudentiæ negotia ſpiritus afferre poteſt. Quare niſi per muneris ſui partes incumbat,vel in honeſto & liberali otio quis conſtitutus ſpernere ambitus ſeculi qveat, nunquam ſvaſerim, ut aliter quàm in quantum ex iis ad utilitatem publicam referre poteſt, in iis verſetur. Hinc inter perdita ingenia à Cardinali Perronio, in excerptis iſtis, qvæ conſignârunt Puteani Fratres,numerãtur, qvæ uni alicui è ſex iſtis ſe applicant, quadraturæ circuli, multiplicationi cubi, perpetuo mobili, lapidis, quem vocant Philoſophici, præparationi,Aſtrologiæ divinatrici,& Magiæ: quod illa omnia hominem ſibi ipſi quaſi furentur, & judicii vim infringant, quæ magis perficiatur in rerum civilium magni alicujus imperii tractatione. Plura his addere potuiſſet inutiliaPhiloſophiæ crepundia,quibus pueri-

rilem in morem multi ſe olim hodieque oble-ctant, Philoſophorum, quibus eò magis inge-nii vis in rerum civilium uſu retunditur, quò ſunt illa ſibi ipſi & oneroſa magis & inutilia. Primatus jure quodam Philoſophiæ, qvam vo-cant, primæ conceditur, quæ quò ſubtilius ab omni materiâ & ſingulari rerum ſtatu abſtra-here animum jubet, eò longius ab aliorum ne-gotiorum commercio peregrinatur. Magna hujus omnem in partem patet vis, perque to-tum iſtum literarum orbem diffunditur, ut u-nà cum Dialecticâ, quæ illi affinitate juncta, & quam proximè hæret à latere illud, qvod in fabulis Poetarum decantatum eſt, Ariadnes fi-lum in rerum cæterarum labyrintho erranti ſubminiſtrare videatur. Superiorum tamen ſe-culorum hominumque in iſtis ſtudiis intem-perantiſſimorum vitio factum fuit, ut illæ dire-ctrices ſcientiæ ipſæ inextricabili labyrintho, qvàm ſimillimæ redderentur: Nam cum ſum-mus Philoſophorum Parens Ariſtoteles lucu-lenter hîc facem prætuliſſet, illi preſſiora ejus veſtigia dedignantes, per diverticula in ſylvas & tenebras dilapſi, ita umbroſis & ſpinoſis du-bitationibus, quæſtionibus omnia involve-runt, ut ſi ſuos ipſe redivivus Ariſtoteles vide-ret diſcipulos, ſeipſum in illis deſiderans non Philoſophos, ſed Scholarum quosdam rabulas & tintinnabula inveniret. Quam enim, Deus bone! ſterilibus & cucurbitariis contentioni-bus immenſa videas impleri volumina! quàm

a-

ætumnosis laboribus de nihilo aliquo scribitur, disputatur, contenditur! ut cum hæc lego, cœnæ Heliogabali adsidere mihi videar, in qvâ fictilia, lignea & marmorea fercula, oculos fortè, minimè verò pectus saturatura apponebantur. Invenimus etiamnum in literatorum numero Domitianos, qui inter religiosa Musei sui silentia, cum tu in mysteriis illos sollicitos suspiceris, non nisi muscas captent & stylo configant. Sunt, qui, ut Heliogabalus ex tota urbe; ita ex omni scientiarum orbe aranearum telas colligant. Sunt Caligulæ, qui ut devictum sibi literarum Oceanum ostendant, inania quædam conchylia in triumphum ducant. Hi tales cum serium nihil sapere aut viris digna agere queant, puerili studio malunt.

Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longâ,

quàm voces viro sapiente dignas promere, consiliis Rempublicam adjuvare, solertissimis inventis vitæ communi succurrere. Et videas tamen non nunquam ad internecionem usque bella illis de re nihili geri, magno ardore nec minore etiam ambitione & fastu, quæ domi non componuntur, sed alias etiam propiores disciplinas simul involvunt. Ad hanc intemperantiam credo respexit Cardanus, cum in libro de utilitate ex adversis capienda de Primæ Philosophiæ studio dicit, quòd hominem faciat ambitiosum, ingenio turbulento & ancipiti, callidum, cæteras disciplinas negligentem; nam

nam verum & genuinum ejus usum nemo sanus his criminationibus impugnet. Cæterum si ex utilitate, quam Vir Civilis inde habere queat, potiùs quàm ex aliâ fini æstimandum sit, paucis, quod Neoptolemus ille Ennianus dicebat, ut hîc philosophetur, autor illi fuerim: nam planè non attingere, & ipsum Viro Civili, quem nihil, quoad ejus fieri potest, ignorare decet, est indignum. Venio nunc ad Philosophiæ naturalis & Mathematum studia, divina, regia, magnifica, gloriosa, quæ non delectant tantùm & perficiunt mentes viri sitientissimas, sed immensâ utilitate suâ, omni in vitâ, omnibus in negotiis se exerunt; siqvidem non intra otiosas tantùm speculationes suffocentur, sed ad operationes ipsas procedant. His fontibus & agrorum cultura, & medendi ars, & si quæ necessitatibus humanis aliæ subveniunt, derivantur. Quò verò major fuit eorum studiornm, naturalis imprimis Philosophiæ, superioribns seculis ignorantia, eò fœcundior intemperantia passim fuit Autorum, qui naturam non tàm è naturâ quàm è cerebri sui angustiis depromptam fastidiosis commentariis magis intricarunt, quàm explicuerunt. Nunc verò cum sentire incipiunt, quàm sit stultum unius autoritate Philosophi, hominis tamen, & sæpè etiam errantis naturæ operationes definire, viam ingressæ sunt, non jucundam solùm, sed & honorificam illustres animæ, quò & rigidissimis per ignem experimentis, &

sa-

ſagaciſſimis obſervationibus Naturæ ſacrarium felicius expugnarent. Neque poſſunt nunc ſtudia illa ſegnius procedere; poſtquam tot, ſolertiſſimi viri in indefeſſam naturæ indagationem Regiis auſpiciis conſpirârunt. Et vidimus profectò intra exigui temporis ſpatium, plus incrementi ſtudia hæc, quàm integris olim ſeculis ſumpſiſſe. Non requiret fortè à nobis aliquis, ut omnia, quæ dici hîc de variis in natura, medendi arte, & matheſi novis obſervationibus & inventis poſſunt commemoremus: nam integris illa libris & annalibus orbi exponuntur, nec modicâ aliquâ oratione poſſunt, comprehendi. Malim quoque aliis varios illos errores, ex ſciendi intemperantiâ illis in diſciplinis ortos, diſcutiendos relinquere, præſertim cum infinitus eorum numerus ſit & magnis voluminibus à ſcriptore non uno detegantur, quàm hîc nimis multus inveniri. De Chimico & Aſtrologico ſtudio multorum voculas audire mihi videor, indignius, quàm par eſt, ea tractantium; nam reperias etiam nunc nonnullos, ſtupore neſcio an malitiâ omnem Chimicam, artem improbantium, quibus & aliàs & nunc quoque à doctiſſimo Daniæ Medico ſatisfactum arbitror. Aſtrologia, inprimis illa, quæ circa hominis temperamenta, morbos, agrorum proventum & ſimilia verſatur, non adeò incerta eſt, totque documentis probata, ut in naturam iniqvum oporteat eſſe, qui aliter ſentit: quamquàm is, qui è Philologorum numero in-

infeliciter Aſtrologos adortus eſt, ne quidem temporum illas variationes, fluxus & refluxus maris, incrementa & decrementa humorum ſideribus adſcribere velit, qvæ ſanior tamen aliquis vel manibus palpet. Verum hæc, quæ dico, nolim tamen eò quis rapiat, ac ſi ſuperſtitionum quarumcunque ſuſcipere in me patrocinium velim, à quâ culpâ non abeſſe video Morinum Gallum, facundum cœteroquin & doctum Aſtrologiæ defenſorem, qui eo in libro invictam illam Guſtavi Magni fortitudinem, non tàm animo ejus excelſo, quàm gladio, quem ſub certâ ſiderum compoſitione fabricatum, variisque Planetarum characteribus inſignitum caſu neſcio quo ſe accepiſſe gloriatur, majoriné dicam inſaniâ, an in ſanctiſſimos manes injuriâ adſcribere non veretur. Sed relinquamus ſuos Aſtrologis orbes æthereos, & cum Socrate, qui Philoſophiam primus ex aſtris in terras, urbes & domos deduxit, eam diſciphinam videamus, quam Regiam ſcientiam, ſummus ejus Doctor Ariſtoteles vocat, & quâ omnem omninò vitæ humanæ prudentiam comprehendit. Scilicet hæc illa eſt A. O. quæ populos immanitate barbaros, moribus feroces, ſenſu diſcrepantes, componit, animat, regit ac movet. Hæc Viro Civili directricem prudentiam largitur, quâ omnes eventus Reipublicæ, proſpiciat: Sapientiam, quâ honeſta ab inhoneſtis, ab inutilibus utilia diſcernat: Magnanimitatem, quâ re-

religionem in templis, pietatem in civibus, concordiam in consiliis, justitiam in foro, felicitatem in eventis tueatur. Non unâ autem ratione illa considerari potest: namque vel præceptis tantùm continetur, vel ipsam actionem deducitur, cujus quidem gratiâ præcipuè illa docetur, & ex qua unicè illa à prudentibus spectatur. Nam cum scire levius aliquid sit, quam esse, nec vel in cathedris aut inter amicos philosopho illo & magnifico ore disertum esse adeo laudabile sit, quàm virtutem illam, quam profitemur, in vita exercere, meritò hoc præ illo æstimabitur, & boni viri titulus viri docti elogio præferetur. Audiamus hîc monentem Senecam: *Magno*, ille inquit, *impendio temporum, magnâ alienarum aurium molestiâ laudatio hæc constat. O hominem literatum! simus hoc titulo rusticiore contenti: ô Virum Bonum!* Audiamus illum, ô Mei, ne ejusdem querelas, quod *postquam Viri docti prodierunt, boni jam desint*, nostro exemplo adfirmemus. Peccari autem utrinque intemperantiâ quadam potest: nam qui ex libris illam & rerum gestarum monumentis petunt, iis mihi similes videntur, qui magnam armorum copiam undique anxiè conquirunt, non ut iis adversus hostem aut pro patriâ utantur, sed ut armamentarium domi habeant, & benè instructum, & bellè ornatum, quô delectare se & ostentare aliis possint. Qui verò in Republicâ versantur, & civilibus negotiis impliciti in rem præsentem utilissima præcepta de-

ducere laborant, ſæpe ingenio extra virtutis limites egreſſo in malas artes incidunt, quarum nunc magiſtri ubique triumphant, & cum plauſu etiam ſeculi ſe efferunt. Cæterum eos, qui cuſtodes gubernatoresque civitatum Res communem utilitatem continentes, quas publicas vocamus, opere ipſo tractant, non unius intemperantiæ incuſes. Quidam enim illorum ſtudiis, quæ à vitæ conſvetudine & ab agendi efficacitate abſtinent, nimium ſunt dediti, cum nihil magis cum negotiis pugnet, quàm otium literatum, & nihil quidem vivi homines ſperare ſibi ab iſto habeant, qui non niſi cum mortuis novit converſari. Alii ita abs bonis literis alieno ſunt animo, ut in earum perniciem conjurationem iniiſſe videantur. Cum enim ipſi indocti ad res gerendas vocentur, nec deſit illis Ariſtippi alicujus ingenium, & cæcus quidam fortunæ favor, omni operâ laborant, ut in conſilii ſocietatem cooptentur ſibi quàm ſimillimi, qui mutuas inde in calumniandis bonis literis operas jungunt, quaſi nullus earum in Republicâ uſus, aut omnis animi vigor & vivacitas iis interficiatur. Quos, ſi conſcientiam eorum interroges, plùs ſæpe occultis literarum ſubſidiis adjutos invenias, quam quis credat, vel illi ipſi fateantur: qui ne id quidem, quod dextrè & feliciter affectant, ſine civili aliquâ doctrinâ tacitè in eorum actiones ſe diffundente, & à rerum geſtarum experientiâ acquiſitâ exeqvuntur. Hinc tot errores tàm in

Re-

Republicâ benè regenda, quàm in partibus ejus administrandis videas, quos oriri necesse est, cum illi eâ in sede collocati, quos omnem disciplinarum complexum attigisse oportebat, perspicere nequeunt, quos tribunalibus, quos cathedris præficere dignè satis possint: de quo tamen, nisi me omnia fallunt, Viro Civili imprimis erat cogitandum. Quare cum consessum alicujusSenatûs, à tali quodam bonæ mentis jurato hoste institutum videas, signiferum aliquem intueri possis, in quo nonnisi stupido tauro, vel cornu ferienti capro, vel rapacissimo leoni, vel virulento scorpio locus conceditur: cùm interim Hercules, vel Cepheus, vel Perseus aliquis ad eorum pedes recumbit, tusque Semideorum ordo excluditur. Præclara Prudentiæ Civilis propago est Jurisprudentia, pulcherrima non solùm, sed & latè patens disciplina, quæ non levi etiam intemperie laborat propter cultorum ejus quorundam intemperantiam. Sunt, qui ex legibus solis sapere satis sibi putant, neque ad æteruum illud jus, quod animis nostris ipsa natura inseminavit, ipsæ gentes communi suffragio probârunt, & Philosophia nos docet, respiciunt. Invenire hîc est tenebricosa quædam Rabularum ingenia, qui Philosophiam à Jurisprudentiâ infelici sejungunt divortiô, cumque ipsi majestatem ejus non satis capiant, nec à quâ matre augustissima filia procedat, angustis illam litigantium subselliis circumscribunt, & reciprocis al-

tercantium latratibus determinant, formularum potius cantores vocandi & leguleji quàm Jurisconsulti. Est præterea non obscurum intemperantiæ indicium ista fastidiosorum commentariorum multitudo, ista quæsita sententiarum novitas, supervacuarum quæstionum vanitas, quibus explicandis integrum impenderes seculum, & in quibus Hercules ipse laborem inveniret decimum tertium. Expugnanda horribilia illa Glossatorum agmina, è quorum sordibus aurum, quod in Ennio fecit Virgilius, exsculpendum est: Tot denique contrariæ leges conciliandæ, quas vel falsa quorundam invexit opinio, vel otiosa & iners quorundam subtilitas excogitavit. Malunt enim nunc viâ confragosâ & asperâ ingredi plurimi, quàm planâ & simplici, & febriculosas aliquas ostentationes rerum copiæ & sensuum gravitati anteferre. Quare videas sæpe incomparabili & juventutis & temporis dispendio fripidis quibusdam nugis chartas onerari, aut paginas infinitis testimoniorum numeris turgidas lectoribus velut offam in os objici, paucos nodos solvi; plurimos verò etiam in scirpo quæri. Quemadmodum jam hâc ex parte superstitiosâ quorundam legum observantiâ peccari dicas; ita ex alterâ longè perniciosior error eorum se oggerit, qui non cerris legibus, sed solis Juris Naturæ & Gentium communissimis præceptis, quæ interpretantium libidini hinc patent, jura & sententias dicunt definiendas.

At

At ii non perpendunt, quàm salutare Philosophi sit monitum, ut qvàm paucissima Judicis arbitrio, plurima, & si fieri possit omnia legum sanctionibus relinquantur. Quis non videt, quam multa & penè innumerabilia percensere orando queamus, nihil tamen argumento nostro alienum, aut præter negotium acturi, si accuratè cogitateque ea omnia, quæ in nostrum cadere institutum poterant, persequamur: sed & modestiæ studendum & tempori consulendum est, cujus certibus finibus meam orationem, ne infinitè fluat, sentio circumscribi. Intelligo tamen, quandoquidem ipsemet mihi necessitatem ejus rei imposui, de præcipuis istis morbis, quæ intemperantiam hanc conseqvuntur, adhuc esse dicendum: qui licet sint numero non pauci, uno tamen è fonte promanant omnes, quem superbiæ nomine appellabo. Est verò nec illa unius generis pro ingeniorum, quæ in studiis versantur, habitudine: Quemadmodum enim Philosophus quosdam naturâ servos, alios verò Reges nominat; ita etiam literatos homines observes regio qvodammodo & habitiori spiritu per omnia profundissima agitari, alios verò nativâ quasi & ingenitâ tarditate humi teneri, aliorumque sententias servili quodam obsequio venerari. Utrique hominum generi sua est superbia: illis quidem è vastitate doctrinæ, quam ex toto scientiarum orbe collegerunt: his ex intemperanti unius, & quidem exigui studii

cultu, cæterorum verò graſſiſſimâ ignorantiâ, vel tumultuariâ aliquâ cognitione excitata. Illi, ut non ſunt omnium temporum Phœnices, ſed inter literatos Rhodio illi Coloſſo ſimiles, cujus ne digiti quidem menſuram minores ſtatuæ aſſequebantur: ita meritò ſummo in honore à cæteris minorum gentium Diis habentur: quorum tamen nominis gloria erroribus etiam palpabilibus ad omnem ſolet poſteritatem patrocinari. Talem jure quodam jam ab omni ævo ſuſpexerunt Philoſophi Ariſtotelem, virum incredibili & divinô propemodum judicandi vi omnia complexum, quem ego tamen cum viro quodam doctο humanæ intelligentiæ finem, abſolutionem naturæ poſtremam, qui ſummo Dei conſilio mortalibus ſit expoſitus ad intuendum, ut eo duce ac magiſtro ſcirent, quicquid humanus animus cogitatione aſſequi poteſt, nolim fœdiſſimâ adulatione appellare. Non fert jam inſtituti mei ratio, ut elenchum errorum texam, quos in Ariſtotele omnes, niſi vel inſigniter ſtulti, vel impii etiam ſint, agnoſcent: nam non eſt exiguus eorum numerus: Illud ſaltem diſſimulare nequeo: non eſſe, cur Philoſophiam ejus naturalem (alia enim non adeo impugno) pro oraculis aut divinis effatis habeamus. Ea tamen quorundam eſt pervicacia, ut errores etiam manifeſtos ejus non dimittant. Riſum tenere non potui, cum in Licetum, Philoſophum & Peripateticum inſignem de viâ, quam vocant,

la-

lacteâ disputantem incidens Aristotelis de eâ sententiam (qui inter meteora eam refert) cum Mathematicorum scholâ ita conciliare observarem, ut duplicem eam faceret, cœlestem alium, aliam verò aëriam, quam posteriorem ille inter meteora referri dicebat. Vidi non semel, qui aërios Cometarum natales, contra omnes Mathematicorum evidentissimas demonstrationes, omnemque fidem, obstinatè & cum convitiis etiam defenderent. Vidi qui corporum effluvia contra rationes, imò contra manifestos sensus negarent; negaturos etiam intra oleam vel extra juglandem duri aliquid esse, si negasset Aristoteles, vel oculos opinor sibi effossuros, si aliter qvàm Peripateticè rerum naturam intuerentur. Verum ignosci tamen his erroribus potest, si Philosophiæ fines non egrediantur, nec in sublimiores scientias, atq; adeo in ipsum Theologiæ sacrarium irrumpant, quod non prioribus tantùm seculis sed hodieque fieri, maximo Ecclesiarum incommodo, sæpissimè experimur. Solet enim plerumque plus in religione turbarum esse ab illâ doctorum, quàm imperitorum hominum superbiâ, qui comprimere animos suos & sedare arrogantiam nonnunquam consvevêre. Quanquam & illi, præsertim si ingenio asperiori sint, ac abollæ alicujus autoritas accesserit, intolerabiles, nec Ecclesiæ solùm, sed & Reipublicæ omnibusque cordatis graves & intractabiles inveniantur. Non potest autem te-

merè gravior orbi erudito ab illis accedere molestia, quàm ab ineptâ istâ librorum scriptione, cui, quò quis illorum est imperitior, variaque & tumultuariâ lectione confusior, quam maximè indulget. Etenim cum in Chao aliquo informi scientiarum semper habitant, quod, quia luce istâ mentis destituitur, nunquam in orbem justâ & aptâ proportione distingvitur & efformatur, nihil quidem inde quàm meræ tenebræ & umbræ possunt exspectari. Si quis enim illis Vulcanus securi caput aperturus sit, pro pulcherrimâ aliquâ Minervâ tenebricosam ejus nocturam prodeuntem: intus verò in cerebro intestina lingvarum, scientiarum artiumque bella, totque notionum & conclusionum velut ventorum ex Æolio utre erumpentium luctas spectaret. Nec possunt illi per ingenii sui turbas animadvertere, nihil esse tumultuariâ lectione & nimis multâ bonæ menti perniciosius, quæ cum mille oneratur & gravatur minutiis facultatem, quæ meditando se exerit, vel atterit, vel planè etiam exstinguit. Quare nemo miretur, à monstris ingeniorum non nisi monstra librorum in lucem produci, quæ tenerrimè tamen ab illis amari, & magnâ cum ostentatione seculo videas commendari. Nemo illorum operæ pretium putaverit, uno aliquo libro orbi innotescere, nisi Bibliothecas omnes, omnes impleat pluteos, & integris operum centuriis, totâ foliorum myriade ineptissima lucubrationum suarum somnia doctioribus

bus ridenda exponat. Nulla oritur animo cogitatio, quæ non ſtatim voluminis alicujus res ſit, nec illius cum Iſocrate in nonum annum premendi, ſed citius quàm pyrum vulpes comeſt, jam confecti, in quo ex omni verborum habitu, quæ non apto inter ſe ordine procedunt, ſed velut in turbâ aut ſeditione populi fieri ſolet, omni ex angulo convolant, & ut apud Theocritum eſt ὤθευνθ' ὡς ὕες, ille feſtinantis anhelitus apparet. Atque ut diffuſioribus paginis libri turgeſcant (nam id unicè illi curant) tot otiosè dicta otiosè repetuntur, auctorum myriades laudantur, tot teſtimonia eaque ſatis ſpiſſa ad rem nihili probandam, nec ubi opus eſt, adducuntur: quæ ſi dempſeris, vereor, ne cum magnâ illis ſolitudine in theatro ſuo ſit conflictandum. Quoties talibus interdum in libris plusquam Ulyſſæis erroribus mihi peregrinari contingit, Auditores, in Africam mihi delatus videor, quam undique pulcherrima cingunt & vaſtiſſima flumina, ut magna tibi inde promittas: cum intus nonniſi ſteriles arenas & infinita monſtra deprehendas, quæ inter timidus ambulans viator pulveris nimbo penè ſuffocatur. Nam fallunt plerumque titulo emptores, ut Pharraſius picto velo ſpectatores, quem cum mirè illi ornent: jam enim tropæa, triumphi ante victoriam indicia; jam columnas caduci operis fulcra, & neſcio, quæ vultus imitantia ſigna ferarum ſplendidè depingunt; jam minio, quo

triumphantes olim ora ſolebant, frontem libri, in perpetui credo pudoris teſtimonium oblinunt: ut tu, qui omnia iſta ſpectas, magnam rem agi juraveris, qui propius tamen admiſſus, ut in pictorum pergulâ, veri nihil omnia ficta offendas. Quis non illorum eſt, qui præ nimiâ viduitatis impatientiâ cum Didone hîc exoptet: Saltem mihi parvus in aula luderet Æneas! Adeò improlem intellectum omnes faſtidiunt, qui cum bonæ mentis ſemine deſtitutus generare abs ſe nequeat, alienos partus vel adoptat vel furatur. Iſte enim ubique nunc mos invaluit, ut vel optimi cæteroquin ſcriptores ab hac culpâ non adeo immunes ſagaciores quidam invenerint. Poſſem & ego Autores aliquot nominare, celebratiſſimi aliàs nominis, niſi famæ eorum parcerem: qui cum in opere aliquo verſati fuerunt, adeo diſſimulant libros ejusdem argumenti, ſed peregrinâ lingvâ pleniſſimè ſcriptos; cum tamen lecti & deſcripti autoris indicia ubique prodantur, ipſumque Autoris nomen uncialibus literis in frontiſpicio libri comparens novas frondes, & non ſua poma mirari videatur. Non poteſt profectò raptor aliquis Cacus tàm profundè quædam abſcondere, quin Hercules ejus legens veſtigia, in ipsâ illum ſpelunca ſuâ adoriatur: nec corvus adeo tacitè furtivis paſci pabulis, quin clamore ſuo noſcatur. Eſt verò non ſimplex illa furandi ars, ſed multis inſtituitur modis: quosdam enim illis autolycis dicas ſimillimos,

qui

qui ingeniosè admodum ungulas ſuas tegunt: quorum furta fruſtrà etiam per lancem & licium quæſiveris: rudiores verò alios & manifeſtos raptores, quorum quò inſolentior audacia, eò præſentior pœna eſt. Sed priorum dolos & technas inveſtigare non fortè inconveniens erit vel ab inſtituto noſtro alienum. Nam ſunt, qui pauca & exigua quædam multis ſubducunt, ac iterum alio habitu & formâ componunt, & inter ſe implicant: ſimiles illis, qui nummos non rapiunt integros, ſed eos circumcidunt: quo parum quidem nummi pretio decedit, multum tamen lucri è præſegminibus in unam maſſam conflatis, acquiritur. Illis quoque, ut artes ſuas celare melius poſſint, hoc in more eſſe videmus, ut nunquam ejus quem deſcribunt, vel verbo mentionem injiciant, vel etiam convitiis, ubi id commodè poſſunt, proſcindant, ne quis amicè adeo illos conſpirare, & uno interdum ore loqui ſuſpicetur. Et hi quidem ingenioſiùs furantur; alii tutiùs, qui latrociniis etiam furta ſua celant: dum enim metuunt, ne eorum aliquando rei agantur, ſuperſtitibus, quibus convinci poterant, documentis, bonos autores & nihil meritos flammis in cineres redigunt, ne vel ex eorum oſſibus ultor aliquando exſurgat, quod veterum Philoſophorum multos feciſſe memoriæ proditum eſt: nunc enim Typographiæ beneficium eorum conatibus obſiſtit. Quanquam & illa nunc aliâ ex parte plurium furaces & intem-

pe-

rantes calamos provocet, ut Viri cujusdam doctissimi sententiam non adeo improbem, fœcundiorem Atheorum post inventos typos natam segetem statuentis, plusque nunc cum minùs scribitur describi, quàm olim nunc manu omnia scriberentur. Hæ fraudes plurimam partem ex illâ lectionis intemperie, velut à stirpe quâdam excrescunt, dum obvia quæque in scriptionis argumentum obtorto collo rapiuntur, plurima non intellecta pravâ quadam imitatione deflectuntur ab iis, qui dum Simii aliorum fieri volunt, fiunt Asini, splendido tamen titulo, ceu pelle aliquâ leoninâ involuti. Scilicet non ineleganter literarum studia bonosque autores horto variis floribus consito quis comparet. Quemadmodum enim alii solo eorum aspectu; alii odore delectantur; alii eos depingunt; alii serta inde & corollas conficiunt; alii succum exprimunt; alii aquas eliciunt: solæ verò apes mella ex iis sugunt: ita & vario ingenio diversisque finibus vulgò in literis versamur; paucissimi autem sunt, qui verè iis uti apum instar norunt, ut dulcissimos earum fructus non ipsi solùm delibent, sed alii quoque persentiscant.

Verum nescio quomodo fit, ut quò in literariâ illâ intemperantiâ percensendâ & examinandâ hæreo diutiùs, ipsa mea eodem intemperantiæ morbo laborare videatur Oratio: cujus vos exitum A. O. tacito abs me convitio, ni fallor, efflagitatis. Nec extricabo me temerè: a-

adeo enim multa ſunt, quæ dicentem penè obruunt: niſi vim lingvæ inferens omnem iſtum, qui mihi nunc ſeritur, ſermonem è veſtigio abrumpam. Quod faciam, ſi vos paucis hortatus fuêro, Juvenes Optimi, ad quos præcipuè omnia iſta pertinent, ut rem veſtram naviter agatis, & quas habetis in manibus artes, eo ardore, qui generoſa incendere pectora ſolet, perſequamini: eâque temperantiâ, ut ſpretô rerum inutilium & frivolarum labore iis vos artibus mancipetis, quas maximè vobis intelligitis accommodatas, quarum ex amicâ in vobis conſpiratione magna in Rempublicam emolumenta dimanant, ipſique è lucubrationibus veſtris, è quibus multi fuligines & fumos colligunt, vobis illuſtres gloriæ faces accendatis. Id tamen meminiſſe etiam vos oportet: illam in ſtudiis temperantiam ad vitam ipſam quoque transferendam, ut ad mores temperantiſſimos vitam componatis, ut tamen in conſpectu Dei & ſocietate honeſtorum hominum, non verò in Cyclopum Republicâ vos vivere intelligamus: & ut denique, quæ optima eſſe poteſt veſtra temperantia, legibus, quas modò vobis in memoriam revocavimus, obtemperetis. Quanquam Vos ita animatos malimus, ut quondam Ariſtoteles fuit, ex quo cum quæreretur, quid Philoſophiæ ſtudiis eſſet conſecutus? hoc, inquit, ut quæ alii legibus facere coguntur, ego ſponte meâ faciam. Agite ergo, ô mei, quandoquidem Viri Maximi veſtigia inſiſtere & vos o-

oportet, ita vos gerite, ut leges istæ magis spirent in animis vestris, quàm in chartis legantur: ut ingenii quadam sublimitate & virtutis rectitudine, legibus istis majores innoxiè eas glorioséque contemnere queatis. At enim video, Juvenes Optimi, nec sine magno voluptatis sensu intelligo, altiùs dicta mea descendisse in animos vestros, itaque comprehendisse, ut gratuler jam nunc mihi istam bonæ mentis alacritatem, quam in oculis florere vestris video, & cujus jam fructus animo mihi videor præcepisse. Nolite commitere, ut per vos inquietiores sint Musæ meæ, & studia mea turbentur, quæ ab humanitate nomen invenerunt, humanoque & comi vos continebunt imperio, humanissima etiam obsequia vestra sibi pollicentur. Monstrate vos sub Philosophi sceptris Philosophos, i. e. homines, qui vel sibi relicti & nullis legibus coërciti justa quæque & virtutis veritatem sectentur. Permittite Oratori, ut vobis persvadeat: Poëtæ, ut vinculis suis vos obstringat, non istis servilibus, sed quibus ne liberrimi quidem homines obligari detrectent. Nolite denique facere, ut qui apud se vestram agit causam Orator, per vestram culpam eâ excidat, spesque, quam ille de vobis concepit egregia, ipsis in incunabulis suffocetur. Quod ergo superest, æternum Numen veneror, ut divini sui Spiritûs gratiâ clementissimè nos respicere, & augustum hoc sapientiæ sacrarium, Serenissimumque

que ejus Autorem, incomparabilem Patronum, cæterosque fautores omnes, tum & urbem hanc Muſarum alumnam, utrumque Senatum benignè tueri & conſervare ne dedignetur. Idem denique meos, quos affero fortè oneri huic impares lacertos, potentiſſimâ dextrâ ſuâ firmet: idem & labores veſtros, Juvenes Optimi, in ſui gloriam Reique publicæ emolumentum educet, & divinum pacis bonum, quô duci pectora Deo, mancipata amant, animis veſtris largiſſimè infundat. Fiat mi Deus! Fiat.

De Viro Bono, ad mentem Philoſophorum gentilium,

in actu Promotionis Philoſoph. menſe Oct. 1669.

CUm his diebus de Magiſtratu abituro non verba ſolum in publico facienda mihi eſſent, ſed aliis inſuper negotiis pene opprimerer, accidit, quod planè non ſperâram, ut præclari iſti, quos præſentes hîc videtis, PhiloſophiæCandidati meam quoq; Decani operam in conferendis ſibi Magiſterii honoribus honeſtè efflagitarent: Cum ergo non tam in arenâ Martiâ, quam in ipſo hoc literario pulvere, & ſtanti pede in uno, dicendi capiundum eſſet conſilium, primùm in mentem

tem venit oratorum deſerere leges, ac in ipſa poëtarum caſtra convolare, in quibus jam tum medius verſabar. Rerum enim tum gravitate tum multitudine interceptus penè cogebar hoc initio Poëtarum more Muſarum opem implorare, ut mihi præirent verba facturo; aut aliquem deducere per machinam è cœlo Deum, qui aperiat illico viam, quam impeditam mihi eſſe videbam ac ſalebroſam. Verum quoniam id Oratori agere novo exemplo non licet, Regem illum imitabor Evandrum, qui Æneam humili ac ſtramineo excepturus hoſpitio ſatis habuit inopiam profiteri ſuam, & divinum hoſpitem ad divitiarum contemptionem adhortari, quarum intra illa mapalia nullam eſſet omnino copiam inventurus.

Aude hoſpes, inquit, *contemnere opes & te quoque dignum*
Finge Deo, rebusque veni non aſper egenis!

Quo & vos alloquio, *Hoſpites Ampliſſimi*, ſalutare mihi poſſe videor, non tam Evandro, quam illi ſimilis præfecto, qui Carolum IV. extemporali aliquâ & feſtivâ excepit cœnâ, cujus mentionem facit diligens rerum Vandalicarum ſcriptor Crantzius. Cum enim ille arci cuidam, cui tenuis erat proventus, præpoſitus eſſet, & Cæſar nihil ante præmonito ſuperveniens cum regio comitatu apparare menſam juberet, ſubitò ille id conſilium cepit, ut, cum alia in promptu non eſſent, porcorum aures & caudas abſciſſas bene coctas & conditas

tas apponeret. Quo urbano hominis ingenio adeo delectatus fuit Cæſar, ut ſtatim lautiore illum conditione donaret. Idem profecto mihi nunc evenit, qui non delicias, non mellitos verborum globulos, non dicta ſeſamo & paparere ſparſa, ſed leve aliquid, ut ita dicam, Orationis minutal, porriccas, & præſecta, qualia horarum aliquot parare mihi opera poterat, delicatioribus appono auribus, quæ, cum meis deſtituantur, veſtræ humanitatis obruantur condimentis. Dicam ergo de argumento ab hac re, quam agimus, fortaſſis non alieno, de VIRO BONO ſcilicet, qualis ille in Gentilium Theologia & Philoſophia nobis depingitur: dicam autem ita, ut non tam verborum elegantiam anxiè conquiram, ordinemque eorum & doctam inter ſe compoſitionem inſtituam, quàm rerum ſecter veritatem & utilitatem. Vos vero, *ô optimi Auditores*, quo nomine meritò vos appello, quandoquidem inter bonos benè agier oportet, boni conſuletis quicquid de bono Viro peſſimus Orator, Vir tamen, ut arbitror, bonus dixerim, Ego vos ſolenni illâ formulâ, quâ DEos olim ſolebant, obteſtor, *Velitis eſſe Boni*, id eſt, propitii, Favoreque veſtro dicentis ſenectutem ſublevare.

Cum titulus *Boni* primario Soli OPTIMO MAXIMO competat, nihil eſt, quod ad hanc addi bonitatem poſſit. Sed cum & omnibus rebus creatis à Deo inditus ſit, cætera quidem ſuo

modo, homo vero divinæ voluntati conformem se exhibens BONUM ostendit. Præclarè Seneca: Bonus Vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adjutus exsurgere? Illi dat consilia magnifica & erecta. In unoquoque bonorum Virorum (quis Deus incertum) habitat tamen Deus. Quod cum summus Philosophus Plato multis in locis docuisset, in Menone, circa finem, Laconum testimonio confirmat. Lacones, inquit, quoties bonum quendam Virum commendare volunt: Divinus hic Vir, ajunt. Divinus itaque Vir bonus dictus, & quidni? quò enim perfectione majore ad Deum quid accessit propius, eò magis divinum, eò magis bonum. Diogenes Bonos Viros simulachra Deorum dicebat. Quare & solennis favorem Deorum implorandi formula erat: Velint esse Boni, sui propitii & non irati, de quo Brissonius in Formulis suis agit. Quemadmodum ergo Deos vocarunt Bonos; ita & defunctos, quod jam ipsæ animæ corporis exutæ vinculis perfectione suâ magis ad divinitatem accederent, Bonos vocasse credam. Quod enim conjiciebat Plutarchus, Quæst. Rom. circa votum Romanorum, quo petunt, ne quis domi natorum bonus fiat, dum varias ipse enarrat conjecturas, illa quidem satis bona videtur: Aut, inquit, quoniam venusti & boni dicuntur, qui mortem cum vitâ commutarunt, hoc voto obliquè precantur, ne quis domesticorum

mo-

moriatur. Atque hoc alienum putare nemo debet. Nam in fœdere Arcadum cum Spartanis facto ſcriptum eſſe Ariſtoteles teſtatur, neminem Tegeatarum debere bonum redigi (i. e. interfici) ſi auxilii causà rebus Lacedæmoniorũ ſtudeat. Boxhornii verò conjectura ad hunc locum, qui ſcilicet putat, votum illorum fuiſſe, ne naſcatur ignavæ ſimplicitatis homo, non adeo placet: quod enim mortui *boni beati* dicti, ſatis conſtat. Perſ. beatulos, Horatius felices vocat. Præterea ipſi Manes eo nomine Boni dicti. Eſt enim *Manus* vel *Manuus antiquis Bonus.* Ita vocatos à Latinis eſſe exemplo Arcadum, Voſſius in libro de Idololatriâ exiſtimat. Sed ut à diverticulo hoc revertar ad id, quod primò inſtituebam, Bonum non dici, niſi qui adſpiratione, inhabitatione, & impulſu numinis agitaretur. Ea vetuſtiſſima veterum Philoſophorum & Chriſtianorum fuit ſententia. Hierocles in egregio ad carmina Pythagorica commentario: Eſt idem, rationi rectæ parere, atque Deo. Natura enim, quæ rationis eſt particeps, illuminationem ſibi ſortita ea complectitur, quæ præfinivit lex divina. Nec diſcrepat à Dei ſententiâ animus, qui ſecundum Deum ſe habet, ſed divinitati atque fulgori (à quo illuminatur) intentus ea facit, quæ facit. Ex illorum ergo ſententiâ non eſt Bonus Vir, niſi à Deo illuminatus. Multa de intellectu agente ſeu adſiſtente veteres dixere Philoſophi, & Judæi, quos citat Seldenus de Jur.

Nat. & Gent. Hebr. quæ huc quadrant quam optimè. Antoninus, τῶν εἰς ἑαυτὸν, animam dicit agentem ea, quæ Genio ſeu dæmoni, quem Jupiter in præfectum & ducem unicuiq; dedit, placeant. Ea autem eſt illa divinæ naturæ particula, ſcilicet unius cujusque mens & ratio. Dæmonem illum aliqui, ut jam dictum eſt, intelligentiam externam, aliqui ipſam mentem noſtram dixêre. Præclarè Seneca: Sacer intra Spiritus ſedet malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſos tractat. Quare Vir bonus & beatus, εὐδαίμων dictus, hic eſt, qui bono geritur dæmone & genio. Clemens Alexandrinus, Stromatum lib. 2. ex Platone: Αὐτὸς δὲ ὁ Πλάτων τὴν εὐδαιμονίαν τὸ εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν. δαίμονα δὲ λεγέσθαι τὸ τῆς ψυχῆς ἡμῶν ἡγεμονικόν. Conſentit cum hoc Antoninus: Εὐδαιμονία ἐςὶ δαίμον ἀγαθὸς, ἢ ἀγαθόν. ubi deeſſe putat Gatakerus in Annotationibus vocem ἡγεμονικὸν, loco illo Clementis motus. Sed cur non potius per illud ἀγαθὸν intelligas ſummum bonum? quâ voce ſæpe utitur Ariſtoteles abſolutè ſic ſumpta. Propriè enim εὐδαιμονία hæc notat. Sed & hoc verum eſt, per Dæmonem illum etiam mentem noſtram notari, quam Marcus Antoninus, nunc Dæmonem, nunc Deum ſuum dicit. Apulejus de Deo Socratis: quodam ſignificatu & animus humanus, etiam nunc in corpore ſitus, Dæmon nuncupatur. Unde nonnulli arbitrantur, εὐδαίμονας dici beatos, quorum

rum Dæmon bonus, i. e. virtute perfectus eſt. Inde apud Latinos bonam mentem ſolemus precari, eamque in viris probis & bonis laudare. Seneca in Naturalibus quæſtion. Quid eſt præcipuum? Non admittere in animum mala conſilia, puras ad cœlum manus tollere, nullum petere bonum, quod, ut ad te tranſeat, aliquis poſſit amittere, optare, quod ſine adverſario optatur, bonam mentem. Hanc Propertius Deam facere videtur, dum ita compellat: Mens bona, ſi qua Dea es. Hæc ex Theologiâ de Viro Bono conſtant, quæ ſatis ſunt præclara, nec Chriſtiano homine indigna. Ipſe Deus O. M. bonitatis idea perfectiſſima dicitur; & ad illam componi debere omnia, quæ ad bonitatem & perfectionem aliquam adſpirant, nosque eo anniti debere, ut conformem illi vitam noſtram reddamus, in illâ traditur. Quemadmodum ergo Deus ſummè bonus eſt, ita omnis bonitas ad illum tendit tanquam principium. Quemadmodum ille unus eſt & ſimplex: ita omnia tendunt ad illam unitatem & ſimplicitatem, quod Jamblichus de Pythagoreis ſupremum omnis felicitatis terminum vocabat: τὸ ἑνὸς θεωρητικὸν ἐστὶ τέλος πάσης θεωρίας. Omnia diviſa mala ſunt, quæ verò in Deo unita, bona; & vir bonus non eſt, niſi cum Deo unitus. Pulchra ſunt eam in rem illa, quæ habet Cl. Alexandrinus: Deus, inquit, eſt impatibilis, iræque expers & cupiditatis, & non per eam eſt

 me-

metus expers, aut declinat, quæ ſunt moleſta & gravia; neque fugit Deus timorem, ſicut nec concupiſcit. Quoniam verò, qui Deo adhæret, unus ſpiritus afficitur cum illo, myſticè apud nos etiam dictum eſt illud Pythagoricum: *oportere hominem fieri unum.* Ad explicationem ejus præclarè faciunt, quæ differit Origenes Adamantius, explicans iſta verba in Cantico Annæ: Erat vir unus. Nos, *inquit*, qui adhuc ſumus peccatores, non poſſumus illum titulum laudis acquirere, quia unusquisque noſtrûm non eſt unus, ſed multi. Et poſt aliqua: Vides, quomodo, qui putatur unus, verè non eſt unus, ſed multi, ſed tot in eo perſonæ eſſe videntur, quot mores conſpiciuntur. Imitator Dei juſtus, qui ad imaginem ejus eſt conditus, unus etiam ipſe, cum ad perfectum venit, appellatur. Quin & ipſe, cùm in virtutis ſummâ conſtiterit, non mutatur, ſed unus permanet ſemper: Nam dum in ſceleribus unusquisque verſatur, per multa dividitur, & in varia diſpergitur, & dum in multis eſt vitiorum generibus, dici non poteſt unus. Fallor, an huc ſpectet illa Latinorum loquendi ratio, quando homo *multus* dicitur, ut apud Plautum: Heu, Hercule, hominem *multum* & odioſum! quod quæ multa ſunt, plerumque mala. Abſolvit ergo virum bonum ſimplicitas. Ita vanam oſtentationem à virtute ſolo *ſimplicitatis charactere* diſtingvit Vellejus, ubi de Flacco Pomponio, viro conſu-

ſulari, ait, quod natus ſit ad omnia, qui rectè facienda ſunt, *ſimplicique virtute* merens potius, quàm captans gloriam. Ita ſummè laudat alium, quem *ſimplicisſimum ducem* vocat: iterumque de alio dicit: Vir in tantum bonus, in quantum *humana ſimplicitas* intelligi poteſt. Hîc ſimplicitas pro omnium virtutum complexu accipitur. Petrus Faber in Semeſt. ad Tit. de Juſt. & Jure, per illam vocem Juſtitiæ, Verecundiæ, Bonitatisque officia deſignari exiſtimat. Sic apud eundem Vellejum *Simplicitatis nobilisſimæ juvenis*; & iterum, *ſimplicitatis generoſisſimæ vir*. Atque hæ appellationes Viro bono accidere ratione numeri poſſe videbantur. Accidunt & aliæ ratione temporis & menſuræ. Illius ratione appellatur antiqvus; Quod enim primum eſt, optimum eſt, quoniam ab illo omnia. Sic ipſe Deus O. M. dicitur *Antiqvus* ſacris literis, paſſimque apud Autores laudantur antiqui mores, antiqua virtus & fides. Ita Tacitus de quodam: Priſco vultu, habituque moris antiqui, & ejus æſtimatione rectâ ſeverus. Ratione menſuræ Vir bonus tetragonus, ſ. quadratus, dictus eſt Pythagoræ & Platoni: Item & Ariſtot. Ethic. lib. 1. cap. 10. Vir hic beatus, inquit, quem tibi informo, planè omnes caſus feret, eosque pulcherrimè ac moderatiſſimè, ut qui verè & ex animo Vir bonus ſit, & inculpatè quadratus. Hujus appellationis rationes varias dare aliquis poſſit; quemadmodum enim figura quadrata perfecta

cta est, dum continetur quatuor lineis æqualibus, & quatuor æquales habet angulos, ut, quomodocunque vertatur, semper se eodem modo habeat: sic etiam Vir bonus ac felix sibi semper similis est, & inter varios fortunæ casus eandem semper æqualitatem servat. Adde, quod quaternio ipse numerus perfectus sit, Pythagoreis imprimis sacer, de quo videatur Carolus Bovillus in Lib. de Numer. perf. & Pet. Bungus in Myster. numeror. Quibus ab auctoribus memorantur fusius, quæ à Platonicis de numero Harmonico & proportionibus animæ dicuntur; imprimis vero apud Pet. Bungum, ubi quaternarium animæ progressum ex proportione triplâ, & quaternarium corporis progressum ex proportione duplâ numeris demonstrat. Sed Architas non in tetragono, verum in circulo posuit animæ finitionem, quare & Virum bonum teretem & rotundum vocat Horatius, & Ausonius in carmine de Viro bono: perfectissima enim rotunda forma est, quam Manilius vocat formam divis simillimam; Aristoteles miraculum miraculorum. Verum omnia hæc allegorica sunt; neque enim homo verè rotundus, neq; anima verè rotunda dicitur, quanquam Angelo cuidam ovali animas separatas figurâ definire placuerit. Atque omnia illa, quæ hactenus disseruimus, eò tendunt, ut demonstrent, quomodo bonus Vir, & mens bona tota ad similitudinem summi boni debeat esse composita. Vinculum autem,

quod

quod animum hominis ad Deum convertit, amor eſt; unde amorem definit Dionyſius Areopagita, quod ſit Circulus à bonô in bonum perpetuò revolutus. Uti enim â Deo incipit & illicit, perfectæ pulchritudinis rationem præ ſe fert; ut autem in mundum tranſiit, amor dicitur. Omne autem pulchrum bonum eſt, & ideo amatur, quia bonum eſt. Maximus Tyrius Sermon. II. Quod pulchrum eſt, id neque exitioſum unquam, neque lubricum, neque flagitium aliquod efficit. Notat Auguſtinus in Lib. de Civit. Dei, in ſacris literis bonos dici ſpecioſos & pulchros; quod de ipſo Salvatore noſtro dicitur, quod fuerit ſpecioſus præ filiis hominum: ſupra quod pulchrè commentatur Roa ſingul. lib. 3. Cap. 5. Vir bonus pulcher eſt, & à ſummo pulchro mediante amore attrahitur, quo amore deinde neceſſariò etiam ad æqualem ſuum fertur. Præclarè hîc præ cæteris Simplicius: Pura charitas amicas animas in unitatem conjungens eſt pulcherrima præparatio ad conjunctionem divinam. Primò amamus Deum, & deinde amicos propter nos ipſos: Inimicos vero propter ſe. Ita juſſit Pythagoras, referente Jamblicho, Amicos ut Deus colere, cæteros ut feras demulcere & placare. Omnes itaque Viri boni pro cognatis & conſangvineis habendi. Sic Plutarchus, in Lib. de Alexandri virtute, Alexandrum mandaviſſe ſuis, ſcribit, ut mundum pro patriâ agnoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro co-

gnatis, malos pro peregrinis. Geminum huic eſt illud Plinii Junioris in Panegyr. ad Trajanum: Hunc tibi proximum, hunc conjunctisſimum exiſtimes, quem optimum, quem Diis ſimilimum inveneris.

Si jam à Deo, principe & ſummo bono, diſcedimus, inveniemus famulam illam ſ. manuductricem, *Virtutem*, quæ nos ad illum ducit. De hac Plato: Deus, inquit, cum ſe in medio exemplar omnium bonorum propoſuiſſet, humanam virtutem, qua homo ſimilis Dei aliquo modo redditur, parandam conceſſit his, qui Deum ſequi poſſunt: neque major eſt alius fructus, quem ex Deo poſſit capere homo, quam quod imitatione pulchrorum & bonorum, quæ naturæ divinæ inſunt, virtute potitur. Virtutum autem primam fortitudinem nominamus, quæ plerumque virtutis vocabulo notatur, unde & Græcis à Viro ἀνδρεία dicitur, atq; hæc jam extenditur ad omnia ea, ad quæ virtus ipſa. Quod fit apud Clementem Alexandrinum, Lib. 7. Stromatum, apud quem munus fortitudinis eſt, non ſolùm ut caſus perferat humanos, ſed ut reſiſtat etiam & voluptati, & cupiditati, & dolori, & iræ, & univerſæ omni rei, quæ nos ſive vi, ſive fraude qvâpiam illicit. Hinc credo factum, quod ipſa fortitudo ab ipſa bonitate nomen invenerit. Antiqui enim *forctum* dicebant pro bono, unde *forctis*, qui bonus & frugi. Apud Græcos Vir fortis interdum abſolutè ἀγαθὸς dicitur, poſſemque

que exempla hujus penè multa producere, niſi temporis brevitate prohiberemur. Eodem modo vox probus apud Autores ſemilatinos pro forti toties uſurpata invenitur, & probitas pro fortitudine. Gulielmus Brito Lib. 8. Philippid. ſupplebat numerum probitas immenſa. Ubi Barthius in Comment. plurima alia ex ejusdem ſeculi ſcriptoribus producit. Hinc inter titulos ſummos ille referebatur, *Veſtra probitas*; Sic veteres Germani nobiles Equites Gudemanns vocabant, quod notat Vir doctus ad Nortonii Origines Marcanas. Hinc fortè factum eſſe arbittor, ut etiam pulchri appellarentur, quod & boni eodem nomine dicantur; ita pulcherrimum vocat Æneam Virgilius, Achillem & Hectora Homerus. Apud Græcos vox καλὸς & pulchrum & fortem ſignificat. Cum ergo à plurimis primaria virtus fortitudo ſit habita, mirum non eſt, quod Silius Italicus primam in campis Eliſiis ſedem viris fortibus, ſecundam viris juſtis aſſignaverit. Ita enim ille:

Cingunt regna decem portæ, quarum una receptat
belligeros durâ Gradivi ſorte creatos:
Altera, qui leges poſuêre atque inclyta jura
gentibus. — —

Gymnoſophiſtæ & Druydes tribus illis virtutibus, Pietate ſc. Juſtitiâ, & Fortitudine; totam continere Philoſophiam videntur. Diogenes Laërtius in proœmio: Ajunt, Gymnoſophiſtas at-

atque Druydas obſcurè ac per ſententias philoſophari, colendos Deos, nihil mali faciendum, & exercendam fortitudinem. Pergamus itaque nunc ad Juſtitiam, alteram illam boni Viri virtutem, quandoquidem fortitudinem abſolvimus. Hæc à Deo etiam immitti ſtatuebatur. Præclarè Plato in Thæteto: Deus nuſquam & nullo modo injuſtus, ſed quam juſtiſſimus, nihil ei ſimilius, quam juſtiſſimus homo. Plenius hoc explicat Philo in Lib. de ſomniis: Deus, inquit, non dignatus ſenſui ſe ingerere, ſuum verbum auxiliare mittit virtutem amantibus, id medetur morbis animæ, ſacra præcepta ſeu Leges numquam antiquandas ſtatuens, & ad hæc exequenda invitans, atque etiam more prædotribarum robur ad invictam habitudinem promovens. Veriſſimè itaque Joſephus: *Abs quo ſtat Jus, ab eo Deus.* Inde non ſine cauſa Jamblichus felicitatem viri boni in juſtitiâ poſitam eſſe autumat, cujus hæc ſunt verba: Hanc ſententiam firmiter retinere oportet, bonum quidem Virum, ſi temperans ac juſtus ſit, felicem beatumque eſſe, ſive is ſit magnus atque robuſtus, ſive parvus atque imbecillus, ſive dives, ſive etiam pauper ſit: ſin autem Cynarâ aut Midâ divitiis magis abundet, ſit verò injuſtus, ille & miſer eſt & anxiam vitam tranſigit. Atque hinc illud naturale jus à Deo noſtris animis inſcriptum, quod cum naturale dicimus, divinum vocamus. Quid enim aliud, inquit,

quit Seneca, eſt natura, quàm Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inſerta? Jus naturæ à Deo datum eſt: Divina lex eſt, & ratio mundo & partibus ejus fortiter & ſvaviter intoti ſerta, ſic perpetua, eo quod imperantis vim omnem prævenit, ultrò ſe ſubjicientium utilitate juncta voluptas. Quandoquidem ergo Juſtitiæ Virtus adeo etiam gentilium animis inſidit, non deficiunt etiam in veterum Philoſophorum numero, qui ejus certiſſima non ſolum in hac vitâ, ſed etiam poſt fata, promiſere præmia. Uberrimè eâ de re diſſerit Plato in X. de Republ. ubi ait: Viro bono & juſto ſive inopiâ, ſive morbo, ſive cæteris, quæ mala putantur, circumvento, omnia ceſſura in commodum & bonum, ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι, viventi aut mortuo: Veriſimile eſſe, ejusmodi hominem, qui juſtè vivendo ſimilem Deo ſe reddiderit, non negligi à ſimili ſui Deo. Quod ipſum Ariſtoteles in Moralibus imitatus eſt. Idem in XII. de Republ. Eſſe, inquit, quemlibet noſtrum immortalem vocatum animum, huncque ad Deos alios proficiſcentem redditurum rationem tremendam horribilem formidabilem ſcelerato, probo autem placidam. Hæc quidem ille. Cui conſona ſunt, quæ de Campis Eliſiis & inferorum pœnis apud Poëtas non ſolum ſed & Philoſophos traduntur. Nec fortasſis ab hoc loco alienum erit, ſi, quæ Legibus civilibus ob probitatem præmia conceduntur, memoremus. Sunt e-

nim

nim ob probitatem animi singularem, eximiamque virtutem, contra Juris regulas multa constituta. Inde illa jura, quod pupillorum arrogatio permittenda sit tutoribus, qui sanctissimâ affectione ducti, ut adoptarent; quod interdum & ditiorem adoptare permittatur pauperiori, & si quæ alia Legibus Romanis sunt statuta. Hinc apud Persas factum est, ut vita ante acta proba simul cum delicto in æstimationem veniret. Unde Cicero in Sullam: Omnibus in rebus, quæ graviores majoresque sunt, quod quis voluerit, cogitaverit, admiserit non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est judicandum. Eam esse causam, putat Muretus Commentario in Lib. 3. Annalium Taciti, quod primus liber Accusationis in Verrem sit de anteactis, quatuor reliqui de ipso crimine repetundarum, ut prior vita argumento esse possit, ad crimen aut confirmandum, aut diluendum.

Reliquum est, ut etiam de officiis viri boni àd mentem Philosophorum veterum aliquid disseramus. Est vero inter illa præcipuum, ne unquam vel verbis, vel factis superbum se gerat. Hinc illa Epicuri effata in X. Laërtii Libro: Non affectatis orationis flosculis usurum, nec gloriam captaturum ex verbis,

— — Quæ bellè tangere possunt
Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore,

ut est apud Lucretium. Et imprimis quidẽ à Stoicis neglectus ille sermonis fuit captatus apud

La-

Laërtium de Diogene exſtat, illum eos, qui ex oratione gloriam quærerent, τρὶς ἀνθρώπȣς, ter homines, h. e. ter miſeros, appellaſſe. Quare & ejusdem Epicuri effatum eſt, Virum bonum Poëmata ignoraturum, nedum aliqua elaboraturũ. Quod ſi ergo Epicureorum ſtandum ſit ſententiæ, vir bonus non eſſe deberet Poëta, cum tamẽ longè aliter docuerit Strabo, non poſſe bonum Poëtam fieri, qui non prius fuerit Vir bonus. Hujus generis plura ſunt alia inter Epicurea de viro bono effata à Diogene notata, qualia ſunt illa: multa quidem agat vir bonus, ſed occupatum ſe non jactet vel ſimulet; nihil cum apparatu agat; domi veſtitu eleganti non utatur, ſed illa quidem fuſius diſſerere nihil attinet: ſunt enim ea non ita comparata, ut viri boni officia ſtatim abſolvant. Veriſſimè Seneca: Vir bonus tàm cito nec fieri poteſt, nec intelligi, & fortaſſe tanquam Phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur, nec eſt mirum ex intervallo magna generari. Nunc vero dolendum eſt, in ſecula incidiſſe, ubi bonitatem laudare penè ducitur opprobrio, in tot peſſimorum hominum colluvie. Tanto olim in pretio fuit Viri boni titulus, ut vix major fuerit; Senecæ verò jam tum tempore ruſticus is titulus audiebat, quem ille tamen omnibus præfert. Magno, inquit ille, impendio temporum, magnâ alienarum aurium moleſtiâ laudatio hæc conſtat, ô hominem literatum! ſimus hoc titulô ruſticiori contenti, ô Virum bonum! Ita il-

ille. At nunc eò res rediit, ut & hanc querelam nostram facere cogamur, quod, dum docti esse inceperint, desierint boni. Sic quod virtuti debebat viam sternere nomen, vel adeo cum ea esse conjunctum, ut ne quidem discriminis aliquid inveniretur, nunc pene ad evertendam illam natum est. Meliora sanè speramus de illis, quos hic in illustrem hunc locum adducimus, veræ nec fucatæ Philosophiæ candidatis. Nihil illis ab ineunte ætate pietate, verô omnium virtutum fundamento fuit sanctius; cui præclaras illas animi dotes, quas satis perspectas habemus, superstruxerunt: de doctrinâ vero eorum, & eximia eruditione, quam tam publicis, quam privatis examinibus exploravimus, publicè hic testamur, luculentisque documentis ipsi testabuntur. Sistimus hic primum Virum reverendâ dignitate conspicuum LEONHARDUM PEGMANNUM, Serenissimi Principis Ernesti Güntheri Aulicum, & urbis Sunderburgi Pastorem vigilantissimum, cujus vel ipsum sacrum, quod per tot annos gessit, munus abs se loquitur, qualis is debeat æstimari. Neque enim homines aut ignavos, aut indoctos ad tantas vocamus dignitates; ea tamen fuit ejus modestia, ut dudum dedita sibi doctrinæ præmia nunquam impatienter ambiret, nisi quod nunc, Serenissimo Principe ejus ita volente, honestè demum petere honestissimam illam, quæ ex ingenio, virtute, & industriâ paratur, laudem in patriâ

A-

Academiâ voluerit. Siſtimus & DIETERICUM TONNEMACHERUM, Theologiæ & Philoſophiæ eximiè doctum virum Juvenem, cujus bonam indolem jam ab eó tempore, quo hujus Academiæ ſtudiis initiari cœpit, norunt inter nos laudaruntque plurimi. Nihil quidem omiſit earum rerum, qui ad ſtudia ſua ornanda, animumque excolendum facere poſſe videbantur. Audivit Profeſſores legentes, diſputantes, publicamque & privatam plurimis probavit induſtriam: Ut nihil quidem ei deeſſe viſum nobis fuerit, quod ad ſolidam è literis gloriam parandam poterat pertinere. Quare utrumque facultatis Philoſophiæ collegium digniſſimum judicavit, cui ſupremos illos in Philoſophia honores, quos modeſtè petiêre, glorioſe deferret. Quia verò publicâ autoritate niti decet hos titulos, Sereniſſimusque Princeps vicariam poteſtatem conceſſerit Viro admodum Reverendo & Ampliſſimo Dn. Petro Muſæo, S.S. Theologiæ Doct. Pr. Pr. Celeberrimo: ad Tuam jam Magnificentiam appello, Magnifice Dn. ProCancellarie, maximoque à Te Precibus, tùm Collegii noſtri, tùm meo, ac Dnn. Candidatorum nomine contendo, ut poteſtatem ſummos in Philoſophiâ Magiſterii honores Dn. Leonhardo Pegmanno, tum & Dieterico Tonnemachero tribuendi, facere ne dedigneris. Quod inſigne beneficium tam totum noſtrum collegium, quàm ipſi hi Candidati gratiſſimo a-

 gno-

gnoſcent animo, qui omnia ſua officia tibi ſanctè pollicentur.

(ProCancell.)

Ego verò tam Reverendisſimo & Sereniſſimo Principi, Rectori & Cancellario noſtro Magnificentisſimo, quàm tibi, Magnifice Dn. ProCancellarie, Collegii univerſi noſtri nomine gratias ago, habeoque, quas concipere poſſum maximas, pro clementisſimè & benevolè conceſſâ illâ poteſtate, quâ mox more uſitato defungar, ſi vos, Dnn. Candidati, ſolenni jurejurando, præeunte verba miniſtro publico, tactis Sceptris prius vos obſtrinxeritis.

(Juramentum.)

Ergo, quod cedat in ſummi Numinis gloriam, quod Eccleſiæ, quod Reipubl. quod Academiæ huic ſalutare, quod denique ipſis Candidatis felix fauſtumque ſit, ego D. G. M. D. Eloq. & Poëſ. Prof. in hoc actu Decanus & Promotor, Te — — — Te — — — adeoque vos geminos, Philoſophiæ Doctores ſive Magiſtros creo, creatos renuncio, talesque Vos ab omnibus haberi & ſalutari volo in nomine SS. Trin. Patr. Fil. & Spir. S. Confero vobis item omnia illa jura & privilegia, quæ Gradui iſti ac Titulo tum de Jure & conſvetudine communi, tum ſpeciatim vigore Diplomatis Cæſarei ſunt connexi.

Quoniam vero prudenti placuit Antiquitati, hujus honoris publici collationem ſolennitatibus quibusdam ac ceremoniis reddere ſplendidiorem, iisque jam re-

renunciatos Magiſtros ſui admonere officii ac muneris; easdem quoque hoc tempore adhibebimus. Et primum quidem vos in Cathedram hanc ſuperiorem voco, quo intelligatis, licentiam vobis fieri docendi, diſputandi, Philoſophiamque & Artes liberales, quas didiciſtis hactenus, explicandi. Libros Vobis trado, & quidem apertos, ut cogitetis, aſſidua lectione doctrinam eſſe confirmandam & amplificandam, vosque, qui vivi jam eſtis Magiſtri, mortuos etiam hos, mutosque in conſilium vocare debere. Eosdem iterum, claudo ut vel extra illorum uſum Philoſophi eſſe ne deſinatis, bibliothecamque animo etiam circumferatis. Pileum vobis impono, quod libertatis eſt Symbolum. Liberi ſunt Sapientes; noſtis Stoicorum effatum; Stulti ſoli ſerviunt. Monemini ergo his Inſignibus, quod ab Ignorantiæ ſervitute ac vinculis debeatis eſſe immunes. Annulum digitis Veſtris impono, qui vicem hic arrhæ ſuſtinet, qua Vobis Sophiam vel bonam illam mentem, quam Deam Veteres dixiſſe audivimus,

Connubio jungam ſtabili propriamque dicabo.

Hos amores, ut eò ſinceriores ſint, hoc amplexu obſigno, quo admonemini, ut discordiam fugiatis, concordiamque potius complectamini, quo arctius colligatur Sapientiæ unio. Denique & faces vobis præferri videtis, quæ indico ſunt, lucere coràm hominibus veſtram & probitatem & doctrinam debere, ut videant, Vos honore literario, quo modo eſtis ornati, dignos eſſe. Sic denique has gloriæ faces appellabo, quas lucernæ lucubrantibus præferte.

Quod reſtat, Patrem Luminum, à quo omnis

donatio bona, & omne Bonum perfectum, Apostolo teste, descendit, submisse veneror, ut novos illos honores prosperos Vobis velit esse & auspicatas. Is honestos vestros eò dirigat conatus, ut magnum hinc Ecclesiæ præsidium, magnum nascatur Academiæ ornamentum. Ceterum ne mutæ personæ in hoc productæ proscenium esse videantur, placet ut more recepto à singulis aliquid eruditionis ac ingenii specimen edatur. Quare Tu Vir Reverende, Clarissimeque Dn. Magister Pegmanne, *ad Quæstionem, quam optimæ indolis puer Tibi proponet, respondebis: Tu verò, Clarissime Dn. Magister* Tonnemachere, *solennes gratias tàm DEO, quàm universo huic inclyto consessui, ages. &c.*

De Otio Sapientibus dando,

cum Magistratum Acad. secundùm adiret, mens. Apr. 1677.

CUm ante ipsos hos octo annos, quartô ab Academiâ conditâ, octavo mihi ProRectori hæc circumponeretur purpura, hæc sceptra anteirent, totus hic consessus aplissimus bona verba funderet, tota hæc concio acclamaret, non exiguam felicitatem & honoris partem vestris mihi suffragiis consequutus videbar, cum florerent altissimâ pace res nostræ, ipsi innoxii sine metu ætatem ageremus, & honesto illo laudabilique otio frue-

eremur. Circumferebamus tùm regiam hanc purpuram, veram ſplendoris noſtri teſtem & comitem & auguſtum lætiſſimæ feſtivitatis pignus. At nunc ô quantum mutata ab illo die tempora! cum in tantâ rerum converſione, in iſtâ Patriæ calamitate, idem mihi munus offertur, neſcio quis animum horror percellit, illumque & ſibi, & ei, quam adminiſtrandam ſuſcipiet, provinciæ ſubducit. Quid enim animi nobis in publicâ hâc tempeſtate fore creditis? quis ſceptrorum iſte inter arma circumſtrepentia ſplendor? quis purpuræ huic color? cui tenebras noctemque ipſam facilè offundat temporum noſtrorum injuria? ut parum certè abſit, quin ſplendidus ille ornatus in pullum luctuoſumque convertatur. Hæc quoniam animum in varias partes verſabant, conſultiùs fortaſſis fuiſſet, non ſuſcipere in ſe, quod tàm grave videbatur, onus, manusque ab eô abſtinere, cui lacerti humerique noſtri ſuccumberent. Sed cùm & imperio Principis Sereniſſimi parendum eſſet, & veſtris, Patres Academiæ conſiliis non refragandum, ne vel inobedientiæ, vel immodeſtiæ crimen incurreremus, collegimus nos, & illius veſtræque voluntati etiam noſtram non inviti adſcripſimus. Ita enim cum animo noſtro reputabamus, levius fore, quod bene patienterque ferretur onus Vobis præcipuè C. H. in maximam oneris partem venientibus, illoque animos addente, qui honeſtorum conſiliorum laborumque & autor eſt

& consolator. Accipiamus itaque è manu Tuâ C. H. tradita nobis Sceptra, Teque præeuntem in hoc stadio, vel exemplo Tuo firmati sequamur. Quoniam autem in more positum est, ut ejus muneris auspicia oratione aliquâ solenni capiantur, neque nobis committendum videbatur, ut quicquam ejus, quod ad ornandum hunc diem pertinere posset, desideraretur. Hæc tractanti animo cum commodum quæreretur argumentum, occurrebat aliquod ab hoc atroci & difficillimo tempore alienissimum, & in pacatiora Reipublicæ nostræ tempora rejiciendum. Quod si persequerer, ut institutum erat, verebar ne mihi occinerent aliqui Martialis illud:

Ecce tacent omnes, Nævole, dic aliquid.

Scilicet tu verba nunc fundis sapientiæ & philosophas sententias loqueris? tu soccos infers in Tragœdiam? tanti scilicet erat, cùm armis obsidetur Civitas, te cum Diogene volvere dolium, ne otiosus videaris. Verum quoniam nec spes meliorum temporum omnis decollavit, & nobis tamen intra regna nostra manendum est, exuamus nunc metum omnem, & quasi in speculâ aliquâ, aut intermundiis Epicuri constituti in nos ipsos descendamus à turbâ semoti, & hanc, quam in signis nostris ostentamus pacem, saltem in umbrâ & pulvere nostro superstitem veneremur. Dicam itaque, ne vos suspensos diu teneam, de otio Sapientibus dando, atque ita sermonem omnem tribuam,

am, ut primùm, qui Sapientum nomine habendi ſint, hinc quale illud otium eſſe debeat, tum qui in Rempublicam ex eô fructus redundent, oſtendam. Quod cum facio, tantum de otio Veſtro A. H. etiam nobis ut largiri velitis contendo, quò hæc non ingrata Vobis fluat Oratio. Nos id operam dabimus, ne otio Veſtro patientiâque, dum de otio verba facimus, abuti videamur.

Ac primùm quidem, cum Sapientes voco, non eos me intelligere credite μετεώρους, & in nubibus inanibusque captandis occupatos homines, aut qui bello ſocietati humanæ indicto in latebras quasdam ſe abſcondunt: non Thraſones illos literarios, qui in exiguâ modicâque doctrinæ parte regnum aliquod ſe poſſidere exiſtimant. Tantùm enim à verâ abſunt ſapientiâ, ut omnes anteire ſtultitiâ exiſtimem. Quod eos attinet, qui in ſpeculatione omnem ſuam voluptatem reponunt, illi quidem reprehendendi non ſunt, ſi iis ſcientiis animum paſcant, quæ ſaturare pectus ſolidâ aliquâ rerum cognitione poſſunt: quô nihil in vitâ accidere ſvavius honeſtius jucundiusque homini poſſe, nemo familiarior Muſarum hospes inficias ibit: Sed qui ſpeculationibus ſuis immerſi limitesque veræ Sapientiæ egreſſi in vanas mentem imagines evocant, & ſterilibus quibusdam commentis ſibi ipſis & ſeculo imponunt. Quæ enim ſtultitia eſt, bonas & ſuccipl[e]nas Virgines Scientias curaturâ tam ineptâ facere junceas, &,

&, ut ad perfectionem reducantur, omnem ipsis sangvinem & spiritum intercludere, ut pro vivo spirantique vultu cadaverosa earum facies ostendatur. Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria, doctissimus ille fabulator ajebat. Idem in iis Scientiis etiam spectari debet non ideo discendis, ut his velut picturis inanibus animum pascamus, compressis sedentes manibus, aut ignavô otiô torpentes: sed & ad vitæ necessitates, ad commoda humani generis respectandum est homini Philosopho, qui non degenerem orbis & Reipubl. suæ Civem se profitetur. Nolim ego, qui cum Anaxogorâ amplissimo patrimonio se exuat; aut cum Thalete aurum in mare abjiciat, ut sibi & studiis possit vacare toti; aut cum Democrito ad sepulchra abeat inter cadavera inque silentium regno tranquillius philosophaturus; aut cum sordido aliquo Diogene circumcursitet cæterorum omnium subsannator. Sunt, ut omni hominum generi, ita & huic sui morbi, svaves illi & lepidi, à quibus sanari se ægerrimè nonnunquam ferunt, sed ab iis cavendum tamen est illis, qui confirmatiorem habent animum, & rectius, quid ex suô, quid ex omnium hominum usu sit, intelligunt. Scilicet non veræ sunt scientiæ, vel saltem non verus earum usus est, nisi prudentiâ quâdam sint temperatæ. Ea enim ubi absuerit, fieri facilè potest, ut, cum modum non tenuerimus, id consequamur, ut cum ratione insanire vulgò cre-

credamur. Per Sapientiam nostram potiùs cerebrosi, quam per Prudentiam nostram cordati. Quandoquidem verò duplici ex causâ disciplinarum constet ratio: nam sunt aliquæ ex illis, vel solius luminis gratia, ut ille in se ipso spectatur, aliquæ ob utilitates, quas in vitam civilem inferunt: ita illæ præcipuè nobis excolendæ & in omni vitâ frequentandæ: ex his tantum hauriendum est, quantum vel instituto nostro, vel muneri, vel quibuscunque rationibus nostris conducere putemus. Quis nescit, à summo universi hujus Opifice in mundum quasi in possessionem quandam nostram nos esse missos? Missi autem sumus, ut tria hæc discamus: quomodo mundus ille conditus, quid in illô fiat, quid fieri à nobis debeat. Primi istius contemplatio tota divina est, & ad Deum ducit viâ plus quam regiâ imò divinâ. Quid enim jucundius est, quid majori fructui gloriæque esse potest, quam divinorum considerationi operum se immergere, & mentem, quâ spectabilis ille mundus panditur, jam per ipsas Solis astrorumque vias circumducere, jam ipsis terræ penetralibus immittere, jam in se defessam fatigatamque reducere, & in illâ vivam quandam Dei & majoris mundi imaginem speculari. Hanc sibi Philosophia naturalis siderumque Scientia partem vindicat: alterum illud docet nos Historia rerum gestarum, Scientiæ Prudentiæque quasi quædam ministra: tertium eæ disciplinæ, quibus ad Huma-

nitatem, bonos mores, ſalutem tàm civilem, quàm æternam informamur. Hæ ſunt, quæ non delectant ſolùm, ſed & mirificè proſunt Scientiæ, quarum qui omninò rudis eſt, ita in hoc mundo vivit, ut, quare in illo vivat, non intelligat. Sed dici tamen vix poteſt, quàm craſſa, quàm profunda earum rerum in vitâ hâc hominum verſetur inſcientia, ut longè feliciorem hâc parte exiſtimem, quæ tantô locorum ſpatio à nobis ſemota eſt, Sinenſium gentem, immeritò nonnullis barbaram vocatam, quæ naturæ cujusdam indulgentioris motu incitata tantam in his Scientiis voluptatem capit, ut extra illas nulli Scientiæ vel arti pretium ſtatuat. Naturalium rerum contemplationi magnâ animi contentione incumbit, in omni Mathematices genere exercet induſtriam, in Hiſtoriâ ſcribendâ fide & diligentiâ omnes ſuperat populos. Nam publicis ſtipendiis ſemper illic aluntur homines ad eam rem facti & conſtituti: quod in ſuâ gente ſuo tempore regi Galliarum commendabat ſummum Galliæ decus Budæus, non leve in ejus omiſſione Gallici nominis opprobrium verſari ratus. Moralis civilisque doctrina tam altas in illorum ingeniis radices egit, ut jam ab ungviculis ipſis intelligant doceanturque, quæ parentibus debeant, quæ majoribus, quæ magiſtratibus, quæ æqualibus officia, quibus ita certant, ut prodigiis ſimilia videantur, quæ eorum notata ſunt exempla. Quibus ſi doctrinæ cœleſtis gratia acceſſerit, quid

quid addi ad consummatam & perfectam hominum felicitatem posse Vobis videbitur? Quod ceteras illas artes attinet, quas minutior aliqua hominum industria è prioribus, velut radicibus quibusdam, propagavit, aut aliqua svasit vitæ civilis utilitas, ne illas quidem ignorari à Sapiente nostro velim, sed ita tamen exerceri, ne ad indigna se demittat, aut illam ingenii vim in molestis quibusdam negotiis & liticulis frangat. Seligendæ tamen ex iis semper sunt ac potiores habendæ, quæ intellectum ornant, ac judicandi facultatem juvant, quàm quæ ad phantasiam referuntur. Quanquam omnia, qascunque etiam in partes verset animum, illud mentis Sapientiæque lumen percurrere debeat. Nam quoniam duabus rebus à reliquô animantium genere oratione rationeque distingvitur homo, ac iis pernoscitur, tùm utique perfectissimus quisque judicandus est, cum maximè hæ duæ res in eo absolutæ sunt. Itaque totus omnium disciplinarum complexus ad Sapientem nostrum velut fundus aliquis pertinet; quem possidere quidem totum inque potestate suâ habere potest, cùm in unaque ejus parte habitet, eamque præ ceteris colat impensius. Sive ergo de jure respondeat, sive ad populum verba faciat, sive bonos Autores à situ tenebrisque vindicet, sive novi aliquid ex ingenio suo parturiat, ita se in iis omnibus gerere debet, ut pompæ etiam & splendoris in disciplinis decorus sit ostentator, nihil

au-

autem in illis omnibus inepti, ſapientiæ verò accuratæque ſolertiæ plena omnia deprehendantur. Quæ omnia non niſi à compoſitâ mente & intra ſe ipſam collectâ, ac à tumultibus remota inſtitui efficique poſſe nemo non intelligit. Otiô itaque abundare Sapientem oportet, eâ ſcil. animi quiete, per quam ipſe quidem non planè ſit inficiens, ſed ab humilibus ſordidisque curis revocatus in acerrimâ atque attentisſimâ cogitatione ſublimium rerum totus defigatur. Tale enim Sapienti noſtro otium eſſe dandum, amplius nunc diſpiciendum nobis eſt. Detur ergo otium Sapienti non ignavum ac delicatum, quale Epicuri Schola ſectabatur, non ſordidum, quale Cynicorum, non triſte & ineptum, quale eſt eorum, qui cum Sapientes videri volunt, & magnificis paſſim irrefragabilium & mirabilium titulis ſalutentur, nihil aliud faciunt, quàm ut in exiguo fundo multos labyrinthos commenti in orbem diſcipulos ſuos ἀεὶ παῖδας circumducant, & quaſi Ixionis cujusdam rotæ illigatos frangant. Detur ergo Sapienti otium, ſed liberale, ſed ingenuum, ſed honeſtum & Sapiente dignum, & cujus in Rempubl. fructus & utilitates diffundantur. Quoniam autem Scientiæ quædam in iis rebus verſantur, quæ æternæ ſunt, ſublimes, altè reconditæ, in quarum magnitudinem cum ſe injicit animus & intendit, ita longè latéque peregrinatur, ut penè, quo inſiſtere poſſit, non inveniat: facilè intelligimus

mus, eò majore quiete otiôque opus esse, quò magis à vulgi commerciis remota sunt, in quibus felices illæ animæ occupantur. Qui DEum ac divina opera contemplantur, naturæ maxima arcana rimantur, pondera proportionesque corporum investigant, æternas naturæ leges ex abdito eruunt, magnas illi res moliuntur, non operâ quâdam desultoriâ, aut in turbâ peragendas; sed in secretissimis penetralibus, & Numine quasi inspectante & sciente, perpetuâ omni in vitâ cogitatione extundendas. Scilicet illi sunt, quas summus è Lycéo Philosophus nobis describit ut genios facie humanâ indutos, vel potiùs DEos inter homines versantes, qui velut Reges & Dictatores quidam perpetui, nec legibus Reipubl. tenentur, cujus ne quidem partem constituunt, cùm eis sint superiores, &, ut uno verbo omnia comprehendam, Sapientes & Philosophi. Nulla potest in his contemplationibus nimia esse opera. Nam, (si Senecam audimus) non cum vacaveris philosophandum est; omnia alia negligenda, ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi á pueritiâ usque ad longissimos humani ævi terminos vita protenditur. Ejusdem præceptum hoc est: Omnia impedimenta dimitte & vaca bonæ menti, nunquam ad illam pervenit occupatus, exercet Philosophia regnum suum, dat tempus, non accipit, non est res subcesiva, ordinaria est, domina

na eſt, adeſt & jubet. O felices illos ſi otio ſuo frui poſſint, ſi intemeratum, ſi ſanctum ſit: quod ut eſſe poſſit proſpiciant illi, qui proſpicere debent, ne quid detrimenti capiat Respublica; nam ut in magnâ familia proſpicere omnibus debent, ita eas artes debent tueri, quibus Societatis Solus, & reipublicæ tranquillitas innititur. Ut enim benè non poteſt eſſe corpori, ſi animo malè eſt: ita valere non poteſt civitas, cui mens ſua vel emota eſt, vel aliquâ ex parte laborat: mentis autem nomine appello non eam tantum poteſtatem, quæ rerum ſummæ præeſt, ſed & ejus adminiſtros, in reipubl. regendæ partem vocatos, qui bonis conſiliis, ſalutaribus inventis rem communem ſuſtineant, & velut in perpetuis excubiis ſe impendant. Quos autem eſſe oportet Sapientes, aut è Sapientum Scholâ velut ex magno quodam regno provinciis ſuis immiſſos. Quare qui opibus pollent Reges aut Magnates in illud curas cogitationesque omnes impendere debent, ut ſua præſtantiſſimis ingeniis magnâ diligentiâ delectis præſtantur otia honeſta & literalia, quibus illi innutriti augeant rempublicam magnis ſucceſſibus, ſpiritusque illi omnes impendant, de vitæ neceſſitatibus ſecuri. Præſtantur verò ſua Sapientibus otia, ſi quam amplisſimâ illi dignitate ſint, iisque ſe præmiis honeſtari intelligant, quæ educere & velut rore quodam paſcere illum animi vigorem poſſunt: ſi

non

non modicè & ſordidè habeantur, ſi opulenta ditiaque ſtipendia, ſi magna operæ pretia mereantur. Inſtituta huic fini in omni cultiori gente quidam fuêre Sapientum collegia, qualia floruêre apud Græcos, & quorum imaginem exhibent Academiæ, ſcholæ regiæ, quæ ipsô ſuô nomine otium liberale illud profitentur. In quô tamen ſi à monitis iſtis diſceditur non ipſæ tantum turbantur, ſed ipſæ etiam reſpublicæ magnâ ſui parte labefactantur. Non ignorabat ejus moniti utilitatem magnus idem ſapientisſimusque Angliæ Cancellarius Baco Verulamius, cujus ego ſuffragatione cur non triumphem? Cui incomparabilia in univerſam Sapientiam, tàm literariam quàm civilem, merita æternum nomen, immortale genti ſuæ & omni nobilitati exemplum pepererunt. Nam in doctiſſimis de augendis Scientiis libris, quos Regi ſuo inſcripſerat, ubi defectus erroreſque Academicos detegit, in hæc verba prorumpit: Quæ à me recitari, à vobis verò audiri, in hoc præcipuè argumento non eſt tædioſum. Improbo vel maximè tenuitatem ſtipendiorum, Prælectoribus ſive Artium, ſive Profesſionum, (præſertim apud nos) asſignatam. Intereſt enim imprimis progreſſui in Scientiis, ut Lectores in uno quoque genere ex optimis inſtructisſimiſque eligantur: utpote quorum opera, non in uſum tranſitorium; ſed ad ſufficiendam ſobolem ſcientiæ in ſecula adhibeatur. Id fieri nequit, niſi præmia & conditiones tales

con-

constituantur, quibus eminentissimus quisq; in eâ arte planè contentus esse possit: ut illi demum grave non sit in eodem munere immori, neque Practicam cogitet. Quocirca Scientiæ ut floreant, Militaris lex servanda Davidis: Ut æqua esset pars descendentis ad prælium, & manentis ad sarcinas; Sarcinis malè aliter prospectum erit. Sic Lectores in Scientiis sunt tanquam conservatores & custodes totius literarii apparatus, unde praxis & militia deinceps scientiarum instruatur: proinde æquum est, ut merces ipsorum lucra Practicorum exæquare possit. Aliter si patribus scientiarum præmia non constituantur satis ampla & luculenta, eveniet illud:

Et patrum invalidi referent jejunia nati.

Hæc ille in Anglicis Academiis desiderabat, in quibus tamen Professionibus suis non adeo tenuia stipendia, si cum aliis conferantur, numerari nos novimus. Eandem fortè ob causam, Bœclero teste, æqulia tàm in Argentoratensi quàm Upsaliensi Academiâ omnium artium Professoribus salaria sunt constituta, scil. lucri cupidine commoti à Statione suâ discederent, ut in alienas partes non sine aliorum molestiâ involarent. Est ita Auditores, est ita profectò! nunquam pejus habere rem Sapientum omniaque studia, quàm si ad mercenariarum, & sellulariarum artium conditionem abjiciantur, idque otium, quod honestum illis & liberale esse debet, præmiorum tenuitate in-

intervertatur. Nam qui paulùm honestioris ingenii sunt, ad famem perpetuasque miserias plùs quàm adrasteâ necessitate condemnantur; qui paulùm ab animi rectitudine declinant, hoc velut auctoramento, dum lucro sunt intenti, ad improbas artes impelluntur, vel segniùs saltem agunt, quæ sibi sunt agenda. Adeò malus in nostris rebus ingenii largitor venter est. Quid magis infamat Theologiæ sanctissima studia, quid magis affligit illa quàm lucri illa sacra fames? Jam tùm ipse Salvator noster suo tempore mercenarios illos animarum Pastores notabat. Jurisprudentia augusta illa & in solatium humanæ necessitatis exculta disciplina, quàm casta illa integraque erat, cùm principes urbis homines, opibus & potentiâ florentissimi, & in ipsis Philosophiæ sacrariis enutriti, reorum causam agerent, de jure responderent, nullâ mercede sollicitati, imò lege cinciâ à mercede capiendâ abstracti! Triumphabant tùm eâ gloriâ Catones, Polliones, Messalæ, Aruncii, Tullii, & ad domos eorum, velut ad Deorum quædam delubra gratuita fundentium oracula accedebatur. Simul ac verò certis pensionibus æstimata fuere patrocinia, sordibus oblita Diva castissima, fraudibus locus datus, & hodiè rabulis in prædam penè tota cessit, eâ maximè parte, quâ mercenaria est, & in nundinationes per vim vel dolum convertitur. Cùm primum ante quinque hæc secula quasi ex inferis ex-

citaretur Jurisprudentia, agmine quasi facto ad eam, velut ad vellus aliquod aureum aut prædam aliquam proruebant omnes, cùm ad honores & opes cumulatissimas hâc quasi regiâ viâ grassari se posse crederent. Regnabat tùm ubique barbaries, è quâ velut è spissâ nube emergebant nonnunquam ingenia præstantia, quæ hanc Studiorum fatalem penè conversionem non satis æquis oculis intuebantur. Vivebat tùm in Angliâ seculum suum, supra hominum fidem, rerum mathematicarum & naturalium Scientia admirabilis Rogerus Baco, qui cum Theologorum Philosophorumque castra deseri videret, magno conatu se huic hominum morbo quasi epidemio opposuit, indignè præterea ferens, non jam amplius Philosophos, ut moris tùm erat in Academiis, rerum potiri, sed primas ubique occupare legum Romanarum Professores. Eadem quoque Matthiæ Parisiensis, non ignobilis historici, querela fuit: ita enim ipsa ejus verba habent: Temporibus sub eisdem liberales artes in mechanicas penè fuerunt conversæ propter lucrum, ut verè possit dici, Philosophia prostat, & in pretio pro meretrice sedet: & jam ferè omnes Scholares intactis Grammaticis rudimentis, autoribus, & Philosophis ad leges properant audiendas; quas constat non esse de numero artium liberalium: artes enim liberales propter se appetuntur, leges autem, ut salaria acquirantur. &c. Non poterat ab ingeni-

nio suo impetrare istius temporis quasi Phœnix quidam Petrarcha, ut amœnitate literarum bonarum relictâ se Studio legum Romanarum totum addiceret, quarum tamen auspicia integro septennio, quod jussu parentis impenderat, optimè illi cesserat. Post mortem tamen ejus nuntium huic misit Studio, cumque Cynus, JCtus clarissimus, ad prosequendum illud adhortaretur, in hæc verba rescripsit: Studium ad quod me hortaris, servile officium reputo, & mancipium omnibus se præstant, qui illo utuntur; &, si paterna non foret reverentia, (à me) non acceptum. Quis est, qui non dicat, hæc jura venalia esse, & ad benè recteque vivendum longè aliis Studiis esse inferiora? Quid ad faciendum Virum bonum ista conveniunt? Sed quis non videt, ad virtutem consequendam nihil pertinere? Sed cupidum magis mendacem, iracundumque hominem reddunt. Longô post tempore Vir & genere & meritis in literas illustris, idemque juris Romani interpres è primis, eandem non desiit cantilenam canere, cùm ægerrimè ferret ad Reip. munia non Viris doctissimis, non illis ex elegantiori JCtorum familiâ, sed sordidis quibusdam & mercenariis hominibus aditus patere, cum ita scribit: Juris Civilis ac Pontificii non dico prudentibus, sed utcunque consultis, spes certarum capturarum proposita est ad cancellas forenses oberrantibus. Queis & ipsis, çum forensem laborem cœperunt,

à togatorum ordine emigrare ſtatim licet,ſi fortunam nati ſunt adminiculatricem,ad tribunaliaque ſcandere, & in ſubſelliis liliatis eniteſcere. Ex nullâ autem ferè vel diſciplinâ vel natione homines tot evadere videmus, non ſuâ vi, non propriâ, non juſtâ magnitudine grandes, quaſi quidam grallatores. Nam ut hi calapodibus ſublati inceſſu prægrandi giganteam proceritatem mentiuntur; ſic illi in ſummis magiſtratibus altisque cothurnis honorum conſtituti ſummi ſibi viri multisque videntur eſſe. Hæc illi, Viri ſanè ſuo tempore præſtantiſſimi deturbato per mercenaria ſtudia ſcientiarum artiumque liberalium otio querebantur: quæ non in ignominiam Ampliſſimi Ordinis quis à me dicta interpretetur, ſed de hominibus miſeris & jejunis & formularum cantoribus, legum Romanarum non tàm Doctoribus quàm Decoctoribus, quarum Majeſtas Philoſophiæ ac elegantiorum literarum beneficiô ita poſt illa tempora revixit, ut ſplendorem olim Romanæ Jurisprudentiæ æmulum longè lateque vibraverit. Quanquam id fateri tamen debemus, inter Scientias reliquas nullam magis Sapientiæ bonisque literis obeſſe, qui Jurisprudentiam,cum è liberali illâ & regiâ tranſit in mercenariam. Illa enim ut Philoſophiâ bonisque literis maximam partem continetur, ita hanc etiam ab Idiotis vel certè Ingeniis non magnis magnæ tamen apud populum authoritatis, feliciſſimè expediri poſſe videmus.

mus. Unde quò conſpectiora, eò magis noxia in vulgus ſparguntur exempla. Budæi tempore cum plerique iſtorum hominum ſordibus ſuis rure & inficetiis meris oppleti honorum ſubſellia quaſi ſua quædam ſibi patrimonia rapiebant, rei indignitas illum movit, ut egregio libro Philoſophiæ cauſam ageret, quô nomine omnem ſapientiam & elegantiores literas complectabatur, & ipſe regius conſiliarius, ac libellorum ſupplicum Magiſter, ſupplicem ad Regem libellum, pro impetrandis & honoribus & ſtipendiis in bonas literas elocandis ſcriberet. Quem amare, quem legere librum debent, qui bonam mentem amant, & bonas literas, & pulcherrima illa otia, cujus velut claſſico excitata Gallia dignius poſtea pretium literis iis ſtatuit, quæ Sapientiam comitantur. Eruta è tenebris ſunt antiqua ſapientiæ & pietatis monumenta, à Viris doctiſſimis nativo ſuo ſplendori reſtituta: applicuerunt iis animum viri principes, vel ſubſidiis ſuis literatorum otia foverunt: honoribus illi aucti, patrimonia in eos ſplendida, è beneficiis, ut vocant, Eccleſiaſticis collata: ut illi in fortunato & florentiſſio otio extra rei familiaris curas, extra lites & jurgia, ſolius culturæ animi incumberent. Quô factum eſt, ut maximus eſſet pulcherrimorum ingeniorum, ampliſſimusque ex omni Sapientiæ genere librorum proventus: ipſis certè Italis, qui tantis, quas poſſidebant, opibus, tàm liberali otio ad

ineptam potiùs superstitionem abusi palmam; si non præripuisse, dubiam tamen reddidisse viderentur. Nolo quicquam de Germanis dicere, apud quos, si tàm opulenta præstantibus Ingeniis darentur otia, si Principum Magnatumque favor ex æquô conspirarent, dubium nullum est, quin omnes, quotquot sunt, nationes anteire literarum celebritate possimus: cum olim & nunc in re non adeo lautâ constituti homines docti, multis prætereâ etiam negotiis immersi, præclarissimis Speciminibus ipsos Gallos Italosque provocarint, invidiam certè eorum & insignia, velut ab hostibus extorta, testimonia etiamnum promereantur. Multa, ut ipsi opinor intelligitis, *Auditores*, tacita relinquenda sunt, quoniam temporis ratio habenda, idque nobis agendum est, ne in otio isto nimis nos laboriosi, aut vestris auribus nimium facere negotii videamur. Nam si singula sapientiæ genera percurrere ac percensere nostrâ oratione velimus, multa de illis, multa de otio, quod ipsis dandum, restarent dicenda. Itaque missis illis, cum iis nunc agemus, qui honorifica illa Sapientum Otia, non tacitis tantum convitiis pungunt, sed per ora hominum traducunt, & publicis ludibriis exponunt: Ac si infrugifera illa, imò noxia sint reipublicæ, ipsique homines sapientes non probè satis affecti ad munus fungendum repeRiantur. Quam nequissimam calumniam ut frangamus, notemus primum, eam profe-

ctam

ctam esse ab istiusmodi hominibus, qui cum ipsi cœci sunt, aliis lucem invident, & suæ stultitiæ ab obstinatione suâ quærunt auctoramentum. Ut verò hominibus imperitis nihil est injustius, ita in hâc causæ nostræ luce, tenebriones illos, bellos, si Dis placet, judices, jure legibusque depellemus. Ac primum de iis videamus scientiis, quæ in contemplatione solâ subsistere creduntur. Eæ scil. hoc telo primæ petuntur, quasi scil. animum enervent, à rebus gerendis abducant, & inani otio velut tabe quâdam consumant. O stuporem, ô inscitiam! Nam ut de voluptate tàm sanctâ, tàm jucundâ ac propemodum divinâ, quæ ea studia comitatur, nihil omninò dicam; non enim saturant istæ delitiæ tàm bruta pectora, & sunt suæ Arcadibus glandes, & asinis cardui relinquendi: Fructus eorum studiorum in Rempublicam redundant uberrimi, si tractentur illa ab Ingeniis non proletariis & mercenariis, sed illustribus, sed regiis, & ad tàm sublimia negotia ab ipsâ naturâ factis, & curâ solerti exquisitis. Ab hoc fonte, si nescitis, ô miseri, fluunt salutaria illa inventa humanæ necessitatis subsidia, quorum in pacis bellique temporibus usus se exerit longè maximus, ut barbari, imò ad societatem colendam sine earum præsidio inepti existeremus. Cum in pulvere suo Archimedes speculatur, ipse quidem otiosus apparet, sed quàm salutaria illa patriæ otia sunt, quam periculosa hosti, ipse eventus

testatur. Infinita à me commemorari possunt, totque hodiè documenta loquuntur, quanta expectari possint à Viris beato quodam in otio constitutis: cum à maximè occupatis & alia agentibus tam pulchra tam præclara quotidiè excogitari videamus. Quinimò si vel maximè opus externum post se non relinquat sapiens, non ille deses aut nihil agere putandus est, cujus speculationes actiones, & quidem longè ceteris perfectiores, vocat Aristoteles. Depone hoc apud Te, Seneca ait, nunquam plus agere sapientem, qui cum in conspectu ejus divina, atque humana venerunt. Quales non modo non contemnendi, sed velut cœlo quidam missi heroës in exemplum humano generi, ut in hos, velut in speculum, intueantur, constituendi sunt. Verum ad Reip. negotia tractanda sunt inutiles. Id illi curant scilicet, quasi in eo positæ sint sapientum fortunæ aut eorum desiderio angantur illi magnoperè. An credat quis, eos, qui acie mentis dispicere tàm remota à sensibus possunt, quotidiana illa & ante pedes posita non comprehendere, si oculos animumque in illa convertere dignentur. Falsum quinimò illud crimen est, statimque concidet & extingvetur, si & veterum & nostrorum temporum consulamus exempla. Annon apud Græcos res magnæ & memorabiles à Philosophis sæpè gestæ? annon legislatoribus Philosophis optimæ constitutæ Respublicæ? quas factiosi posteà homines opibus cumu-

mulandis & tyrannidi ſuæ ſtabiliendæ intenti vel turbarunt vel everterunt. Annon ex Socratis diſciplinâ Alcibiades prodiit? â vitiis quidem ille ſuis non planè ob ingenii pravitatem derelictus, tanti tamen Viri cultura ad tot Virtutis prudentiæque ſpecimina inſtitutus. Ex eodem ludo, vel ipſomet fatente, Xenophon pugnandi & imperandi illam artem didicit, quâ Artaxerxis innumeras penè copias ad internecionem proſtravit, tot provinciis Patriæ ſuæ reſtitutis, Non fuiſſet negotiis Reipublicæ obeundis impar Plato, ejusdem Scholæ diſcipulus, ſi regibus ambientibus obſequi voluiſſet, nec corruptæ tum paſſim respublicæ, quas Dis votisque ſuis relinquendas ſtatuebat, ab hoc conſiliô illum dimoviſſent. Annon Ariſtotelis monitis plus ſe Alexander debere, quam parentibus ſuis, fatetur, nunquam absque illô fuiſſet terrarum orbis imperium adepturus. Sed neque nova noſtroque ſeculo nata deſunt exempla. Magnâ me voluptate perfundit, cum inter Venetorum res geſtas lego, quantâ animi vigilantiâ Paulus Sarpius, homo incredibili ingenio abditiſſima naturalium & mathematicarum rerum arcana complexus, eâdem facilitate tantæ Reipublicæ conſilia ordinaverit, quantâ prudentiâ graviſſimas, quæ illi cum Pontifice Romano intercedebant, lites, fuerit moderatus. Ac pulchrum ſanè erat intueri, quam ab unius Monachi, hominis nec potentis nec opulenti, nec lucra captantis, ſed

honesti & sapientis viri, svasionibus penderet Senatus venerabilis; quam intra angusti Musei parietes summa reipubl. negotia in secreto cum purpuratis Patribus volutarentur. Quod si tam præfrictæ frontis esse pergent nonnulli, ut fructus illos otii literarii amplissimos non persentiscant, ii superiorum nostrorumque temporum fata expendant. Perpetuum scil. bonarum literarum cum Reipubl. fatis fuit consortium, adeò ut illis vel negligentius habitis, vel in exilium missis caderent de culmine suo Respublicæ, iis vigentibus & illæ florerent; vel amœnâ in pace optimè imperatrices, vel in belli tempestate potentissimæ victrices. Nemini puto nostrûm incognitum est, quæ fuerit superioris seculi felicitas, cùm renascentibus literis Ecclesiis sua libertas rediret, earumque salus firmaretur, & magistratus à viris integris ac probitate peritiâque suâ spectatis administrarentur, simulac verò sordida ingenia & mercenaria cum decrescentibus literis rempublicam invaserunt, quasi quandam scabiem pulcherrimo ejûs corpori affricuerunt, in quô non extremum, ut proverbio dicitur, sed summum scabies illa locum sæpiùs occupabat. Non potest, *Auditores*, non potest condignis satis præconiis cohonestari illud Sapientum otium, bonarum mentium fomes, artium pabulum, cos ingeniorum, obstetrix pulcherrimorum fœtuum, quô unô quicquid felicitatum contingere sapienti Viro potest, continetur.

tur. Revocemus nunc ergò animum, eumque intra se collectum ad otia sua reducamus. Collocavit etiam nos in otio literario Serenissimus noster Princeps, illudque & liberali satis & honestum munificâ in nos manu contulit. Amplexemur illud etiam inter luctuosa hæc & turbulenta tempora, dumque aures publici illi tumultus & tempestates circumstrepunt, intra nos ipsos recedamus, & in animo nostro quasi in solio quodam suo reponamus. Vos autem, *Cives Academici*, ad quos præcipuè spectat hæc oratio, ut hæc nobis otia vera sint otia ad Sapientiæ modestiæque præscripta instituta, videte, ô mei, ne abs se satis turbulenta tempora per Vos reddantur turbulentiora. Tu verò, O. M. DEUS, cujus otia nostra gloriæ serviunt, tu animis nostris illabere, tu otio nostro sanctissimam illam pacem Tuam adspira, Tu Principem nostrum Serenissimum è mediis fluctibus, è circumstantibus undique tempestatibus in portum, è turbis ad otia illa optatissima & Principe digna, quibus nostra continentur, manu potentissimâ reducas. Sic altâ aliquando voce inter triumphos hymnosque nostros Tibi acclabimus: DEus nobis hæc otia fecit!

De

De Literarum in Republ. utilitate, *cum ProRectoris Acad. munus tertium susciperet, die 5. Oct. 1684.*

CUm in publico hoc consessu verba mihi facienda intelligerem, omnesque ingenii recessus excuterem, ut argumentum à loci hujus religione non alienum, & solennitati huic consentaneum, & doctis auribus non indignum investigarem: Eæ me in his animorum, temporumque fluctibus circumvenerunt difficultates, ut & res ipsa, de qua dicerem, mihi deesset, & verba ipsa dicentem deficerent, cujus neque principium caperet oratio, neque exitum inveniret. Quis enim Eloquentiæ locus esse possit, cum Vox ipsa intercluditur! Quas hic voces nostras jactabimus, qui ad perpetua propemodum silentia damnamur?! Quid animi ostendemus? quos lacertos vibrabimus? quæ latera opponemus, ubi omni spe, & præsidio orbamur, animi dejiciuntur, nervi inciduntur, spiritus comprimuntur, fauces ipsæ eliduntur. Videtis, *Auditores*, quem in locum res nostræ reductæ sint, qui non modo succum & sangvinem, sed & colorem omnem, speciemque amisimus. Conjicietis opinor: Quis in hac rerum conversione ac perturbatione mihi sensus, quid animi Sceptra Academica tractanti esse possit, cum omnium calamitatum, in quibus diu versamur ma-

maturitas in hoc tempus propemodum omne eruperit. Nam etsi ad breve quoddam tempus, quibusdam levamentis animum solati fuimus, cum pacis illa species se nobis ostenderet, resedit tamen illius mali vis, & nunc demum ita ingravescit, ut si non ipsum Musis exitium, Saltem miserrimi temporis propagatio, quæ ad exitium satis est, ipsis exspectanda esse videatur. Quemadmodum qui febri corripiuntur, si, ut caloris vim infringant, frigidam biberint, primum quidem refocillati, ac à morbo recreati sibi videntur, deinde multò ampliorem ab his induciis factum morbum deprehendunt: ita & hoc nostrum malum nunc vehementius ingravescit, cum non solum externis periculis circumsideamur, sed & in venis, atque visceribus nostris inclusam aliquam tabem persentiscamus. Recordamini nunc mecum veterum temporum, quotquot in nostro Ordine superestis, qui nascenti Academiæ obstetricias manus admovistis: Vivitis enim, atque in illa tempora vestra hæc ætas incidit, ut cum tot virtutibus Spectatos, tot artibus, & scientiis nobilitatos, tot meritis insignes, famâ, honoribus, quidni addam & opibus florere oporteret, tum vivere etiam puderet, atque pœniteret. Conferte jam veterum temporum fortunam, ac gloriam, cum horum temporum injuriis, moribusque perditis: florebant tum Res nostræ, nunc illæ destitutæ, afflictæ, eversæ: Erat suus literis decor, & splendor, nunc alta illarum

contemptio ac despicientia. Non deerant justa laboribus præmia, non præmiis æquitas: Quid nunc exspectes nisi damna, & rei familiaris naufragia? Non tum animis, & ingeniis aberant honorum pabula; nunc illa vel corpori subtrahuntur, imò, si dicere fas est, perpetua illis jejunia indicuntur. Potestne, Vestram ego fidem testor, *Patres*, Vobis hujus vitæ hæc lux, aut hujus cœli spiritus esse jucundus, cum inter continua pericula, ac insidias positis quicquid increpuerit pertimescendum, &, ne simplex miseriæ genus sit, cum extremis necessitatibus conflictandum, in sordibus, & domesticis malis indignè consenescendum. Atque utinam foris tantum advenirent, quæ nos premunt incommoda! Conjiciuntur sæpe in nos (nam cur ea mussitare, aut dissimulare velimus? occultæ quorundam petitiones, quas cum non prævideamus, nullâ declinatione, & ne corpore quidem, effugere possumus, ut, si ex illorum voto, ac arbitrio res gerenda sit, non Natalia Academiæ hodie celebranda, sed funus propediem ducendum videatur. Sunt enim, qui ut ipsi à literis averso sunt animô, & ex illorum hominum familia,

— — — — *Qui rem faciunt, rem,*
Si possunt rectè; si non, quocunque modô rem:

ita earum doctores, & quicquid sancti seruditique, aspernantur, & apud inscitam plebem traducunt, neque ullas graviores jacturas, quam quæ his impenduntur, existimant. Enim

nimverò non ferenda est hominum illorum improbitas: nam quis adeò vecors, adeò segnis est, ut rei hac indignitate non irritetur? Ergo qui vel gladiô jugulum, vel sicâ latus petunt, nos ne voce quidem vulnerabimus? Verum ne maledictis quis me certaturum existimet, non tam illos in judicium vocabo, aut actionem adversus illos, quam quilibet è populo, ut in publico delicto, poterat, instituam; sed publicâ hac oratione, hoc Academiæ natali die, publicè me ostensurum susceperam, quantæ ex literis, & Academia hâc, divino & Serenissimi Principis beneficio, utilitates in provinciam Holsatiam, in omnes ejus ordines, deniq; in urbem hanc reddundent. At cum tanta hujus rei vastitas sit, ut modica oratione omnia non possint comprehendi, unam tantum ejus partem attingam, & de Literarum in Republica utilitate generatim atque universè agam, ea, quæ de Academia nostra speciatim dicenda sunt, alteri occasioni reservaturus. Quo in argumento versanti idem pene convitium ingeri poterat, quod non nemini justitiam olim laudaturo, quam nemo unquam vituperaverat, nisi in eo seculo viveremus, quô ipsæ virtutes patronis, ac defensoribus indigere videntur. A Vobis autem O. O. A. H. etiam atque etiam contendo, ut cum de re gravissima, addo & ubere, & copiosa, quantum intra horæ spatium ex isto cumulo compingi potest, dicturi sumus, paulisper abducere à communi do-

dolore animos, oculosque velitis, quo & auribus, & animis vestris nostra illabatur oratio, & si non suâ virtute, saltem, & causæ dignitate, & Vestro favore sustentetur.

Si ab Ovo nobis ordienda sunt omnia, *Auditores*, (faciendum enim hoc est, quoniam nobis cum illis res est, qui quid è communi vitæ usu, quid è suo sit, vel non intelligunt, vel per animi pravitatem intelligere nolunt) illud primum omnium respiciam, quod respiciendum in omni vita, in negotiis nostris, atque in omni societate civili nobis proponendum est, summum scil. illum finem, cujus gratiâ omnia instituuntur, cui omnis nostra virtus tendit, cui omne, quod in nobis est, militat, ac fatebimini certè, ab hoc summo fine orationis nostræ principium esse arcessendum. Primum, quis est inter vos, *Auditores*, imò quis est, ut rectius dicam, inter Tirones, qui ignoret, id esse in Republica præcipuum, inque omnes valere partes, quod felicitatem ejus efficit non solum, sed & auget, & conservat, quod per totum civitatis corpus diffusum ipsi nervos, robur, vires largitur, & quasi mentis instar regit, & moderatur? Etenim cum ideò convenerint homines in societatem, ut bene sibi esset, & mutuô illô vinculô nexi promptiora haberent ad felicitatem sibi parandam subsidia, ut indigentiæ suæ subvenirent, alerent familiam, liberos in posteritatis curam susciperent, virtutes inter sese exercerent, denique suam populique

sa-

ſalutem, quæ mutuis nexibus illigata eſt, ope, ſtudio, conſiliis omnibus aſſequerentur; brutum certè hominem, & veſanum eſſe neceſſe eſt, qui non omnia, quæ ad illum ſcopum tendunt, ſubſidia amplectatur. Jam verò omnes Rerum publicarum partes circumſpicite, quibus illæ creſcant initiis, quibus augeantur, & in optimo ſtatu conſerventur: Quis eſt adeò à rerum uſu remotus, ut Sapientiæ hic locum primum dandum eſſe ignoret? Prudentiâ, & peritiâ legislatorum primo ſurrexerunt imperia, hinc ut in officio continerentur omnes ordines, ut magiſtratus curam ſuſciperet civium, Cives quoque ſua munia rectè tuerentur, ut ſacra, humanaque omnia rectè adminiſtrarentur (etſi interdum naturæ bonitas hoc præſtat) tamen virtutum præceptis, & diſciplina longè præſtantius ordinari, quis eſt, qui ignorat? Quibus inter ſe bene compoſitis, quis non felicitatis omnis initia & gradus literarum ſtudiis contineri fateatur? quis non iis in Republica opus eſſe largiatur? Cum illa vitæ conciliatio hoc quaſi coagulo temperetur, ut quo quis bonorum morum præcepta accuratius obſervet, eò majores vitæ civilis fructus perſentiſcat. Longa eſſet inſtituenda oratio, ſi ſingulatim omnia perſequi in animum inducerem. Si enim quam latè patent omnia Rerum publicarum momenta, tempora, partes, conſilia, eventus, jura, hos civilis felicitatis percurrere modos omnes & rationes velim, dies

me citius deficeret, quam verba & rerum argumenta. Sed quid opus ſoli facem accendere? Neminem enim inter vos exiſtere arbitror, cui hæc non ſint luce meridiana clariora, qui non ſtudia literarum felicitatis omnis in Republica ſemina cupidè amplectenda eſſe judicet, ſolemque è mundo tollere, qui ſalutari hoc vitæ præſidiô Rempublicam exuere, & in ignorantiæ tenebras conjicre non vereatur.

Verum, quemadmodum illi, qui in tabula alicujus regionis ſumma lineamenta oculo fugiente percurrunt, nihil de ſitus commoditate, nil de portuum amplitudine, nihil de urbium ſplendore, cæteriſque, quæ ad civitatem vel ordinandam, vel ornandam pertinent, cognitum habet: Ita neque nos volatica ac ſuperficiaria hujus felicitatis contemplatione, quæ à literarum ſtudiis originem ſuam ducit, omnia illa, quæ in Rempublicam abhis redundant, bona comprehendemus. Ac quoniam civitas non quà parte lutea eſt, quà marmorea, qua aurea & gemmea, ſpectari ſolet, ſed qua humana; ad civium ſalutem omnia in republica referri debere, nemo eſt, qui non intelligat. Sive enim imperio præſint, ſive poteſtatem aliorum revereantur, mutuis imperandi, parendique legibus obſtricti, ad omnes ex æquo hanc literarum felicitatem pertinere exploratum eſt. Et quidem quod ad Magiſtratus attinet, nemini divinam Platonis vocem incognitam eſſe exiſtimo, qui omnes

Im-

Imperantes volebat eſſe philoſophos, vel ſaltem philoſophorum ope, & conſilio uti: quod de civibus omnibus ſua quadam ratione verum eſt, non quod Philoſophos eſſe omnes velim, aut velut in Republica Stoicâ ſapientes; ſed qui tantùm philoſophos audiant, & illam in ſe principem partem iis doctrinis excolant, quæ in vita civili beatos reddant, & ad Reipublicæ onus ſuſtentandum efficiant promptiores. Cogitate jam cum animis veſtris, quomodo, ut ſinguli homines, ita populi ac integræ civitates ſint educandæ, quibus imbuendi moribus, ut frena patiantur, & beatum illam in ſocietate vitam, qua poſſunt ratione, aſſequantur. Sive enim è barbaris, & rudibus hominibus primum formanda eſt Respublica, quaſi pædagogia quadam ducendi ſunt, ut legibus bonis aſſveſcant, ut virtutibus animum excolant, ut ſcientiis, & artibus Reipublicæ profuturis ſe exerceant; ſive in jam conſtituta republica recto talo ſtant omnia id opera danda primum Magiſtratui eſt, ut peritiam tanto operi parem adferat, ita ſe omni in vita prudentem & incorruptum, ita ſe erga omnes animatum oſtendat, ut eſſe cives ſuos cupit, ita illos in ordinem redigat, ut mutuis officiis ſe invicem, totamque reipublicæ molem ſuſtentent. Hic verò pietas bonique mores, quaſi ſolum quoddam, civilibus virtutibus ſubſternendi, quibus niſi inædificata cætera ſint, niſi horum quaſi Spiritu contineantur, omnia

ſua mole collabentur. Quomodo enim homines reverebitur, qui nullâ in DEum reverentia ducitur? Quomodo civis boni partes exſequetur, qui viri boni perſonam nondum induit? niſi quamcunque etiam Latronum & Cyclopum Rempublicam ſolo metu ſuffultam ſola illâ vi perſiſtere poſſe arbitramur. Ne quid inſolentiùs geratur providebit modeſtia; ne in periculis animum deſpondeamus, animabit fortitudo; ne libidine, luxu, omnique flagitiorum genere res noſtras evertamus, prohibebit temperantia; ne verbis factisque lædamus innocentes, abſtrahet juſtitia: Omnes denique cum inter ſe junguntur, quæ cognatione ſe contingunt, virtutes, validioribus ſocietatem vinculis conſtringent. Illæ præſtabunt, ut à rebus gerendis abſit furor & audacia, à maturis & circumſpectis conſiliis ignavia, à ſecundis rebus impotentia, ab adverſis deſperatio: Omnia denique ad felicitatem, quæ à bona mente ac literarum ſtudiis proficiſcitur, conſpirant. Ex illarum penu, quicquid eſt virtutum & morum, depromitur, quæ illam animi principem felicitatem generant, quæ, quò altiùs in ſingulis radices defixit, eò lætires ejus fructus, omnium Civium ordines, poſterique, quorum è virtutibus majorum, tanquam ſemine, propagatur felicitas, perſentiſcent. Nam non ſolùm ipſa literarum ſtudia parant felitatem, ſed ſi quæ nobis divinitus oblata eſt, conſervant, bonis ſemel ac-

qui-

quiſitis conſtantiam largiuntur, & quaſi perpetuâ quadam cuſtodiâ, ne illa nobis elabantur, obſervant. Quid? quod auctiora nobis per illa ſunt omnia, non animi ſolùm, ſed & qvæcunque alia bona. Accedit enim ad cumulum cumulus, & è qvotidiano Sapientiæ incremento felicitas noſtra accreſcit, novasque eundo vires acquirit. Sive enim generis ſplendor nobis ſit, literis illuſtrabitur; Sive opes & divitiæ, per prudentiam amplificabuntur; Sive honos & dignitas, novam illis lucem longiusque duraturam literarum ſtudia circumfundent. O ſanctiſſimam bonorum omnium parentem Sapientiam! ô felices, & nullô ſatis præmiô efferendas literas! Quis non toto animo, omni ſpiritu, nervis omnibus vobis incumbat? quis ſe non totum vobis, ſuaque omnia tradat? quis non pietate, amore, affectu vos colat, & veneretur?

Intelligitis opinor, cum felicitatem in Republicâ literarum ſtudiis contineri ajo, nihil excogitari ab humano ingenio poſſe, in quo non partem aliquam felicitatis inſignem poſitam eſſe exiſtimem, quod non à literarum ſtudiis, velut à fonte quodam, propullulet, ſaltem magnum ab iis accipiat vel adjumentum, vel ornamentum. Etſi verò multa ſunt, quæ æſtimare homines ſolent, ii tamen, qui maximè laudis cupidine ducuntur, ut eminere omnibus cupiunt, ita nobilitatem, quâ à plebe ſejunguntur, in præcipuis vitæ humanæ bonis re-

referre ſolent. Hujus nobilitatis cum in omnibus Rebus publicis magnum ponatur pretium, vel ab armis, & virtute militari, illam arceſſere ſolent, vel à literis, quas geminas ad illam vias agnoſcunt. Dabimus illis etiam, ab armis eſſe nobilitatem, ſed illam, quæ ab animi nobilitate minimè ſejungenda ſit,& hanc velut helicen aliquam, aut Cynoſuram reſpiciat. Non itaque literæ tantum veram nobilitatem conciliant aliquibus, ſed & illis ipſis, qui virtute bellica ſe ſperant honores conſecuturos. Etſi enim ad rei militaris gloriam & bellicarum rerum ſcientiam, & conſiliorum, manuumque promptitudo, denique & felicitas quædam accedere debet: Tamen, ut hæc omnibus numeris ſint abſoluta, doctrina & diſciplina, quæ virtutes omnes continent, ſolum quaſi aliquod & fundamentum nobilitati ſternent, & coronidem imponent. Qui in pacato Reipublicæ tempore ad clavum ſedent & pacis artibus rempublicam moderantur, iidem turbatis quoque rebus ope, coſilioque ſubveniunt. Utrobique certe literarum ſtudiis opus eſt, quæ non togatis ſolum, ſed & armatis heroibus nobilitatem, gloriam, triumphos, paludamenta, & tiaras circumponunt. Perſpicite omnium gentium hiſtorias, omnium annalium excutite monumenta, & à literatiſſimis Principibus ſumma orbis imperia conſtituta deprehendetis. Quis neſcit, quam armis imperium amplificaverit Cyrus, & ille tamen non bellica tantum

tum peritia celebris & ſpectatus, ſed virtutibus omnibusque doctrinis excultus fuit, ut hunc Regibus in exemplum Xenophon proponere non dubitaverit. Quicquid Græcia fuit, per Athenas fuit, unde velut è Phidiæ alicujus officina, non Apollines tantum, ſed & Martes formati, totque Imperatorum virtus mirificè amplificata fuit, ut haberent ſemper, quos non ſuis tantum rebus præficerent, ſed & quos aliis gentibus educarent. Tot ſunt Heroum exempla, qui nova Imperia vel inſtituerunt, vel collapſa inſtaurarunt, quod illi armis non tantum, ſed literis maximè effecerunt. Alexander Magnus omni doctrinâ Ariſtotelis inſtitutus ad imperium venit, & tantas res geſſit, tam brevi tempore tam præclaras, quod ſine ſapientiæ prudentiæque adminiculis quis factum crediderit? Julius Cæſar omnibus artium præſidiis inſtructus fuit, ſcientiſſimus non ſolum, ſed & eloquentiſſimus Princeps, adeò ut & ad Grammaticas tricas demittere ſe non dubitaverit, quibus ſe contaminari noſtri polituli heroes crediderint. Quod ſibi Carolus Magnus nomen peperit, non tam armis, quam literis eſt aſſecutus, qui non Rex ſolum, ſed & Doctor, ac Præceptor populorum ſuorum fuit; à quo quicquid Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quicquid Scholaſticæ Sapientiæ per Germaniam, & Galliam ad hæc usque tempora propagatum eſt, propullulavit. Non ergo à literis ſolum deſcendit nobilitas, ſed quæ alia quacunque ratione

parta est, nisi studiis & artibus, velut, fulcris quibusdam, sustineatur, ruere illam necesse est, vel saltem insigniter labefactari. Tolle illa, & Nobilitatis splendor omnis peribit, virtutes degenerabunt in vitia, fortitudo in furorem, prudentia in temeritatem & audaciam mutabitur, temperantia in luxus & libidines, justitia in fraudes & rapinas, omnis honesti species in scelera ac flagitia convertetur. Quodsi nascendi sorte nobilitas obtigit, nulla erit nostra in alieno bono gloria: Neque enim peregrina virtute, ut alienis plumis, nos ornabimus. Tùm vero proprium hoc perpetuumque nobis erit bonum, si ipsi majorum virtuti nostram junxerimus, nec proavorum rebus præclarè gestis, sed iis, quæ ipsi laude digna fecimus, nitamur. Quando itaque nobilitatis maxima est habenda ratio in republica, ea enim splendorem, ea vigorem addit; quis non videt, in honore habendas esse literas, ut fidelissimas nobilitatis omnis & gloriæ procreatrices, & conservatrices.

Verùm, nisi me omnia fallunt, obstrepentes mihi hic audio Mercurii pullos, eos scilicet, qui lucro tantum suo inhiantes virtutem vel planè contemnendam, vel saltem post nummos ponendam esse arbitrantur. Quid enim, ajunt, inanibus umbris & titulis reipublicæ molem sustentabis? Ergo literarum studia efficient, ut salva sit respublica? ne quid illa detrimenti capiat, illa providebunt? Nescis ô bone,

quid

quid valeat nummus, quem præbeat usum, tardus utilium provisor nubemque pro Junone amplectens, & umbras captas, cum rem facere, rem sectari, rem congerere, rem cumulare deberes. Sangvine suo impleri, nervis tendi debet civitatis corpus, siquidem durare illud, & ætatem ferre velis: quibus subtractis ex sangve erit cadaver, omni spiritu, succo, vita, & vitæ colore destitutum. Non vident illi homines, qui ita sentiunt, quam misere errent, alios decipiant, ipsi decipiantur. In sapientia, prudentia, artibus, si nescitis, sitæ sunt opes, ut singulorum, ita & Reipublicæ; nec animi tantum divitiæ, sed & illæ, quarum ad omnes necessitates usus est. Solô certe ingeniô vivitur, cujus è fœcundo sinu omnes illæ artes, qui humanam indigentiam solantur, eique omni quæstus subveniunt genere, promanant. Ingenio profecto, artibus disciplinis indigemus, ut reipublicæ proventus indagemus, indagatos ad publicam & singulorum utilitatem referamus, prudentiæ opus est, ut rectè dispensemus. Annon videmus, quam medias sint inter opes inopes Barbari, qui etsi divitiis, quas fodinæ, quas maria, quas sylvæ subministrant, circumfluunt; tamen cum rudes sint artium, quæ ad civilem vitam animos præparant, iis uti ignorant, & cum felicissime vivere possent, miserrimam tamen, minusque commodam quomodocunque vitam tuentur. Quid scilicet Barbari, quid agrestes homines,

nullisque doctrinis imbuti de fructibus & proventibus terrarum judicent, nisi aliquo Philosophiæ naturalis, ac Mathematicarum disciplinarum sapore tincti. Philosophi sunt, qui fundis sterilibus culturâ subveniunt, maria exsiccant, & in novos alveos deducunt. Hi terræ viscera rimantur, atque ex illis opes eruunt. Hi navium fabricam, atque omne, quod ab illis dependet commercii genus, docuerunt. Hi terræ proventus per vanas machinas, totq; ingenii molimina, in tam varias formas convertunt, ut novæ hinc semper ditescendi occasiones nascantur. Si qui hodie rudes sunt, & tamen iis utuntur artibus, cum suo non possunt, majorum fruuntur ingenio, perque illorum solertiam suæ subveniunt necessitati, ut vel hinc constet, olim tamen ab ingenio humano excogitatas esse artes, quibus nunc fortunas nobis fingimus. His etiam addere nostra consilia poteramus, si eodem essemus ingenio instructi, quod cum defuerit simplicioribus olim hominibus, inter Deos retulerunt, qui singularibus inventis humanæ necessitati subvenerunt. Cui denique ignotum est, in isto variarum cartium complexu esse Chrematisticam, quæ tota, quanta est, ab hominis sapientis ingenio arbitrioque dependet, & Philosophiæ practicæ pars non contemnenda est, ac diligentius, quam vulgo fit, etiam in Academiis excolenda, unde quis fortunæ suæ faber, modo velit, semper esse possit. Quod si

pa-

paratæ jam ſunt divitiæ, & à majoribus congeſtæ, iisdem artibus, eâdem prudentiâ, imò majori, conſervantur non illæ ſolum, quæ ſingulorum, ſed & quæ omnium ſunt, ac univerſæ civitatis. Hic ſane omnia ingenii, omnia artis arcana in ſubſidium vocanda, ne divitiis ſemel partis excidas, aut illæ vel per malam adminiſtrationem, vel per fortunæ iniquitatem intervertantur. Ut proventuum ubertatem continuis acceſſionibus augeamus, Oeconomices non ſolum peritia, ſed & cæteræ artes, quæ è naturali Philoſophia, & Mathematicis diſciplinis proficiſcuntur, efficient. Ars enim naturæ addita tot, tantaque operari poteſt, ut mille operarios fatiget, omniumque induſtriam & diligentiam in commerciis verſandis, in opibus colligendis exerceat. Nam vel terram novis fructibus ferendis adſvefaciet, ut qui Serici & Nicotianæ culturam in Europam intulerunt; vel ex iis ipſis fructibus nova quodam ratione lucrum aliquod exſculpet. Sylvæ ſunt, & ligna? Circumſpiciendi ſunt fabri, qui varia ex iis ad uſum & ornatum conficiant. Abundat terra metallis? Præſto ſint operarii, qui materiam in varias formas, ut opus ipſum materiæ pretium ſuperet, elaborent. Ovium, lanæ, & ſerici copia eſt? Infinitæ texendi rationes excogitari poſſunt, in quibus omnibus nihil eſt, quod non ad ingenium, & artem referatur, longaque propagine vel ex ipſis Philoſophorum ſcholis deſcendat. Majori itaque

in pretio, si sapimus literarum studia habebimus, quæ non otiosos tantum & inertes homines, ut quidam clamitant, efficiunt, quæ non suavibus tantum picturis animum pascunt, sed vim suam in omnia vitæ civilis momenta diffundunt, ut eorum fructus ab aliis quidem præcepti ad omnes dimanent.

Multa magnaque sunt, quæ in literarum honorem dissertavimus, ut illarum in republica utilitatem ostenderemus; faciunt illa cives felices, nobilitatem & gloriam illis conciliant, opes & divitias largiuntur. Quid ab his amplius postules? quid majus requiras? Imo verò majora sunt, quæ ab his sperare possumus, bona. Nam quotidiana illa sunt, quæ diximus, beneficia, neque vitæ nostræ tempora egrediuntur. Proveniunt ab illis beneficia, quæ etiam, cum fuimus, nobis durant, & singulorum mortalitatem quadam Reipublicæ immortalitate solantur. Quis est inter vos, A. (nam, ut opinor, satis ipsi hujus rei gravitatem cognoscitis) qui non liberos & nepotes suos suis oculis, imò animâ suâ magis charos habeat, atque ut ipsis etiam in longitudinem consulatur, ac perpetuò bene sit, vel suæ quid felicitati detractum malit? Verum tantum abest, ut imminuenda idcirco parentum felicitas sit, ut potius à liberorum fortuna & salute nova capiat incrementa, novisque successibus & præsidiis augeatur. Quorum educationi cum prospiciunt literarum studia, nihil adeo in vita humana amplum

plum & jucundum eſt, quod non præ hac voluptate contemnas. Quemadmodum boni patres familias non præſenti tantum tempori conſulere debent, ſed & futura proſpicere; nam in hyemem illi, & multam annorum ſeriem, reponunt, unde ſuſtentent familiam: Qui agrorum & hortorum curam gerunt, cum oblatis fruuntur, etiam in annos ſequentes ſemina colligunt, & ad poſteritatem arbores plantant: Ita in Republica puerorum educatio omni præſtat potentiâ, omnes cenſus divitiasque ſupergreditur. Hinc Viri, hinc Cives boni, hinc ad rempublicam bene adminiſtrandam & ſacra & humana ritè obeunda, nova ſemper ſufficitur ſoboles. Hinc ad pacis & belli negotia rectè tractanda novi Hectores, & Achilles, ad conſilia novi Mecænates, ad univerſam denique Rempublicam novi Atlantes, & Hercules, quaſi è Polycleti alicujus officinâ, prodeunt. Unde verò hæc in Rempublicam bona, niſi à literis, earumqve Doctoribus? Permitte ſibi rempublicam, non ſit, qui in ſpem poſteritatis juventutem formet; pro Regibus naſcentur Tyranni, qvi vi, qvi armis, qvi libidine omnia agant, qvi nihil hominis præter ſpeciem habeant: pro civibus fera orientur animantia, quæ mutuis in ſeſe viribus ruant, &, velut Cadmei fratres, ſine lege modoqve in ſe graſſentur: nulla religionis cura, nulla legum reverentia, nihil ſanctum, nihil inviolabile, nullus artibus honos,

nulla

nulla bonis præmia, omniaqve qvadam fatali ignorantiâ ac malitiâ abſorbentur. Fac diſciplinæ & artes floreant, jam in novos qvaſi homines renaſcentur cives, redibit templis, & aris religio, legibus reverentia, animis virtutes, virtutibus honos, omnes denique rectiùs vitæ civilis munia tuebuntur. Tota ſcilicet in ſcholam convertetur Respublica, ubi perpetuis majorum exemplis ad virtutem provocentur minores: minores, præcepta cum lacte ipſo à teneris ungviculis, velut ſemina quædam, concipient, unde aliquando nova virtutum exempla progerminent. Neque tantum bonos & felices efficiunt literæ liberos, ſed ubi ſemel probè edocti ſunt, ut ſemper tales ſint efficiunt. Conſervant enim in pueris hæc omnia, quæ majores inſeminarunt, vitia exſtirpant, vel ſaltem, quod hortulani prudentes facere ſolent, prohibent ne inter cupreſſos hæc lolia caput exſerant, & virtus iis ſuffocetur; ignorantiam profligant, ut in ſcientiis artibusque, quas ſemel perdidicerunt, perſiſtant, iisque in publica commoda utantur. Quod ſi à nonnúllis peccatum in educatione eſt, ſtudia literarum huic malo ſubvenient, idque efficient, ut, qui naturâ boni ſint, nova ſemper augmenta acquirant, & ad gloriæ faſtigium per omnes gradus enitantur. Quibus Indoles ad ſcientias & artes egregia eſt, illos literæ ita excolunt, ut eò adſpirent, quorſum ſibi relicta ingenia non pertingunt: O quam præ-

prædicem vos, bonæ literæ? Quibus vos elogiis ornem! quâ veneratione prosequar! Parentes Reipublicæ cives generant; Vos bonos efficitis, non viros solum, quod ultra omnes titulos est, sed & cives. Hi vitam largiuntur & naturam, Vos ingenium gignitis, Vos bene vivere, Vos secundum Virtutem operari, docetis, Vos naturæ artem magistram inducitis. Hi animal sensu præditum formant, Vos hominem ratione ornatum, tot animi opibus instru-ctum, in vitæ civilis theatrum producitis. Per vos regna firmantur, reguntur Respublicæ, tenentur Imperia; Vestris habenis legibusque totum hoc corpus constringitur. Quis itaque adeo vecordis est animi, ut insignem literarum in Republica usum non sentiat, ac intelligat, non animis, oculis, imò manibus comprehendat?

Ast obganniunt hic nonnulli nobis aliqua, qui non modo necessarias ad rempublicam bene gerendam literas negant, sed & summè noxias ajunt, adeoque omnem illum animi vigorem, omnem agendi vim & efficaciam his exstingvi arbitrantur, cum solam illam naturæ bonitatem & indolem omni disciplinæ præferendam esse existiment. Verum his quidem hominibus nil esse stultius ipsa res, ut nos non loquamur, clamitat, qui, si rem rectè reputes, docere scilicet homines volunt, quomodo intelligendo nihil intelligant, aut cum ratione insaniant. Etenim quam illi bonam indolem si-

ſine diſciplina vocant? quid eſt, quod idoneos reddere homines ad res magnas gerendas poſſit? cum qui ſolâ naturâ nitantur, cæteris autem deficiant rerum bene gerendarum inſtrumentis, idem in rebus præſtent, quod in negotiis perficiendis cœci, mutili, claudi, & manci ſolent. Miſeros nos, ſi unicam ad omnia naturam ducem habeamus, neque illam arte, doctrinâ, induſtriâ adjuvemus. Circumſpicite omnia naturæ opera, quid eſt in iis, quod hominum uſibus accommodatum ſit, niſi arte quadam præparetur, & ad majorem perfectionis gradum deducatur? Ad glandes nobis redeundum eſſet, niſi panis confectionem ars docuiſſet: Aquam cum brutis animantibus biberemus, niſi vinum induſtria hominum inveniſſet. Omnia ſcilicet rudia & involuta ſuppeditat natura, expolit ingenii humani ſolertia, & ad commodiorem uſum componit. Quem illi ſcilicet hominem nobis formabunt? Quam Rempublicam? An Cyclopicam? in qua nemo neminem audit: an Americanam aliquam, & Barbaram? quæ vix à pecudum ſtabulis differt. Non eſt tanta indolis, ingeniique noſtri felicitas, ut nullis adjuta adminiculis & bene agat, & recta ſequatur. Nullum adeò fœcundum adeò pingve ſolum eſt, quod ſine culturâ fructus ad vitam ſuſtentandam neceſſarios proferat: niſi enim cultura acceſſerit, littus arabis. Tractanda tellus variis artibus eſt, ſubigenda, domanda, ſemina in

ſper-

ſpergenda, arbores implantandæ, ut felices illi ſucci, qvibus humana aluntur corpora, è terræ viſceribus provocentur. Permitte ſibi, ſuæque naturæ agros, & lolium infelix, ac ſteriles dominari avenas videbis. Degenerabunt omnia, & vix pecori in paſtum cedent. Quid eſt igitur in homine ſolis naturæ bonis inſtructo, quod illum ad Rempublicam idoneum efficiat? cum nihil ſit, quod ejus indolem regat, & moderetur, quæ incertâ lege, ut non audiens habenas currus, feretur. Nam quæ ille per diſciplinarum præcepta non didicit, per experientiam, variis è caſibus, temerariò qvodam impetu, & longinquô, imò periculoſo, itinere conficiet. Sed illa ſtultorum magiſtra eſt, & magnis imperitiam jacturis vindicare ſolet; cum ſapiens omnis fortunæ faber ſit & caſus imperitæ plebi inexpectatos, vel qvia præcepit, declinat, vel, qvia declinare non poteſt, in reipublicæ commodum convertit. Quod non fieri, niſi ab homine omnium temporum, dierum, horarum, & rerum poteſt. Quare qui ſine doctrina quicquam ſe conficere poſſe putant, iidem ſine nervis ambulare, ſine alis volare, ſine ſpiritu ſe vivere poſſe exiſtimant: in rebus verò novis ſemper hærebunt, horrebunt, palpitabunt, &, cum vero conſilio deſtituantur pravè agendo omnia corrumpent. Quandoquidem, ipſo illo Sole clarius illa literarum in Republica neceſſitas elucet, neminem è Vobis eſſe arbitror, qui

non nostræ sententiæ suam quoque adjungat, atque eò vehementiùs studiis incumbendum esse existimet, quò magis illorum splendor animos tantâ puchritudine flagrantes lacessit. Hanc enim jucunditatem ac svavitatem, quæ è literis proficiscitur, summa est, omnesque totius terrarum orbis voluptates antecedit, seposuimus, & ab illa parte, quâ utilitatem ostendunt, vobis exhibuimus. Quod si itaque summam in Republica felicitatem non efficiunt solùm, sed & custodiunt, literæ; si per illas gloriæ nobilitatisque fastigium ascendimus, & honores partos tuemur; si opes, divitiasque, quas ardentibus votis exoptamus omnes, his artibus & congerere, & cumulare, & ad perpetuas nostrorum fortunas bene collocare discimus; si denique non nobis tantum, sed & liberis nostris per has bene est, si illos in patriæ spem, familiæ præsidium, gloriæque avitam possessionem, alere, educare, atque omnibus virtutum præceptis confirmare possumus: Quis non illa sibi per omnem vitam studia sequenda esse existimet? per quæ omnes felicitatis humanæ gradus se assecuturum speret? Versamur hic in ipso literarum regno, quod publico bono Serenissimus noster Princeps, ac Dominus Clementissimus, constituit, unde in patriam nostram tot, tantique fructus propullularunt, quos singularî Oratione, quando publica dicendi occasio nos invitabit, proponemus: Pecora sunt, ac ignavi homines,

qvi

qui illas utilitates non persentiscunt; insigniter improbi, qui dissimulant vel contemnunt; Nequissimi, qui molitionibus suis hoc bonarum mentium seminarium eversum eunt. Nusquam à quoquam vel hoste publico & atroci eversas accepimus Academias, communis, atque adeò generis humani, causa est juventutis bona educatio, quam qui subvertit, ipsi humanitati bellum indicit, & divinam aliquando manum vindicem experietur. Vos autem, ô juvenes, in quibus illi virtutum igniculi, illi bonæ mentis stimuli, velut in vagina inclusi latitant, agite, exserite illos, atque illis maturè studiis animum imbuite, illis virtutibus, quæ studia comitantur, doctrinam omnem vestram excolite, ut & vobis non solum sapere, sed & reipublicæ, patriæque sapere, discatis; In illam enim redundare debet, ad illam velut ad scopum, & metam tendere debet omnis, quæ vobis insumitur opera: in quibus cum spes suas posuerint parentes, Patriæ patres, omnesque illi, quorum interest, vos esse salvos, doctos, incolumes, nobiles, omni sapientiæ & prudentiæ disciplinâ subactos, in illud nervos, spiritus, studium, omnemque vestram industriam conferetis, ut illi, qui nunc rerum summæ præsunt, & laudabili sapientiâ Rempublicam moderantur, non degeneres sibi nepotes aliquando successuros si non videant ipsi saltem animô præcipiant, & hoc novo gaudio spes, vota, studia, desideria sua erigant

atque ſolentur. Videte, ne tempora noſtra, qui ſatis per ſe miſera, inquieta & turbulenta ſunt, novis calamitatibus per culpam veſtram augeantur, & mihi inter tædia perpetua ſint transſigenda.

Nunc Te, Deus O. M. unde omnis in hominum mentes illabitur ſapientia, ſuppliciter imploramus, & appellamus, ne exſtingui patiaris, quas hic incendiſti bonarum artium faces. Tuum hoc, Pater optime, munus eſt; qui, ut divini tui Spiritus charismata olim effudiſti; ita & in nobis, quicquid pium, ſanctum, honeſtum, imo quicquid tuum eſt, ut æternæ tuæ lucis radios, digitoque tuo mentibus noſtris inſcriptos, conſervabis, neque committes, ut per malitiam nefariorum hominum exſtirpentur. Tuo, *Deus Optime*, præſidio nitimur, Tu in noſtris caſtris præſidiisque verſaris, Tu injuriarum eſto ultor, fortunarum propagator, cauſæ noſtræ defenſor, ſalutis noſtræ reſtitutor. Tu, ſi in hoc dicato tibi domicilio omnia noſtra conſilia ad tuam gloriam patriæque ſalutem ſpectaverunt; ſi nullam ad rem, niſi ad officium & veritatem, omnes noſtræ curæ, vigiliæ, cogitationesque laborarunt; ſi tuæ civitati cives, tuo electo gregi Paſtores, tuis aris templisque cuſtodes educavimus: ſi Tribunalibus & Conſiliis præſides, & judices, ſi ſcholis bonarum artium Doctores in gremio, ac ſinu noſtro enutrivimus; ſi afflictis patrocinia, ægris ſolatia admovimus; ſi denique ad omnes di-

disciplinas viam præivimus, ingenia formavimus; Tu, inquam, sartos, tectosque, ab omnique damno & detrimento sinceros integrosque conserva! Tu hostium nostrorum animos nobis confice, atque novum illis & benevolum ingenium indue; Denique, in quo summa salutis nostræ vertitur, Sereniss. nostrum Principem, ac Dominum Clementiss. unicum rerum nostrarum post Te statorem ac præsidem, salvum nobis incolumemqve præsta, idque effice, ut nobis Dominus optatissimus, nos Domino clementissimo, & civibus Pater, patri cives, ut dignitas illi pristina, fortunæ amplissimæ, denique nosmet ipsi nobis restituamur.

De fructibus in Holsatiam Kiloniumque urbem ex Academiâ redundantibus,

Pro-Rector quartùm, mense Apr. 1687.

QUoties hunc ego locum conscendo, & omnis cultus genere apparitissimum, & hujus ædis sanctitate religiosissimum, & auditorum frequentia ornatissimum; conscendi autem nonnunquam, cum vel magistratus capiundi abdicandive gra-

tia, vel in honorum erogatione verba ad vos facerem: toties ego, cum veterum temporum in mentem mihi venire ſolet, & nova cum illis compono, in varias animum partes verſo, nunc quidem maximè adeo à ſe ipſo diſſidentem, ut præteritorum memoriâ jam gaudere, jam dolere; præſentium conditione perturbari, futurorum hinc ſpe recreari, illinc metu torqueri videatur. Ac ſane, ſi ad præterita referre animum velimus, quis eſt ampliſſimo veſtro Ordine, ii præſertim, qui feliciter naſcentem Academiam conſpexere, ac vivi videntesque illius lætitiæ teſtes fuerunt, quorum non totidem, nunc ſunt, quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili, cui jucundas ea tempora dent, recordationes. Mihi quidem illorum imaginem oculis ſiſto, neſcio quâ voluptate animus perfunditur, ſolentque ea animo obverſari, quæ de ſurgente Carthagine divinus noſter, Maro cecinit; ubi *pars Jura magiſtratusque legunt, ſanctumque Senatum; alta theatris fundamenta locant alii, immanesque columnas Rupibus excidunt ſcenis decora alta futuris.* Inſtruebatur enim tum illud famæ in Cimbris theatrum ampliſſimum, adornabatur illa officina, in quâ exciderentur illæ civilis ſacrique Ordinis columnæ, in quâ Mercurii, & ſcenis & ſeclis decora alta futuris efformarentur. Neque minori tum, laborabatur induſtria, quam illic, ubi cum, apibus comparatione inſtitutâ pulcherrimis rem coloribus depingit, nosque, qui hic de, do-

doctorum Republicâ erigendâ ſolliciti eramus, hodieque ſumus, illos apum labores æmulabamur, & nunc quantum in nobis eſt, æmulamur,

Qualis apes æſtate novâ per florea rura
Exercet ſub Sole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant; & dulci diſtendunt nectare cellas;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Eduximus ſcilicet jam tum ab illo tempore fœtus noſtros, volitavimus per illos ſcientiarum campos, flores libavimus, mella ſtipavimus; an fucos omnes à pabulis noſtris ejecerimus, nunc quidem non dixerim; noſtrâ certe culpâ nullos adduximus. Ac ſane bene meminimus illorum temporum, quibus & fuci nobis & crabrones fuere moleſti, quorum illi ad perdenda pabula, quæ bonæ apes collegerunt, nati; hi ipſis quoque apibus bellum indicere conſveverunt. Nam, proh DEUM immortalem! quanta ex illo tempore rerum facta converſio? quæ Reipublicæ inflicta vulnera? quæ noſtro fundo calamitas illata! Ut cum hæc animo perpendo, & tota hæc provincia & nos huic fortunæ rotæ illigati, quaſi alteri Ixiones circumacti videamur. Divino tamen beneficio accidit, ut adverſus tot temporum & fortunæ inſultus ſalvi in hunc diem

persisteremus; etsi mihi, quoties per intervalla Sceptra Academica resumsi, Virgilianus illæ Meliboeus, qui *post aliquot sua regna videns miratur aristas*, animo obversari videbatur. Ac propemodum evenisset nobis, quod illi, qui jam pecori suo valedixerat:

Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ;

nisi DEUS nos respexisset, & optimi Principis consilio servati fuissemus. Alterum quidem Meliboei congerronem Tityrum

Libertas, sed sera, tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat,
Respexit tamen, & longo post tempore venit.

Verum nos ne quidem longo illo tempore Pax aurea respexit, tot votis nostris sollicitata, tot consiliis quæsita, ut multis canities nequicquam sperantibus obrepserit, aliqui hæc turbulenta tempora cum æternâ beatæ pacis sede commutarint. Et ne nunc quidem, quid futurum sit, novimus, qui animo inter spem metumque suspenso, quorsum fata denique nostra exitura sint, exspectamus, atque ita exspectamus, ut vel saluti nostræ, cum extrema quævis, ut fieri à metuentioribus solet, nobis proponimus, interdum diffidere incipiamus. Quæ inter hos rerum turbines protracta ætas plerorumque est, pene jam vitæ portum prospicit, & nunc pene, ne in portu ipso naufragium faciat, extimescit. Sed meliora, DEO duce, nos sperabimus, & sperare vos, Patres Academici, jubeo, illis vos Æneæ verbis paulum

lum immutatis, quibus ſocios ſuos è naufragio ſuperſtites alloquitur, compellaturus: hæc enim, neſcio an quodam ſortis Virgilianæ genio, cum inter has meditationes, Æneida forte aperirem, obtutui ſe noſtro ingeſſerunt.

O Socii, (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi tam multa: dabit DEUS his quoque finem!
Vos & Scyllæam rabiem & Cyclopea tela
Experti, revocate animos, mœſtumque timorem
Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Durate, & vosmet rebus ſervate ſecundis!

Erigimus ergo animos, & nunc tandem ſuis noſtrisque reddendum rebus Principem noſtrum clementiſſimum, poſt devorata tot annorum tædia, poſt tot fortunæ inſultus, tot temporum injurias & tempeſtates, exſpectemus. Non deſtituet preces noſtras DEUS, expugnabimus tandem Cœlum, & ſi quid veri mens noſtra auguratur, aut ſi quid vati veſtro permittitis, videor mihi videre illum diem, quo compoſitis Patriæ Patrum animis, ſedibus avitis reſtituatur, civium plauſu excipiatur, in Muſarum ſuarum amplexus ruat Sereniſſimus Princeps, nosque in his ſubſelliis pæana illi canamus, vota pro ſalute ejus nuncupemus, toti in triumphos & jubila, è quibus meam quoque mihi partem vindico, diffluamus. Hæc me ſpes ſceptris Academicis, & Sereniſſimi Principis autoritate, & veſtro, Patres, conſilio

admotum, ſolatur, ut, quod nunc humeris meis impoſitum onus eſt, eò lubentius ſubeam, quò magis illa mihi felicitate blandior, fore, ut hæc meis commiſſa curis æſtas diuturnæ tandem calamitati finem imponat, initiumque novæ paci, tranquillitati, ſecuritatique publicæ largiatur. Ego nunc, quod mearum eſt partium, veſtris, Patres Academici, conſiliis adjutus, aggredior, accepturus illos honores, quos mihi Deceſſor meus tradidit, cujus iſta in hoc munere gerendo fides, induſtria & prudentia nobis ſpectata eſt; ut, niſi legibus & conſvetudini parendum eſſet, vix alio ſucceſſore opus eſſe videatur. Quoniam vero ejus capere primordia oratione aliquâ ſolemus; id enim vel auſpicii gratiâ fieri æqvum eſt; dignumque tam illuſtri auditorio argumentum circumſpicerem, ſubiit animo, quod dudum, cum ante hos quatuor annos Magiſtratum adirem, pollicitus eram. Nam cum de neceſſitate literarum in Republica tunc verba feciſſem, ſimili occaſione de fructibus, qui in Holſatiam, atque adeo ipſam hanc urbem ex Academia redundant, me dicturum promiſi. Quod nunc mihi faciendum propoſui. Nam, quemadmodum felices Virgilius agricolas judicat, ſua ſi bona norint; ita in aliis quoque rebus accidere ſolet, ut quotidiana nobis bona ignorentur, neque illo pretio, quo debent, æſtimentur. Ne quid de eo dicam: eſſe ſæpe homines adeo inſigniter improbos, eâque mentis ad omnia

cæ-

cœcitate depravatas, ut, quæ communi humani generis commodo ſalutari conſilio inventa, aut divino beneficio conceſſa ſunt, non tantum non agnoſcant, ſed ingratiſſimo animo & ore aſpernentur, fœdiſſimisque convitiis proſcindant: illis non abſimiles populis, qui Soli Orienti maledicta ingerunt, occidentem tripudio omnique lætitiæ genere proſequantur, digni ſane, qui nocti ſuæ perpetuisque tenebris relinquantur. Quare ingrediar nunc illum dicendi campum, ſpatioſum ſane ac quam vaſtiſſimum, in quo ſe jactet hæc noſtra & propemodum exultet oratio, ita tamen, ne infinite vagetur, tribuenda, ut primum de utilitate, deinde de jucunditate, hinc de gloria, uberrimis Academiæ fructibus, dicam, qui in totam hanc Provinciam atque hanc Urbem, gratiſſimam Muſarum noſtrarum ſedem, omnesque adeo cives promanant. Quod cum facio, tantum abeſt, ut moleſtus vobis eſſe verear, ut ineptum me fore exiſtimem, ſi vos precibus obtundam, ut aures de re tam gratâ, tam amœnâ dicturo commodare velitis: niſi forte non tam rei, quam Oratoris faſtidio ducti, copioſiorem elegantioremque huic argumento lingvam optaveritis: quam, ſi illi non præſto; neque enim tam magnifica mea vobis promittere poteſt tenuitas; id ſaltem mihi nunc permittetis, ut, quod nobis ingenio deeſt, & argumenti gratiâ & veſtrâ per benignam interpretationem ſuppleatur.

Ac

Ac primum quidem, cum de commodis institutæ in Cimbrorum gente Academiæ verba facturus sum, nihil hic de literarum utilitate in Republicâ generatim & universe nunc dicam, cum eâ de re uberrime alia occasione dixerim. Nunc ea tantum, quæ propius nos tangunt, & quare patriæ de insigni illâ accessione gratulari debeamus, diligentius excutiemus. Agnoscendum est, gratoque animo deprædicandum divinum illud consilium, quo incitatus primum Serenissimi nostri Principis Divus Parens Academiam sibi proposuit, Filius tandem, paternæ gloriæ hæres novæque propagator, felicissimo ausu perfecit. Quo enim gentem suam majore mactaret beneficio, quam illo, quo divinæ humanæque sapientiæ æternum illi extruxit domicilium, ut jam Cimbria suas quoque in Kilonio Athenas videret; ut non eminus tantum & peregrinas, sed suas quoque domi Musas & gentiles haberet & veneraretur: Nam certè cum Holsatiæ nostræ nihil ad beatam illam ubertatem deesset, omniumque rerum copiâ illa abundaret: nam & cœlo benigno temperatoque fruitur, & utrinsque maris opes ipsa quasi in sinum ejus effundit natura, & pingvissimo solo copiosæ fruges, & tot in fontibus, stagnis pisces, tot in lætissimis pascuis armenta educantur, tot in varios usus & fructus sylvæ adolescunt; quis non ingenia civium, quasi quoddam solum, in quo variæ virtutes artesq; in patriæ gloriam, in Reipublicæ usum excrescant,

ſcant, omni genere doctrinæ putet excolenda, omnibus ornamentis decoranda? Quis animorum noſtræ gentis jam à tot ſeculis vigor fuerit, cum domeſticis teſtibus virtus noſtra deſtituatur, vel ipſorum hoſtium annales & monumenta loqvuntur. Senſerunt Romani, illi orbis Domini, validas non ſolum virorum, ſed & feminarum Cimbricarum manus, non armis tantum illorum, ſed & prudenti conſilio impugnati. Stabat jam in præcipitio illa Romanorum fortuna, ac collapſa Cimbrorum armis fuiſſet, niſi fata interceſſerint, ab ipſo interitu revocarint. Fuerint tum Romanis barbari noſtri, fuerint prædones illis & latrones ſalutati, ego, ſi ſylveſtri virtuti culturâ quadam ſubventum tunc fuiſſet, ipſis Aretalogis Romanis, magnificis ſuarum rerum oſtentatoribus, virtutum ſuarum magnitudine facile caliginem inducturos exiſtimârim. Neque ſane, quo præ Cimbris multum glorierentur, habent Romani, quos ego noſtris & nobilitate gentis & antiquitate minores judico, ſi non omnino falſa ſunt, quæ de noſtrorum hominum in Italiam coloniis, jam ante ipſam urbem conditam eò miſſis, non obſcurâ hariolatione obſervari. Tanta eſt & populorum, & urbium, & fluminum, & nominum cum Cimbricæ gentis nominibus affinitas, ut hæc mihi attentius contemplanti ſæpe admirationem excuſſerit: nemo verò caſu ac forte fortunâ ita contigiſſe perſvaſurus ſit. Quas meas conjecturas etſi forte ſupercilioſi quidam cenſores contem-

tempſerint, ego tamen aliquo numero habendas minimeque contemnendas exiſtimo; cum non tenui aut jejunâ aliquâ diſſertatiunculâ, ſed vel integro libro ejus rei veritatem me asſerturum confidam. Cum ad recentiora tempora ventum eſt, quæ non è noſtrâ gente virtutis ſpecimina in illa, quæ in Britanniam deducta eſt, coloniâ videmus? Poſtquam enim illic Chriſtianæ religionis ſacris imbuti Principes aliquâ ſapientiæ luce illuſtrarentur, ſaluberrimis non ſolum legibus Rempublicam fundarunt, & bonas artes è ſilentio & tenebris protulerunt, ſed & ad ampliſſimum, quantum per illa tempora licuit, faſtigium eduxerunt. Vel unus Ælfredus, quem cognomento Magnum vocarunt, illuſtri omnibus exemplo erit. Nam, ut Spelmannus in ejus vita teſtatur, maximus ille poſt aſſertum à Danis regnum non ſolum ejus inſtaurator & velut novus fundator fuit, legibusq; omnia circumſcripſit; ſed & Scholas, Academias inſtituit, artes & diſciplinas reduxit; ipſe multa carmina, rhythmos ſcripſit, apologos, fabulas, ænigmata, quibus barbarus ille populus & erudiebatur & deliniebatur, inter maximos ſui temporis poëtas numerandus. Hic ille eſt, Auditores, cui non tam παλιγγενεσίαν ſuam, qvàm natales, debuit illa toto orbe celebratiſſima Oxonienſis Academia, quem non tam Regem & Dominum, quàm Parentem ſuum & Doctorem merito in hunc diem celebrant Angli,

O-

omnique honoris cultu proſeqvuntur. Noſter certe ille fuit, Cimbricoque Sangvine oriundus: cujus utinam veſtigiis inſiſterent, qvi hodie populis præſunt, Principes! & florere imperia bonis legibus, cives bonis moribus, Scholas bonis artibus, omnes ordines bonis ad poſteritatem niti exemplis videremus. Qui ita animati ſunt Principes, veri ſunt illi Philoſophi, ſub quibus beatas fore Respublicas Plato judicabat, ſine illis fatis ſuis permittendas. Durat illa in Cimbrorum animis virtus, & per majorum manus tradita ac ad noſtri temporis Principes propagata eſt, in ſeculi noſtri gloriam, in patriæ ſalutem, in civium felicitatem natos. Ne quid de Sereniſſimi noſtri Principis majoribus dicam, quorum in annalium noſtrum monumentis decantata bonitas eſt, ſpirant hodieque in animis civium immortalia FRIDERICI merita, ob oculos verſantur CHRISTIANI ALBERTI, Domini noſtri clementiſſimi beneficia, è quibus præcipuum illud eſt, quod gentem ſuam primus Academiæ bono ornaverit, omnium & civium & poſterorum æternis laudibus efferendum. Primus ergo ille eſt, quem Patris, quem Apollinis ſui nomine noſtræ ſalutant Muſæ, cui ſua illæ regna, ſua ſacra, ſua otia, & quicquid ſibi charum amplumque eſt, debent. Quare ad illum laborum noſtrorum primitiæ illo jure pertinent, quo ad dominum arboris, quam ſua manu plantavit, fructus; horti, quem primus

pa-

paravit, areolisque & arboribus distinxit, proventus; agri, quem sua quis semente consevit, annona. Horum fructuum, etsi non eadem omnium maturitas sit: nam & illi suo demum tempore, ut ipsa occulto arbor ævo crescit, proveniunt, neque una nocte; ut fungi, nascuntur, siquidem ætatem superare, & ad posteros perdurare debeant: tamen & jam inde à primâ Academiæ ætate aliquos, & nunc elapsâ jam pene quartâ seculi parte uberiores in dies ex illâ fructus, velut in horrea quædam, seræ aliquando ætati profutura, reponit. Quemadmodum morâ aliquâ opus est, ut cum terra coalescat radicesque agat arbor, quæ firmata deinde per aliquot annos inter imbres, pruinas, procellas, nives stirpe in flores se induit, ac diu optatos tandem fructus protrudit: ita ubi primum in consociationem aliquam concrescere cum civibus cœperunt nostrorum animi, iis lapsu annorum artibus & doctrinis prima nostra juventus imbuta est, quæ ad cathedras, tribunalia, scholas viam sternerent, ut nunc tandem vivi plerique ac superstites nostras illis immissas quasi colonias, nostro illo fundo educta germina, videamus. Non dicam nunc de exteris, ad quos non exigua nostri quoque fundi messis pervenit; nam nec in vicinia tantum, sed & aliis in populis, præclaris, tam in Republica, quam in Ecclesia muneribus præfecti sunt, qui nostræ industriæ non parum se debere fatentur. Neque defuerunt, qui & fa-

famâ & meritis optimorum in hâc literaria Republica Doctorum excitati, amplissimis propositis præmiis ad illustres planè eximiasque dignitates eos evocarint; cum non digniores, qvàm in celeberrimo hoc nostro collegio se inventuros existimarent. Primum in hâc Academiâ Antecessorem, & variæ doctrinæ, & Jurisprudentiæ gloriâ celebratissimum, ad summum Imperii nostri tribunal evectum meminisse pleriqve possumus: qvi, ut huic Academiæ, dum hic doceret, insigni ornamento fuit, magnumque sui desiderium nobis reliquit, ita in hunc usque diem illustri Spartæ suæ ita præest, ut vel nunc quoque, cum noster amplius non est, ejus memoria decori nobis esse videatur. Fuit ex eodem ordine consiliis Imperialis urbis vicinæ admotus; alius in potentissimi Electoris aulam, tum ad consilia, tum ad medicas curas, concessit; alii in Antistites Præsulesque Ecclesiarum hinc exciti; & nunc qvidem ipse Princeps noster Serenissimus felicissime eorum utitur consiliis & operâ, qvi Academiam hanc doctrinis antea famâque illustrarunt. Hìc in novas semper spes alii succrescunt, novi ex eadem arbore rami, qvorum avulso uno alter non deficiat, semper propullulabunt. Quare ut nostrorum temporum proventibus literariis nunc Dominus Clementissimus fruitur; ita secuturæ ætatis omnis, quæ ex illis efflorescet, gloria, omnes illæ nostræ laureæ & palmæ ad unum hunc, velut ad

Autorem, Fundatorem, Ducem, Architectum; non aliter quam ad fontem ſuum rivuli, ad Solem ſuum radii, ad ſtirpem ſuam ſurculi referentur. Macte, ô Sereniſſime Princeps, hoc tuo munere; macte illis, qui ex eo Tibi redundant, fructibus, macte illâ, quæ Tibi domi naſcitur, gloriâ; ſed quæ ita domi naſcitur, ut quaſi cum Solis circuitu per omnia tempora, omniaque locorum ſpatia ſemper renaſcatur, ac immortalem nominis Tui memoriam per noſtrum, qva patet, orbem hunc ſeculaque futura circumducat. Glorientur alii hominum cædibus & triumphis, Tu novos Tibi gignis, Tu formas ſapientiæ ſtudiis, Tu novos de barbarie & ignorantiâ triumphos agis. Alii Pyramidibus & coloſſis famæ ſuæ magnitudinem metiantur; tuæ in doctorum chartis & animis Pyramides atque ſtatuæ, non marmoreæ, non aureæ, ſed virtutum coloribus pictæ, ſed amoris cælo exſculptæ excitantur. Exſcindant alii urbes; Tu urbium ſervatores efficis: diruant caſtella; Tu propugnas: vaſtitatem agris inducant; Tu in excolendis laboras: bonis miſeros exuant; Tu artem, quæ ſuum cuique tribuat, defendis, & ægrè tamen aliis, ut tuum Tibi tribuere velint, perſvades. Congerant ſibi alii è ſpoliis æraria; Tu, dum in literas literarumque cultores exhauris, qvas illis largiris, opes tibi cumulas, aliisque longe prepretioſioribus commutas. Suam ſibi alii habeant famam, ſuas illi ædificent è populorum ru-

ruinis fortunas; Tu tuam in populorum ſalute ſalutem, infelicitate felicitatem quæris; & cum civium animos lucraris, non Crœſi talenta, non Attalica regna tuis vel divitiis vel gloriæ anteponis.

Nunc me Civium ordo vocat, qvorum utilitatibus hoc conſilio maxime proſpectum eſt. Nam etſi multa ſunt, quæ beatam facere Rempublicam creduntur, uberes agrorum proventus, paſcuorum felicitas, commercia cum aliis gentibus inſtituta: tamen illa, quæ regendæ Reip. per ſe inſerviunt, ſtudia, aut qvæ ad juventutem educandam pertinent, qvorum Academia fontes integros propinat, illa omnia, qvaſi continere videntur. In Civium ordine ut primo loco ſunt genere illuſtres, qvi propiore Principem gradu contingunt, cæterisque qvaſi in exemplum propoſiti ſunt; ita præcipuos ex Academiâ fructus ſentiunt, unde, veræ nobilitatis fomites ſubminiſtrantur, ſive illa ab armis, ſive à literis ſibi præſidium ac ornamentum qværat. Qvi è moralis, qvi è civilis ſapientiæ fontibus haurire volent, hic perpetuam illorum ſcaturiginem invenient. Qvi in lætiſſimos latiſſimosque Hiſtoriarum campos deduci cupient, ubi prudentia variorum, eventuum exemplis ſpectata qvaſi qvodam, theatro proponitur, duce ſuo non deſtituentur. Qvæ in Principum aulis, in deliberantium ſubſelliis, inanimis hominum expugnandis regnat, & in omnibus vitæ civilis negotiis o-

mne fert punctum, Eloqventia, qvâ non leviter tincti esse debent, qvi ex illo ordine ad Principum & Rempublicarum consilia adspirant, hic qvoque, quod in omnes partes valeat, habebunt. Qvi deniqve ad divinæ humanæque Jurisprudentiæ sacra propius admitti flagitant, habebunt, qvæ consulant, oracula, & qvorum illi præceptis ad omne palæstre civilis genus instruantus. Non dicam de lingvis vulgaribus, qvarum ad vitam civilem magnus usus est, ut Nobili homini & ad Reipublicæ negotia aliqvando admovendo illæ sæpe & ornamento & adjumento sint. Non desunt, qvi in his commodam qvoqve operam præstent, peritissimi Magistri, & in patrii sermonis societatem exteras qvoqve lingvas adsciscant. Et hæ qvidem exercitationes ingenii, hæc curricula mentis sunt, in qvibus qvi versari velit, & velut in Phidiæ cujusdam Officina elimari, domi sibi nasci videbit, qvæ alii impensis maximis, magno sæpe & valetudinis & vitæ periculo extra patriam ægre investigant & conqvirunt. In corporum si qvi occupari veluit exercitiis, qvæ non negligenter habenda sunt homini nobili, sive illum armis, sive principum subselliis fata destinaverint, sive in hominum elegantiorum consortio illi vivendum sit; illa docentur ab istis Magistris, qvi ingenii solertiâ & usu vel omnibus in eo genere palmam dubiam reddunt: Maximum hoc sane patriæ suæ, magnum suo ordini bonum, si qvidem æqvi velint esse judices, neqve ignota omnia

&

& peregrina pro magnificis habeant, agnoſcent, cum in patrio ſuo ſolo illas bonæ mentis fruges naſci vident, qvas majores noſtri aliunde multa cura & ſollicitudine importare conſveverunt: cum habent domi, qvos in conſilium adhibeant, qvorum operâ utantur, qvos filiis moderatores præficiant, & cum qvibus, ſi amœnitates ſtudiorum ſectari velint, familiarius converſentur. Quid enim accidere generoſi menti gratius poſſit, qvam iſtis in ſtudiis verſari, qvæ non meliores tantum nos faciunt, ſed & mirificâ animos voluptate perfundunt. Qvoties ego hæc animo repeto, qvasdam qvaſi Athenas in hac urbe mihi depingo. Nam ut illa Græciæ urbs clariſſima, non ſolum & literarum & doctiſſimorum hominum, ſed hominum, ſed & nobilitatis eruditæ commune qvaſi forúm fuit; ita hæc noſtra qvoqve, ſi parva licet componere magnis, & nobilitatis & doctrinæ qvoddam domicilium eſt, in qvo uterqve ordo qvaſi ſimul habitat, & è tota provincia ad ſocietatem vitæ convocatur, & ex variis ingeniis excellentiſſima qvæqve libantur.

Venio ad cæteros è civium ordine, quorum plerique, qui opibus non adeo abundant, certis circumſcribere limitibus filiorum ſuorum ſtudia ſolent. Nam vel Theologicæ doctrinæ, vel Jurisprudentiæ, vel Medicæ arti deſtinarunt, & philoſophiarum præceptis imbui ac præparari eorum animos volunt. Ii, ſi quidem in-

intelligunt, quæ sibi filiisque suis maximè sunt accommodata, causas habent gravissimas, quare & DEO & Principi Serenissimo gratias agant immortales. Quantum enim hoc beneficium est, in viciniam mittere filios, ubi omni doctrinæ genere erudiantur, quos velut è specula Parentes semper observare, ac, si forte in lubricâ illâ ætate se paulo extra numerum moverint, redigere in ordinem possint; quibus mature & consilio & auxilio adsint; quorum commodis & saluti non è longinquo, sed ex propinquo, & quasi suburbani, prospiciant, rebusque ac studiis certâ lege ordinandis moderentur. Quod si pristinorum temporum felicitatem nobis, restituto Principe, reduxerit DEUS, non amplius clausos illos liberalitatis fontes videbimus, quos in egentiores non solum cives, sed & alienigenas, hic Patriæ nostræ Parens diffuderat, ut exiguis & pene nullis sumptibus viverent, qui studiorum gratia hic commorabantur. Quo ex insigni beneficio cum maximum præcipue fructum patria caperet, vel eo nomine sibi filiisque suis gratulari debent cives; qui licet parum in opibus suis præsidii habeant, eum tamen Principem habent, qui ne paupertatem quidem bonæ menti inimicam pati potest, atque adeo nullam bonis ingeniis viam, quâ eniti possint, præcludit. Non possunt illam suam felicitatem æstimare rectius Cimbri, quam ex aliarum gentium infelicitate, quæ à consortio Academiarum paulum

re-

remotiores, vel patriæ glebæ affixos tenent ſuos, omnium rerum & artium rudes, vel in exilium potius, quam in Academias, mittunt. Illic pro virtutibus ſæpe diſcuntur vitia à prava conſvetudine, à malis converſantium moribus orta, & quaſi contagio quodam in cives propaganda: pro bonis artibus nequitiæ & fraudes, pro doctrinis errores, velut è turbidâ ſentinâ hauriuntur. Cum ſtudiis invigilare credunt filios parentes, illi otio diffluunt, per popinas vagantur, in luſtris hærent, & in temulentiam & luxum Parentum opes, quas illi genium defraudando anxie corraſerant, profundunt. Qui boni, vel ſaltem non mali, homines tamen exiverant, redeunt ſæpe plusquam Circæâ μεταμορφώσει in porcos, canes, tigrides, aſinos converſi. His certe periculis & incommodis maximam partem immunes ſunt, qui in conſpectu ſuo filios habent patres, eorumque mores & ſtudia propioribus conſiliis dirigunt. Illi vero poſtquam ſemel vitæ Academicæ ac libertati adſveti ſunt, vel alio jam confirmato judicio, ac in primâ palæſtrâ ſatis ſpectati, ſecurè transmittentur, ubi firmiora jam veſtigia ponant: vel abſoluto hic ſtudiorum curriculo, iis, quæ virtus eorum meretur, muneribus admovebuntur. Qui ad certum vitæ genus ſtudia ſua non inſtituerunt, ſed ligurientibus & pitiſſantibus ſimiles in illis Muſarum deliciis verſati ſunt, quod cæteris ad vitam præſidiis redundarent; vel in medio ſtudi-

orum cursu substiterunt, quacunque sorte suæ contenti, id tamen consequentur, ut commodis moribus sint, ac viri civisque boni officio recte fungantur, ab indoctis suspiciantur, à pravis metuantur, à bonis impensius amentur. Quod si omnium civium classes perambulemus, quocunque illi loco & ordine sint, non erunt, ad quos illi fructus nostri non pertineant, ac, si non messes, certè aliqua ex iis spicilegia reponant. Qui sacris præsunt, hic publicos pietatis veræque religionis custodes habent, qui excubias agant, inque omnes partes vigiles oculos convertant, ne quid Ecclesia detrimenti capiat: habent, quos in dubiis arduisque rebus adeant, quorum sententiam explorent: habent seminarium, unde effœtis stirpibus novæ succrescant. Tribunalia, Magistratus, Advocati, Judices inveniunt, quorum præsidio in ambiguis nitantur: habent, quò confugiant rei iniquitate litium ac causidicorum oppressi: habent cives, unde judices judicumque parastatas, legum custodes, interpretes, vindices arcessant, in quorum sinum negotia sua deponant. Omnibus denique his, qui à nobis sperari possunt, fructibus succum suum & vigorem cæteræ artes impertiunt. Omnia enim sine philosophiæ ansis mutila & manca sunt, ac sine illâ vacillant, titubant, collabuntur. Ejus insignem in omnibus Reipublicæ partibus usum cum alia occasione copiosius exposuerim, nunc quidem acta non agam.

Id

Id tantum dicam, eâ bonæ doctrinæ ſapientiæque ubertate tot viris eruditis ad aliorum invidiam abundare patriam noſtram, ut non ſit, quare aliis ſupplicatum eat, aut ſua aliunde ornamenta quærat, quæ ſuis ipſa dotibus, ſuis ipſa ingeniis quotidie magis magisque eniteſcit. Neque enim, ut exiſtimo, patriæ tantum fines, ſed exteras quoque terras nominis noſtri famâ implevimus, &, quod ſine jactantiâ dictum velim, cum aliis contendere poſſumus. Creſcunt & nobis domi ſylvæ, unde laureas decerpamus, unde columnas & tigna excidamus. Sunt horti, inque iis arbores, & quæ nativos fructus ferant, & quæ novas frondes & non ſua poma mirentur. Nobis quoque illi fontes fluunt, quibus explere animos ſitientiſſimos poſſumus, quibus agros noſtros irrigemus, quibus fœcundæ ſegetes excitentur; ut non ſit, quare aliorum rivulos multum deſideremus. Si ab animi bonis diſceſſerimus, quæ Academia patriæ præſtat, nec illud ſpernendum eſt, aut pro nihilo ducendum, ſervari patriæ per Academiam illas opes, quas olim in vicinos effudimus. Etenim ſi magnum vectigal parſimonia eſt, quare patriæ non potius bono, qvam aliis gentibus erogemus, qvas divitias congesſimus? Neque enim exigua pecuniæ ſumma qvotannis in alias terras à juventute noſtra exportabatur, qvæ aliis lucro cederet, cum nunc, præterquam quod noſtros ipſi fontes reſorbemus, alios in noſtrum fundum derivemus, ut

duplici commodo pro damno multiplici fruamur. Arrigite aures, ô Cives, qvi virtutem post nummos ponitis, qvi in qvæstum omnia confertis, ejusque causa animum ad artes & partes malas sæpe adducitis, qvi è fœnore, navibus, agris, pascuis, mercibus reditus corraditis: non vestræ, quas possidetis, sunt divitiæ; nostræ illæ sunt, nostræ opes, qvæ de principatu cum vestris contendunt. Habeat patria vestra portus commodissimos, exportentur, importentur utroque mari (hos enim in totum terrarum orbem exitus habemus) omnis generis merces; impleant vobis agelli modici integra granaria, affluant stagna lacusqve piscibus, pascua armenta alant, pecorumque fructus opimos subministrent: nos eas vobis merces parturimus, qvæ pectus saturent, qvæ mentes deliciis suis pascant, quæ opulentis sunt lucro, potentibus firmamento, nobilibus ornamento, civibus præsidio, egenis subsidio, miseris solatio, omnibus adjumento. Quid enim per DEUM ex omni illo divitiarum opumqve cumulo est, qvod cum nostris conferri thesauris possit? An gemmæ, latronum præda. An merces, piratarum spolia? An naves, ventorum ludibria? an metalla, rubiginis pabula? an vestes, tinearum epulæ? an palatia fulminum irritamenta? an servi in fugam proni? an pecora, qvæ vitio aëris occumbant? Æternum est, qvod possidemus; immortales sunt illi fructus, qvibus patriam locupletamus; qvos non tempo-

poris ſpatia intervertant, non latrones ſubducant, qui aëris injurias contemnant, neque in ipſa morte deſtituant. Cumque cætera omnia quaſi per quandam rapinæ ſpeciem noſtra eſſe videantur: nam montibus gemmæ & metalla, agris fructus, ſylvis naves, libertati ſervi ſubtrahuntur; veſtes ſpolia animalium, pecora, partus matribus ſubducti ſunt; & mille illa omnia modis, hereditate, emptione, permutatione poſſeſſores mutant: nihil profecto eſt, qvod poſſeſſionis noſtræ jus labefactare nobis poſſit. Ut enim è nobis hæc nata ſunt, ita noſtra nunquam eſſe deſinunt: nullum habemus hujus noſtræ gloriæ ſocium, nihil ſibi ex illo jure alii decerpunt: ſed tamen & veſtra ſunt, & ita tamen veſtra, ut nos eorum dominio non excidamus. Tu quoque merito in maximam horum fructuum partem vocari debes, optima Muſarum noſtrarum hoſpes, Kilonium, & pulchritudine ædificiorum, & frequentiâ hoſpitum, & comitate civium, & publico quaſi fidei Holſaticæ foro, nunc qvoqve noſtro incolatu inclyta & nobilis. Nam, etſi male vulgo habitare creduntur, qvi in ſalſuginoſa vicinia habitant, ut nos intra duo hic maria poſiti, Balthico verò viciniſſimi; tamen & ſalubri illa aurâ recreamur & noſtra felicitate, qvæ ex eruditâ converſatione naſcitur, grato illo ingeniorum ſale, quo illa ad æternitatem condiri ſolent, non caremus. Quemadmodum ergo, qvi igni propiores ſunt, citius incaleſcunt,

qvi

qvi ad ripas Nili habitant, fertiliores agros colunt, qvi solis luci expositos hortos habent, primos, cæteri secundarios fructus colligunt: ita omnia hæc, qvæ enumeravimus, commoda, primitiarum quodam jure ad urbem hanc ejusque inqvilinos pertinere videntur. Quid enim addi ad hanc felicitatem potest, cum pueros severâ suâ disciplinâ eductos, bonisque moribus artibusque præparatos, parentes in sua tenere custodiâ ad illam ætatem possunt, qvæ suis uti consiliis, suo niti remigio, & sine cortice natare possit. Patent illi disciplinarum campi, qvos sub optimis ducibus emetiatur, qvam primum è domestica informatione dimissus adolescens majori se palæstræ aptum senserit. Vivit ille sub parentum arbitrio positus, qvi ætatis mores, facile, ubi sibi relinqvuntur, in socordiam & licentiam degenerantes, emendent; in ordinem errantem redigant, pedeque inoffenso in illis, quæ decurrit, stadiis ad propositam sibi metam perducant. Nam, qvi in loca alia mittuntur, cum cœlo plerumq; animum mutare solent; &, cum à patriâ, à parentibus discedunt, à se ipsis & à bonâ mente sæpe discedunt, suorumque spes & vota misere eludunt. Hîc vero in conspectu suo ante oculos filium habet pater, interest studiis, consiliis, in rem præsentem venit, urget assiduitate suâ labores; operas ac dies metitur; ut fallere ejus providentiam ac curas, etiamsi velit, non possit filius. Idem denique agit, qvod

si-

ſibi à patre factum Horatius prædicat, qvi maximas pro tanto beneficio illi gratias gratisſimus filius agit: qvod in exemplum ſibi tam parentes, quam filii proponant:

Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat. quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) ſervavit ab omni
Non ſolum facto, verum opprobrio quoque turpi.

Non dicam nunc de ſumptuum inſigni compendio, cum intra domeſticam parſimoniam ſubſiſtens paterfamilias, ideo neq; meliore oleo caules ungat, neque rei familiaris naufragia ſibi metuat; nam immanes ſæpe bonorum jacturas facere ſolent, qvi in exteras Academias filios mittunt parentes, ut ab illa plaga ægrè convaleſcant, neque lacunam hanc tam facile expleant. Qvi in tenerâ ætate conſtitutis liberis duces moderatoresque quærunt, florem hic juventutis habent, unde eligant, qvos ſuo inſtituto commodos exiſtimant. Nam cum ſollicitâ illi cura ex aliis conqvirendi Academiis eſſent, nunc illorum facultas optabilis eſt, ut vel ultro ſe offerant, qvi ſuorum ſtudiorum gratiâ hic commorantes ſumptuum compendium è puerorum informatione aucupantur. Eſt & illud minime ſilentio prætereundum, neque poſtremo loco inter hujus urbis utilitates, qvæ ex Academia illi obveniunt, recenſendum, non è totâ tantum provinciâ, ſed & aliunde qvaſi in cumulum conferri illas pecunias, qvas non

non modicas qvotannis hic impendunt, qvi ad hunc locum velut ad mercatum bonarum artium confluunt, non certe omnes in illo Ofelli rustici apud Horatium ludo instituti, quibus

— — cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniat;

aut qvi pro qvæstu sumptum facientes, defraudare genium velint, ac si uno qvadrante minus locupletes essent, neqviores sibi viderentur; sed qvorum intemperantia sæpe alii fruantur. Accedunt his quæ è nostro ordine huc migrarunt familiæ, & ea non solum, qvæ illis numerantur stipendia; sed & suas opes non rarò in vitæ necessitates absumunt. Qvorum si qvis inire ac subducere rationes accurate velit magnam profecto è singulis in unum collectis summam confecerit, qvæ in cives tota tandem redundat. Nunquam ergo fortunis nostris invidebunt, si non exiguam suarum partem in nostris sitam esse cives intellexerint, & quamdiu res nostræ florebunt. Florere autem illæ non desinent, quamdiu publicæ calamitates (quod DEUS prohibeat) omnia non turbant ac evertunt, & idonei muneribus præficiuntur Doctores, quorum spectata omnibus virtus & doctrina sit, ac qui nominis sui fama in hoc quasi theatrum evocent sui admiratores. Non sane tranqvillo navigamvius, sed aliquot procellis pene submersi fuissemus, nisi DEUS rebus nostris providisset. Qvi tueri suos non desinet, at-

atque à cervibius illas, qvæ nobis imminent, tempestates avertet. De altero Serenissimus noster Princeps, & qui consiliis præsunt, videbunt, qvi, ut in ipsis Academiæ incunabulis celeberrimos è Germaniæ Academiis Doctores huc arcessiverunt, ita semper omni in id curâ cogitationeque incumbent, ut eos habeamus, velut adhuc habuimus, qvi amplissima ad exteros & posteros virtutis & doctrinæ exempla transmittant. Id quoque amplissimus hujus urbis Magistratus pensi habebit, ut, quantum in ipsis est, qvas hic nobis fata ostenderunt, sedes quietæ sint, ac nos cum Musis nostris urbem hanc non tam pro hospitio, qvam pro patria habeamus.

Multa enumeravimus, A. commoda, quæ in patriam & hanc quoque urbem Academiæ caussa redundant: sed ea ita sunt comparata, ut, cum illæ qvæ è cæteris rebus proveniunt utilitates, cum aliqvâ interdum molestiâ conjunctæ esse solent, nostræ exquisitissimâ voluptate refertæ sint, sive antecedat eas, sive comitetur ac conseqvatur. Vel ipsa illa fructuum copia & ubertas jucunda est, ut homini pecunioso & opulento de magno tollere acervo, & de fonte potius, qvam de fonticulo haurire svave est. Ac primo qvidem illa voluptas ad Serenissimum Principem referenda est, qvæ ex opere ejus profecta ita divinum istum animum reficit, ut, si à Reipublicæ populique salute discesseris, nihil sit, qvod magis ipsum oblectet, quod

quod ipsi freqventius obverſetur, cujus ille deliciis paſcatur, qvam Academia, adeo, ut in ſermonibus de illa ſæpe inſtitutis, qvaſi in peropportuno aliquo diverſorio reqvieſcat. De Patriâ quid dicam, quæ non minori afficitur voluptate, qvam ille, qvi ad vitæ munia obeunda in diligenti rerum contemplatione, in opere expediundo & mente acri, & lingva flexanimâ, & manu valida expedite utitur. Hæc enim Patriæ præſtat Academia. In ſtudiis denique ipſis qvanta eſt, qvam vel Reges nobis invideant, ſvavitas, & quâ cum ipſis contendere poſſimus? Ac ſane ex aliorum infelicitate noſtram facile felicitatem metiemur. Habeant Tyranni ſuam ſibi potentiam, habeant homines opulenti ſibi ſua talenta, ſuos fundos, ſua regna; habeant homines voluptatibus dediti ſuas ſibi delicias, veneres, amœnitates; non invidemus illis, qvicqvid habent opum & illecebrarum: nos in Sapientiæ regno triumphos agimus, & in animis ac memoria hominum immortalitatem exſpectamus. Nos veram animi voluptatem perſentiſcimus; illorum peribit omnis memoria, vel in perpetuo dedecore verſabitur: nobis durabunt æterna virtutis noſtræ monumenta, ac cum ſeculo ipſo certabunt. Depingat nobis in tabula ex omnibus totius orbis formis Venerem aliqvam Apelles, nulla venuſtior nobis amœniorque facies erit, qvam illa Virtutum & Sapientiæ imago & ſpecies, qvæ ſuccum ſangvi-

gvinemqve omnem è bonis literis traxit, vultumqve augustissimum ostendit. Multa de ideis, multa de pulchro suo Platonici; Literæ nobis veras ideas ob oculos ponunt, & formam omnibus humanis pulchriorem. Evigilate, ad has voces meas, si qvi estis laudabiles nostrarum Musarum Pamphili, Juvenes Nobilissimi, altiusque in animum vestrum admittite! Intendenda mihi vox est: (Vereor enim ut hoc, qvod dico, non perinde intelligi possit, atque ipse animo meo verso) Evigilate ad has delicias, ô Juvenes, irruite in hujus Veneris amplexus! Ad regnum vos voco, ad Sceptra. Procul hinc calices, cululli, aleæ, taxilli, chartulæ lusoriæ, tela, enses, ingloria militum togatorum arma & instrumenta: ad purpuras, laureas, diademata ipsa vos voco. Annon videtis, qvot molestias subeant, qvæ fanda infandaqve moliantur illi, qui regna affectant, nihil enim dominandi libidine svavius est. Venerunt ad solium homines ex ipsis sordibus à fortuna protracti, qvos ingenita qvædam virtus & sublimior prudentia illa in sede collocavit. Hi, quando tot populos ad nutus suos paratos circumspiciunt, cum se tot satellitum famulitio stipatos vident, cum leges omnibus, nullas sibi præscribunt, cum de hostibus victorias & triumphos reportant; qvis non intimis animi sensibus demulceri credat. Regnum est Sapientiæ possessio, & plus quam regnum. Hos, si dicere fas est, uno Jove mino

res dicemus. Quare non profecto ineptias egerunt Stoici, cum ſapientem ſuum ſolum Regem, nobilem, divitem dicerent. Imperium horum eſt non tam in corpora, qvam in animos, quo nihil poteſt eſſe ſublimius, nihil jucundius. Hos illi occupant; in his illi non brevi aliqvo vitæ ſpatio, ſed in omnia ſecula triumphant. Ac fingat ſibi aliquis regnum quoddam Sioicum, aut ſolis civitatem; & eveniret ita, ut optant nonnulli, ut ſapientes aliquem in locum ſecederent; annon hunc Regem crearent, illique ſe ſubjicerent, quem in omni ſapientiæ virtutumque genere excellere noſſent? Regem hunc appellarent, cui inſidet virtus, conſilium ſubminiſtrat prudentia, qvem diademate ſuo veſtit ſapientia, cui purpuram ſuam circumponit, juſtitia, cui omnis eruditio doctrinaque, & quicquid eſt è literatis minorum gentium, ſe, ſubſternit. Illis ergo ſuperſunt gloriæ maximi fructus, qvi utilitati voluptatique, qvæ è ſtudiis percipiuntur, ita ſunt innexi, ut ſine, utilitate gloria non conſiſtat, hæc vero illi ſemper comitetur: jucunditas autem utriusque, quaſi vinculum, ita inter ſe hæc duo conjungit, ut ſine jucunditate utilitas ingloria, gloria inutilis & infrugifera eſſe videatur. De gloria, ergo mihi dicendum eſt, quæ omnium bonorum complementum eſt, & ex hac virtutis ac honorum ſede in Principem, Patriam, Cives, nos denique omnes, & vos, ô Juvenes, immortalis illius gloriæ candidatos & heredes, pro-

ma-

manat. Loqventur annales noſtri, diffundetur per omnium ſeculorum memoriam illa Sereniſſimi Principis virtus, quâ ſapientiæ bonisque artibus proſpectum voluit, ac inter illuſtria illa Hiſtoriarum nomina, quæ ſtudiis obſtetricias manus admoverunt, Theodoſios, Fridericos, Carolos Magnos, Ælfredos, Ludovicos, Julios, Albertos, Chriſtiani Alberti nomen à ſeris nepotibus celebrabitur. Patria autem noſtra, quæ ante hos Academiæ natales tot illuſtria Orbi literato ſidera immiſit, Ranzovios, Calixtos, Cypræos, Cluveros, Latheros, Meieros, Loccenios, Vorſtios, Ruaros, Alardos, Jonſſios, Dreſemios, Schævios, Schvvaningios, Finckios, Roſebohmios, pluresque alios, qvorum nomina recenſere nunc ſuperſedeo: quos non illa ex hac officinia Joves, Apollines, Mercurios non unius Phidiæ manu ſculptos exſpectabit? Orientur etiam è nobis (cur enim de fœcundiſſimo & ſolo & populo deſperemus?) Melanchthones, Gerhardi, Cujacii, Donelli, Sennerti, Paracelſi, Gasſendi, Conringii, Böcleri. Nam de ſuperſtitibus, & qui ante paucos annos vivere deſierunt, nunc nihil dicam, quorum pervulgata apud omnes fama eſt, ne pudori illorum gravis ſim, qvorum aliqui hic nobis adſident, aliqui abſunt, aliqui defunctos cognatione attingunt. Illorum beneficio & nunc patria noſtra cæterarum in ſe gentium ora convertit, & cum iſti novam prolem ſuffecerint, poſterorum immorta-

talibus præconiis extolletur. In hujus gloriæ possessionem vos ego, ô Juvenes, palam nunc meâ oratione evoco, clarâque voce compello. Vobis illæ seruntur fruges, à nostrâ illa semente amplissimas aliquando in vobis messes patria exspectat. Versantur vobis ob oculos virtutis & doctrinæ exempla; intuemini in has imagines, & ex iis novas virtutum ideas, quasi è speculo, concipite! Ille fulgor est, qui animos novâ luce illustrat: illi ignes, illa fulmina sunt, è quibus in flammas ac incendia vestri se fomites diffundant. Alexandri imago Cæsares gignit, Militiadis tropæa Themistoclem excitabant; Viri sapientiæ & eruditionis honore conspicui suo exemplo plures invitabunt. Hinc videmus jam ab omni ævo ab unius sæpe hominis ingenio revixisse omnem sapientiam. Unus aliquis signum sustulit; secuti sunt longo agmine præeuntem magistrum multorum seculorum discipuli. Plato aliquis cœlo delapsus est? fasces illi submittit tota Philosophorum natio. Aristoteles velut novum aliquod sidus exoritur? prodeunt ex ejus Scholâ Alexandri, prodeunt tot gentium, tot seculorum Philosophi. Quid per Germaniam & vicinas Academiâs singulorum virorum doctorum exempla in animis juvenum præstiterint, notissimum est. Superiori seculo annon è Philippi Melanchthonis & Erasmi ingenio pene totus orbis Germanicus novâ literaturâ imbui cœpit? quid in pietatis & doctri-

ctrinæ ſtudiis non effectum eſt Lutheri meritis? Quot præclara ingenia orbi literato formavit Joſephi Scaligeri ſumma eruditio? Non quidem ii nos ſumus, qui cum illis comparari Heroibus velimus, nam modeſtius, de nobis ſentimus, ſed nunc quidem illi ſimus, qui ſumus,

Quales nos Patria cuſtodes DI genuerunt:

Vivent fortè etiam poſt noſtra tempora, qui nos doctrina, virtute, meritis antecellant: quibus ut non invidemus, ita non defuturos ſperamus, qui, ſi quid noſtræ eſt vel virtutis vel gloriæ, candidi judices non diſſimulabunt. Nos quidem nunc illâ ſolemur nos voluptate, habere & nos etiam alibi amatores, forte & admiratores noſtri, ut neque foris peregrini & hoſpites ſimus. Vobis certè, qui Reipublicæ futuræ effigiem vivi repræſentatis, omnis noſtra opera deſervit. Optamus nobis, qui velut apum examina nos ſemper circumfluant, rogent, prenſent, & velut è fonte quodam ſemper haurire velint, jacentibus & ignavis animis ſtimulos, promptis & cupientibus alas addere parati. Vos in animum vobis revocate, non vobis ſolum, ſed & parentibus, Patriæ, cognatis & liberis aliquando veſtris, vos hic vivere, & ſtudiis incumbere. Non veſtri tantum hi ſtudiorum fructus ſunt, ſed & ad familiam & patriam pertinebunt. Quid ſvavius eſt, quam ſi patriam noſtro nomine honorari videamus? ſi de natalibus noſtris certent civitates,

ut de Homero; si nostrarum virtutum causâ civitas illustretur; si parentibus gaudia excitemus. Nullum certius ad filios transit patrimonium, quam gloria. Si enim & illi patriis virtutibus insistunt, cum fœnore quodam augebitur: si novas non adjecerint, paterni tamen nominis memoria illos tuebitur, & in aliquo felicitatis gradu, in secundis tertiisque, si ad prima adspirare non possint, collocabit.

Sed me nescio, quomodo & rei, de quâ dico, svavitas, & argumenti ubertas, & mei ipsius, & temporis, & vestræ, Auditores, patientiæ immemorem abripit, ut in cursu orationis, velut Atalanta aureorum objectu malorum sistar aliquando & hæream, neque illam, quam mihi proposui, metam contingam. Propior certe ipsi nunc sum, & quoniam cum studiorum omnium, tum orationis meta ante oculos est, manu velut injecta apprehendam, ac finem orationi meæ imponam. Vos vero, ô Juvenes, animo hæc vestro sensibusque imis, quæ dixi, reponite; ac si qua est æterni Numinis religio, si qua Clementissimi Principis reverentia, si qua Magistratus & Legum observantia, si qua Patriæ & Parentum veneratio, si qua pietatis, honestatis, recti & decori cura est, in animum vestrum descendite, & quid Deo, Principi, Patriæ, Parentibus, nobis, vobis deniq; ipsis, & posteris debeatis, vobiscum perpendite. In illa estis ætate constituti, quæ ut in vitium flecti cerea est, ita ad virtutum fastigium, si-

ſi ſpiritu & vigore ſuo uti velit, facile enitetur, aureaque in noſtris Heſperidum hortis mala decerpet: Sunt, qui vos manu ducere velint hodegetæ; ſunt qui monitis & conſiliis adſiſtant, in viam errantes reducant, illuſtribus exemplis invitent & impellant; Exſpectant vos Eccleſiæ antiſtites, tribunalia Judices, cathedræ Doctores, Subſellia Principum Conſiliarios, Urbes Conſules & Senatores, Scholæ Præceptores, tempora corrupta emendatores, Patria propugnatores, Cœlum denique, ſi ipſi velitis cives & poſſeſſores: in certamina hic deſcendite, ſed de literis, de virtutibus, de bonis moribus! Comeſſationes inſtituite, ſed librorum helluones, ſed dulci doctrinæ mulſo temulenti; in gynæcea venite, ſed Muſarum virginum, quæ noctes ſuas & amplexus liberaliſſime vobis indulgeant. Denique ſi quid gratia apud vos valeo, rogo; ſi quid autoritate, hortor, ut quietam mihi eſſe hanc æſtatem velitis, meque Doctoris potius, quam Judicis fungi munere permittatis. Nihil mihi, nihil nobis omnibus gratius erit, quam ſi nullum veſtrum nomen in tabulis noſtris legatur, nullo veſtro obulo fiſcus diteſcat, nulla vel umbra veſtri in judicio appareat, atque ita vitam inſtituatis, qualem vos, ſi loco noſtro eſſetis, inſtitui illam optaretis. Tu vero, ô Cœleſtis Pater, qui omnium noſtrorum bonorum fons & origo es; Tu æterna Patris Sapientia, JEſu CHriſte; Tu omnium Doctor artium, Divine Spiritus,

Tu æterne Deus, cui omnis noſtra induſtria laborat, cui & primitiæ & omnes noſtri fructus debentur, in quo omnis noſtra voluptas conquieſcit, cujus gloriæ omnis noſtra, ſi qua eſt, gloria ſervit; Tu proprias has Tibi vindica domos, Tu ſedes nobis quietas effice, atque omnes à nobis triſtioris fortunæ tempeſtates averte; ut ſemper hic ſint, qui & pro aris & pro focis pugnent, qui templis tuis lucernas accendant, qui tribunalibus tuæ juſtitiæ lances appendant, qui tuæ ſapientiæ rivulos per gentes & ſecula diffundant, unde in Tuæ gloriæ Oceanum illi relabantur. Tu fac, ô Domine, ut, qui abſente jam per ſeptennium Sereniſſimo Principe totidem ſtrigoſa Pharaonis pecora repræſentavimus, illo nobis reddito lætiore vultu arva niteant, ac opimiore ſpecie vetus illa macies abſorbeatur: nobis quoque, qui in ſignis tantum noſtris pacis imaginem hactenus repræſentavimus, nunc ipſa, quanta quanta eſt ſe videndam ſiſtat, in amplexus noſtros ruat, & ex ubere illo cornu ſuo neceſſitatibus noſtris ſubveniat, res anguſtas amplificet, naufragii veteris jacturam reſarciat, merentibus præmia tribuat, omnibus denique ea, quæ ad vitam & hominis, & eruditi, tam ſuſtentandam, quam ornandam pertinent liberaliſſime largiatur.

DE AURO ORATIO,

ipsis Kalendis Septembribus,
in Auditorio majori
KILONII
habita,
Anno M DC XC.

ad exempl. ab ipso Autore editum.

Nobilissimo Amplissimoque Viro

FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO,

Singulari omnium literarum ornamento,

S. P. D.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS.

Cum ea, quæ in auri laudem χρυσοῦ χρυσότερ. scripsit Vir clarissimus Majoragius, recudi facerem, idem me impetus invasit, ut similis argumenti orationem ipsè scriberem ederemque. Hanc ut tuo nomini, Vir Amplissime, inscriberem, multa me impulerunt. Nam si argumentum respicio, haud equidem scio, an cuiquam convenientius dari munus possit. Qui recte de literis & literatis judicant, te inter τὰ λείψανα χρυσοῦ γένους merito venerentur: jam dudum enim literarum elegantiorum singulari cultu, & insigni variarum rerum scientia, ita innotuisti, ut nemo inter Italos, Gallos, Anglos, Belgas, qui aliquo eruditi nominis honore effulgeat, temere reperiatur, qui non in suis te habeat, & illam, quæ è communibus Musarum sacris contrahi solet, amicitiam tecum religiosè colat & observet. Quare nihil impensius, nihil enixius curas, quam ut tua Viris doctis studia atque officia probes, teque totum eorum utilitatibus im-

impendas. Horum in numero etsi extrema caveæ sedeo, dignus tibi tamen visus sum, in quem benevolæ tuæ voluntatis propensio extaret, tot mihi argumentis spectata, tot honestissimis de me apud tuos, apud exteros, judiciis confirmata, ut nisi grato eam animo agnoscerem, improbum Officiperdæ nomen mihi subeundem sit. Vel nuper adeo, cum elegiam in Viri incomparabilis MARQUARDI GUDII obitum scriptam minutiore charactere recudendam curares, ut facilior ejus ad exteros esset deportatio, luculentum affectus tui specimen ostendisti. Qua de re ita ad me scripsit amicissimus noster MUHLIUS, ut tuas ille virtutes, tuumque erga me amorem, mirifice extolleret. In ære ergo tuo sum: quo ut liberare me possim, imaginario hoc Auro tibi satisfactum existimes velim. Parum quidem in seculo hoc ferreo aurei est: nam in ora & frontes ferreas ubique incurrimus, & si quid aurei ostenditur, ita subæratum est, ut ærugo undique perluceat. Tu vero, Vir optime, ferruginoso huic & æruginoso seculo te ὁλόχρυσον *præstas: & ego, quoad ejus fieri potest, operam dabo, ut quanquam arcis loculisque absit aurum, animo tamen nunquam abesse videatur. Vale & favorem mihi tuum conserva. Dab. Kilonii è Museo meo, ipsis Kalendis Septembribus Anni M DC XC.*

BE-

BENEVOLO LECTORI

S.

QUæ hic tibi sistitur Oratio, Lector benevole, plane ad exemplum Majoragianæ orationis scripta est. Quemadmodum enim, dum aurum laudat ὁ εἴρων Majoragius, mira festivitate vitiis omnium ordinum, præcipuæ cleri Romani, illudit: ita & ego, qui eadem premo vestigia, ad eundem scopum tendo. Quæ hic ergo simulate de ordine sacro dicta sunt, eosdem, quos Majoragius intelligit, Gryphes χρυσοφάγυς designant, qui omnes sibi solis aurarias natas putant: ne quis maligne mentem meam interpretetur. Quis enim vir honestus bonis piisque in vinea Domini operariis dignam mercedem, quis tenuem illam mediocrem fortunam invideat? Verum τῶν ἔξω χρυσοφιλία & φιλαργυρία adeo in vulgus innotuit, ut vel domesticorum convitiis verberetur, & asperiore, quam Majoragiana est, strigili depecti mereatur. Nec sane ipsi Majoragio usque adeo à suis vitio verti potest, acriori illa vitia sale defricuisse, quæ primam defectioni fenestram aperuerunt. Cæterum hominum vitia,

quo

quæ redeunt iterum atque iterum spectanda theatris,

in apricum produci & atro carbone notari, nemo ægre feret, nisi qui corvis veniam dandam, columbas vero vexandas existimarit. Quibus ita acquiritur, ita possidetur aurum, ut ex Horatii (*) monito funem potius sequatur, quam ducat, nullos Satyræ ungves & dentes pertimescent. Forte etiam non deerunt, qui mihi occentabunt:

Insani sapiens nomen ferat, æqvus iniqui,
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.

Denique & hoc monere visum est, me, ut in Declamationibus fieri solet, multa ad ornandam causam attulisse, quæ non serio nec ex animi sententia dicta sunt: aliud enim pugnare, aliud ventilare est. Tu vero, Benevole Lector, bene vale, nosque ama.

(*) *Lib. 1. epist. 10.*

PRO-

PROGRAMMA
INVITATORIUM.

CRas AURUM (Cives laudanti plaudite!) laudo,
Quod laudare levis, non dare, Svada potest.
Non hoc nos Auri & Vatum pater unxit Apollo:
Quanquam uno proles nata parente sumus.
Hoc Reges donent Auro sub Rege. Sed ipse
LAUDABO; resonat Nympha jocosa: DABO.
Fallis inepta! Aurumne dabis, quæ ventus & aura es?
Ut mala respondent nomina, verba dabis.
Non implent loculos, ut hiantia carbasa, venti;
Non arcas, quicquid tinniat ille, sonus.
Vos date nunc nobis aures Aurove benignas
Etsi non nostri, saltem amor hujus agat.
Aurum prima sonat Peitho, summa exit in aurum.
Aurum ego, non lapides hirtaque verba, loquor.
Ergo verba dabo, meliore sed uncta metallo.
Aurea si dederim, non male verba dedi.

O-

ORATIO DE AURO, & ejus laudibus.

CRedo vos, Proceres Civesque Academici, mirari, quibus ego caufis inductus impulfusque fuerim, ut, cum Majoragii, præftantiffimi viri, auream de auro orationem explanare conftitui, novo atque infolito more, ut in re magna & memorabili fieri folet, ampla præfatione eam cohoneftandam, vosque, Auditores ornatiffimi, ad ejus lectionem quafi præmuniendos exiftimarim. Verum concidet illa veftra miratio, fi ejus rei, quæ laudatur, majeftatem animo reputaveritis. Illa enim quafi in regali folio pofita, ut profanum vulgus odit & arcet, ac ruftico quodam impetu incurrentes repellit; ita non fine ceremoniis & religionibus, perque gradus quosdam, hofpites cultoresque fuos admittit, nec fine verborum pompa falutari cupit. Quemadmodum enim, qui potentisfimos Principes adituri funt, primum in veftibulis hærent, fervulos prenfant, proxenetas & pararios circumfpiciunt, omnia fecum verba commentantur: ita & aurum, quod ut omnibus mortalibus ita ipfis Regibus imperat, reverenter nobis habendum, ac omni orationis cultu, omni obfervantia, omnibus verborum ornamentis decorandum fcitote. Eft præterea ipfi auro arcana quædam infita vis, quæ ut animos

mos mortalium mirifice demulcet, & ab ipsis pene sensibus ad sui contemplationem abducit; ita & meam blando illo fulgore mentem sideravit, ut Majoragii premens vestigia, ejusdem simul genio impulsus, ad ejus laudes decantandas convolarem. Quod enim Poetarum dulcissima carmina legentibus accidit, ut numeris illis extra se rapti, eodem plane animorum sensu imbuantur: eadem, quæ illi fingunt, quasi oculis cernere videantur: idem mihi nunc contingere non dissimulabo, cui gemino quasi & Majoragianæ orationis, & ipsius auri, fascino animus excantatus est, ut in auri laudibus efferendis secundas a Majoragio partes sibi tribuat, post uberrimam ejus messem nova hæc spicilegia tentaturus. Quin & ipse (fatebor enim) inter auri amatores nomen meum profiteor, sed qui amore casto, philosophico, innocentissimo in illud impellar, formæ ejus, ut ideæ cujusdam Platonicæ, attentissimus spectator & admirator. Nam ut vel arca conclusum possideam, vel ab ipso possidear, non multum laboro: neque per illam animi ac studiorum meorum integritatem licet, quibus bonæ illa mentis soror, nostri ordinis hominibus cognata, comitari plerumque consvevit. Sive enim Philosophum, sive Oratorem, sive Poetam me vocetis, nullus ad aurum parandum idoneus mihi titulus est. Philosophi enim solo se obtutu oblectant, & in auri, quod nunquam possederunt, contemplatione, ut Argi-

vus ille in navium & mercium, quas ſuas credebat eſſe, ſvavisſimo ſpectaculo acquieſcunt. Oratores vero & Poetæ, illi aurea & aureæ ætatis verba, hi aurea carmina fundunt, ſed quæ auro obryzo non accenſet monetarius, & quibus ſibi minime ſatisfactum fœnerator Alphius exiſtimarit. Nunquam vel fando auditum eſt, in illis montibus, quibus Muſæ habitant, aurifodinas fuiſſe a quoquam indagatas; qui ſterilibus lauri frondibus quidem abundant, ſed inter ſteriles ſuas arenas illud una liquida litera imminutum aurum non pepererunt. Etſi enim inter laurum & aurum magna eſſe affinitas videtur; ita tamen a ſe diſtant, ut illa umbram quidem ſine fructu ſpargat, hoc & lucem largiatur, & in luce omnium ponat. Vos denique ſi reſpicio, Juvenes lectisſimi, neminem e vobis fore arbitror, qui aurum odio Vatiniano proſequatur, aut cum Ariſtippo in mare abjiciendum ut inutilem ſaburram putaverit: etſi forte inter vos non ſunt, illa in ætate, quæ conſulere in longitudinem non ſolet, qui ſciunt,

quid valeat nummus, quem præbeat uſum,

aut qui ſingulis Idibus pecuniam relegunt, ut proximis Kalendis ponant; erunt tamen, ut autumo, qui non quidem præ cæteris amaſiis, ſed inter illas, aut illarum cauſa, bellulam noſtram Chryſidem, aurum innuo, ſibi amandam arbitrentur. Quare vel ſaltem eam ob cauſam auri laudes non inviti audietis, quod carere illo minime posſitis, ſi genio illi, quem

in Pamphilo ſuo Simo, in Æſchino Micio Terentianus deſcripſere, obſequi velitis. Nam qui ad Euclionis ingenium vos accedere crediderit, næ ille gravi vos injuria affecerit, de qua ad Prætorem in jus adire fas eſſet; aut vos, ſi auri nimia vos cupido tangeret, litem æſtimare poſſetis. Adeſte ergo, Juvenes optimi, auresque mihi de auro oranti commodate, qui nunc quidem non ferream vocem aut ora ferrea, ut Poetæ ſolent, ſed aurea illa a Diis popoſcerim, aut χρυσόστομος, id eſt, aurei oris homo eſſe malim, ut ſcitula, politula & plane aurea, quæ Majoragianæ ſimillima ſit, oratione Majoragio quaſi ſecundarius orator accedam. Non celabo vos horribile ſecretum, Auditores, quod mihi Majoragii nomen lynceis intuenti oculis Delius, ut puto, augur, ipſe auri pater, prodidit, nulli vel Chryſippeo acumini poſtponendum. Vertamus illas in voce MAJORAGIUS literas, quales μεταμορφώσεις non poeticas, ſed grammaticas, mirifice amare verſificatores nonnulli ſolent, ac manifeſte deprehendemus, quam in ipſo ejus nomine AURI IMAGO abſcondatur, ſi ultimum e nomine ſibilum dempſeris, qui ab Ennio aliisque vetuſtis Poetis abſorberi nonnunquam ſolet, & neſcio quo ſono ſatyrico exſibilare hominum vitia videtur. Quis ergo nativis adeo coloribus depictam ab illo auri imaginem miretur, cum ipſe oraculo grammatico auri imago, quæ tamen cum cauda illa ſatyrica incedat, ſalutetur,

o-

omnique illa luce omnes hominum ordines tam belle, tam eleganter, inauraverit? Quod ſi ad illam aureæ lucis imaginem adſpirare nos oratione plumbea non poſſumus, ſaltem inſtar cicadæ, quam in aurea Apollinis cythara conſediſſe fabulantur, ſvavisſimos concentus ſtridula voce imitabimur, & vera auri iſta imagine vel plumbeam vel æream orationis noſtræ faciem incruſtabimus. Vos modo id mihi concedite, ut, quemadmodum Hippomenes Atalantæ currenti auro ſparſo moram injecit, ita hoc meo qualicumque auro animos mihi veſtros per horæ ſpatium adjungam: quod quidem non de manu in manus tradetur, ſed ore prolatum auribus veſtris excipietur.

Cum illi,qui dignitatem majeſtatemque rei, quam laudant, verbis extollunt, natales ejus exquirere ſolicitius ſoleant, idem & mihi faciendum animadverto. Qua in re etſi Majoragium præire video, ſegnius tamen ille negligentiusque eo in negotio verſatur, quod nobilitatis tantæ originem non ex iis ſedibus deducat, unde deduci debere, iſtis argumentis, quæ ipſum auri fulgorem ſuperent, declarabo. Hic mihi ipſo orationis limine cum iſtis terræ ac luti progeniem dicere non verentur. Hin tot jejunorum hominum frigidæ declamationes ortæ, qui à ſtudio auri colligendi homines dehortantur, quod illud natura ab humano uſu remotum animis operaq; noſtra indignum eſſe voluerit,cum intra terræ horrendos ſpecus, te-

nebrasque nulli mortalium, nisi insanam vim admoverit, pervias abdiderit. Non desunt, qui ipsi Plutoni ac inferorum regno omnem, quanta per tellurem dispersa jacet, auri vim in patrimonium adscribant, & ab ejus possessione humanum genus qvasi perpetuo interdicto excludant. Id vero plane nefarium ac scelestum facinus est, ad cujus improbitatem nihil addi posse videtur, quod, qui ipsi insano auri amore clanculum exardescunt & cruciantur, perque insidias & technas corradunt, nunquam auro expleti, foris tamen simulata aliqua & versuta tristitia strenuos se auri contemtores jactitant, quod toties pseudothyro intromiserunt: His scilicet rugis, hoc supercilio, hoc importuno vultu, populo imponunt, cum, si palam istum auri amorem profiterentur, ingenuitatis laudem ab omnibus reportarent. Quis ferat Senecam, illum è Stoa, si Diis placet, Philosophum, qui domi ad summam Neronis invidiam auro immersus, tot conviciis innocentissimum aurum insectatur, ipsamque rerum naturam sugillat, quæ non auro majus, quam quod detrahi possit, pondus injecerit? Magnifica & sonora passim sunt illa ejus verba, quibus virtutes in auri dedecus extolluntur, cum & auro suus, suus virtutibus, honos sit, neque ab auro ulla in re virtutes dehonestentur, quædam vero earum sine auri interventu minime exerceri possint. Sed hos malitiæ suæ relinquamus, non verbis sanandos, sed verberi-

ri-

ribus coercendos: ad cæteros illos hominum insipientissimos nostra redit oratio, de quibus merito Satyrici illa pronuncies:

O cæca hominum mentes, o pectora cæca!

quibus ille ab auro fulgor sanctiores illos natales suos ultro non ingerat, nec radiis suis velut exserto digito ostendat. Quis tam tardus, tam expers sensus, tam ab omni mente derelictus est, ut hoc non animadvertat, non intelligentia percipiat, non ipsis pene manibus palpet? Aurum, si nescitis, o deliri homines, non terræ, sed cœli progenies est, quod ego nunc confecturum me promitto: vos modo, quo rem deducum, attendite. Cum universam hanc mundi machinam creaturus summus rerum conditor & gubernator Deus, primum in informem massam, maria, cœlum, terram, astra, omniá, compegerat; singulas dehinc naturas suis sedibus sejunctas explicaturus atque exornaturus, cœlum a terræ spissitudine, lucem a tenebricoso corpore, divisit, quæ per immensos orbes agitata prima illa rotatione in lucidos cœli globos abiit, repetitis deinde vibrationibus, ac continuo ad solida allapsu, puriorem ejus partem in congenerem, nec externa specie sibi dissimilem, formam convertit. Hinc natum est aurum, non illud, quod fornacibus nostris excoctum in fulgidissimam illam massam conflatur, sed longe nobilius ac divinius. Non enim cum illo comparandum aurum est, quod manibus hominum tractatur, quo indi-

gentiam noſtram ſolamur, ex quo nummos cudimus, quod in bracteas diffuſum corporibus ad tenebras illorum illuſtrandas inducitur: quanquam & hoc cœleſtem illam originem ſpecie ſua oſtendat, & auro illo primævo, quaſi parente, gignatur. Varia ſunt auri genera, per gradus ſuos (ut cum Philoſophis loquar) formales diſtincta, de quibus mirabilia nobis narrant veteres Judæorum magiſtri, ſeptem ejus genera conſtituentes. Verum hæc myſteriis affinia ſunt, & ſapientiæ reconditæ pleniſſima, neque ad nos nunc pertinent, qui ad popularem auri uſum tantum reſpicimus, hoc tamen in loco, cum de auri nobilitate disquiritur, minime nobis diſſimulanda. Id ergo vos notare velim, quamprimum lux in hac rudi indigeſtaque mole agitari cœpit, aurum in terra natum eſſe, veram ejus primamque ſobolem, quod in hoc telluris globo externo illo arenarum, lapidum, luti, cortice tegitur, in ſole vero & globis cœleſtibus in ſummam raritatem attenuatum, maſſa tamen congenere, tenace, fluida interſerta, in ſe perpetua gyratione convolvitur. Lux ergo aurum æthereum eſt; aurum lux eſt, ex arcano cœli & terræ conjugio in corpus terreſtre, quod tamen cœleſte eſſe non deſinit, ut ipſis ſideribus terra aliqua cœleſtis ineſt, inſpiſſata. Hanc lucis & auri affinitatem ipſæ ſacræ literæ exprimunt, cum eadem voce, qua aurum ſignificant, cœli quoque ſerenitatem appellent. Nam cum apud Jobum le-

legitur: מצפין זהב יאתה *ab aquilone aurum venit*, nonnulli hoc ita interpretantur; ab aquilone venit aurea lux, id est, serenitas purissima; quia venti aquilonares nubes dispellunt. Nos quidem huic interpretationi litem non movemus, quæ isto sensu mirifice sententiam nostram illustrat, non tamen ignari, alio quoque, nec cuivis obvio, sensu accipi illa posse, qui tamen nobis non adversetur. Id Latini quoque veteres probe intellexere, qui *Auroræ* nomen ab auro esse voluerunt: quod Germanis quoque nostris suboluit, qui *auroram aurum in ore tenere* vulgato proverbio dixere. Nam, ut Varro nos docet, *aurora dicitur ante solis ortum, abeo, quod ab igne solis tum aureo aër aurescit.* Quot verba hic auditis, tot rerum pondera, aut, ut rectius dicam, mysteria sunt, ex intimæ arcanæque Philosophiæ adytis depromta. *Ignem solis* vocat, quem nos singulari quondam Dissertatione in sole demonstravimus, & qui ejusdem cum luce naturæ particeps est, quod vel Hebræi vocibus illis אור & אור declarare voluerunt, quorum illud lucem denotans in apice punctum tenet, hoc quasi in ventre conclusum gerit; quo lucis natura tenuior, ignis vero crassior & inspissata innuatur. Lux enim ignis attenuatus; ignis lux in corpus densata est. Utriusque naturæ particeps aurum est, quod non immerito αἰθόμενον πῦρ, *ignem urentem*, Pindarus vocat, inque ipsis lucere tenebris ait. Ab illa Hebraica voce, sive lucem si-

ve ignem velis, ipsa Latina illa *aurum* descendit, quæ obscuro illo sono, ut hodie Italis vox *oro*, efferebatur. *Ignem* præterea *aureum* nominat, quasi aurum ex igne, & sol ipse ex auro constaret. Neque enim fortassis inepta & absurda sunt præstantissimi Philosophi Honorati Fabri argumenta, qui solis globum ex auro fuso compositum arbitratur. *Aërem* denique ipsum *aurescere* dicit, quo viam ostendit acutulis illis, qui in ipsa aurea aurum venantur, & arcana arte mirabilibusque machinis educere, laborant, ac Promethei instar soli ignem suum, id est aurum, furantur. Quæ si vera sunt, ut vera esse aliqui contendunt, habent, quo solari jacturas suas possint Chymicorum filii, cum aurum suum in fumos & auras extenuarunt: spes enim, quæ agricolas alit, & quemadmodum in extrema Pandoræ pyxide, ita in furnorum fumariis resedit, illis superest, fore, ut aliquando cum amplissimo fœnore ex illa auræ aurifodina ad se rediturum sit. Nam si auræ afflatu equæ gravidæ factæ sunt, forsan & fornaces suas auro per auram imprægnandas non insipienter speraverint.

Intellexistis, opinor, quam late auri nomen pateat, quam se a cœlis ad terram extendat, perque omnia rerum abdita diffundatur. Quod cum sentiant multi, non sine causa, ut scilicet ostendant, quo desiderio potissimum laborent, omnia auro illinunt: nam & arma, palatia, pocula, vasa, libros, clypeos, fercula, insignia,
&

& quid non? tenui auri bractea inducunt, ut, quantum licet, totum hunc orbem, in quo vivunt, habeant aureum, ejusque fulgore tenebras orbis dispellant, & tanquam solis radiis illustrent. Nam illos Suillios aut Stercutios, vel ex Imperatorum numero, qui ventris aut vesicæ onus auro excipere non veriti sunt, ex auri cultorum ordine, ut homines profanos ac sacrilegos, exesse jubebo. Vos tamen vel ex eo animadvertetis, quanta auri dignitas nobilitasque sit, quod omnia sua luce involvat, & quasi imperio suo contineat, ne ipsis quidem Regibus exceptis: qui cum coronas aureas capiti suo imponunt, vel ipso hoc facto se, qui omnibus imperant, auro tamen subjici ostendunt, ut, cum vulgo non nisi Deum & gladium superiorem agnoscere credantur, nunc tamen ipsum aurum, cui sua sæpe imperia debent, superius agnoscant. Interrogate jam ipsos sensus vestros, & cum pleraque in hoc orbe auro tecta & incrustata videtis, vestris cum animis reputate, quam ad ipsam lucis naturam auri majestas accedat. Annon enim miraculo proximum est, adeo sine laceratione sui diduci aurum posse, ut minutissima ejus pars magnam corporis molem tegat, & ingenita sibi luce conspicuum reddat? Interrogate artifices, ac ab illis discite, tertiam grani partem, quo vix tangi minutius aliquid possit, in centum ac triginta quatuor pedum filum tendi posse; quod nemo crederet, nisi experimento

quotidiano jam innotuisset. Hic vero mirabilem illam lucis naturam recognoscite, quæ, ut extra materiæ tarditatem posita longe lateque & quasi in ipso illo nutu diffunditur, ita, materiæ juncta, & cum ipsa concreta, ne nunc quidem naturam suam exuit, sed, quantum, per materiæ lentorem licet, eam secum dispergit, latius etiam sparsura, si humana solertia particularum tenuissimarum vestigia crassioribus instrumentis assequeretur. Nam de mirabili illla per artificium ignis attenuatione, nunc non dicam, qua unum auri, non vulgaris, sed Philosophici, granum pene infinita, aliqua & divina vi fœcundatur, ut vel mille, argenti vivi libris illam auream lucem infundat, quæ sanctioribus Sapientum scholis sunt reservanda. Ubi sunt jam illi amentes, & fatui, qui aurum, ut illi in solem injurii Æthiopes, convitiis proscindunt, & divino consilio intra terræ viscera abditum, ne humanis usibus pateret, nugantur? An ignoratis, o stolidi, sapientissimum Deum ea, quæ præstantissima sunt, in occulto posuisse? ne indignis illa scilicet diriperentur, sed homines labore, suo indagarent: nam, ut vetus verbum est, *Dii vendunt dona sua laboribus*, ut vel *nucleum nemo esse possit, nisi nucem fregerit*. Ergone divina beneficia adeo maligne atque adeo in Dei injuriam interpretabimur, ut, cum illa nobis non, obtrudantur, nos compressis sedeamus manibus, donec sors aliqua vel Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς no-

nobis objecerit, ne videlicet divinæ voluntati homines inepti refragari videamur? Solem è mundo tollunt, qui aurem è commercio hominum, velut alterum ſolem, proſcribunt, neque animadvertunt, omnes, quotquot in hoc orbe vivunt, homines ad auri, tanquam cœleſtis alicujus doni, cuſtodiam quaſi divino conſililo deſtinatos. Ac ſunt ſane illi non tantum in Deum, auri opificem & largitorem, ſed in omnes terrarum dominos, injurii, qui, cum ſuam auro imaginem imprimunt, ejus cultum hominibus commendant, & à ſua majeſtate veneraionem illi conciliant: quam lædere quodammodo dicendi ſunt, qui aurum in dias luminis auras prolatum execrantur. Hos homines, ſi mihi animadvertendi in illos facultas daretur, in carcerem detruderem, & loris cædi juberem, recitato ad ſingula verba aureolo illo Vgilii verſu:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos!

Divos vo? quid hæretis attoniti? Divos, inquam, iſt, nummos aureos, qui Deos ipſos in cœſede, ut poſtea audietis, collocarunt, atqui deo plusquam Divos, Divos inquam, Dorum Imperatorum, Pontificum, Principur Heroum, imaginibus inſignitos, quorum qui etiamnum vivunt, & auro ſuo fruuntur; qui ob præclara merita jamdudum auri patr cœlo ſcilicet, ſunt recepti. De quo dubitare fas eſſet, cum apud graviſſimum au-

to-

torem Plutarchum Gryllus ad Ulyssem dicere non erubuerit, *illum Diis maxime charum esse, qui auro abundaret.* Et quidni esset? cum & aurum ipsum Diis in pretio & honore haberi, noster nos docuerit Majoragius, qui & ipsi *aurei* vocantur. Plerumque enim amare eos solemus, qui eadem nobiscum amant. *Solis filium* illud plerique Philosophorum salutant, ejusque charactere designant. Sappho quoque *filium Jovis* dicere verita non est, de quo nunc eo minus dubitandum videtur, quod aurum fulmina spargere sciamus, unde & *fulminans* dicitur: ut vel eo ipso non degenerem se patris sui filium ostendat, quem ut *tonantis* nomine passim Poëtæ appellant, ita nunc auro quoque nostro hunc titulum, velut cum Jove ipsi communem, concedant necesse est. Ac fuere sæpe, & nunc sunt, qui graviora auri fulmina in familiis, domibus, fortunis eversis, magno suo malo senserunt. Nam quod populos exscindit, urbes evertit, non ferrum aut ignis sulphuratus, sed aurum est. Sed & ipsum Jovem in aureum imbrem mutatum Poetæ tradiderunt, ut in Danaes sinum illaberetur: qui si iterum in aurum liquari velit, omnes, quotquot sunt, Danaæ & Pamphili sinus suos, vestes, vasa, manus, forte etiam ora ipsa, panderent, tam gratum hospitem avidissime excepturi, aut plane devoraturi. Nam cum *Jovis omnia plena* dixit Maro, hujus illi Jovis aurei omnia plena mallent. Novimus & in deliciis fuisse Diis aurea donaria

ria, quorum templa passim auro, non facto tantum, sed & rudi, exornata fuere. Nam ut Diodorus Siculus de Gallorum veterum sacellis & delubris prodidit, multum in illis auri in honorem Deum passim disseminatum jacuit, quod nemo (tanta ejus religio fuit!) ut rem sacram contingere ausus est. Veniant nunc, & non per sacella aurum spargant, sed in aris & in thesauris reponant, vel ipsi Jovi custodi & vindici; tanquam cum Diis ipsis in amore rei divinissimæ certaturi auri amatores eriperent, majori sibi, quam Diis, usui futurum. Crœsum mille lateres aureos ad aram Apollini Delphico exstruendam misisse accepimus: nunc vero vel ipsi Iro, si quid haberet, aurum Crœsi ditissimi eriperent. Adeo amor ille auri cum tempore crevit, adeo aurea ista religio ubique dominatur, ut ego sæpe mirer, cum adeo altis radicibus aurum mentibus hominum insederit, ut vel somniantibus & concumbentibus ejus memoria obversetur, nunc non nasci aliquando homines ungvibus aureis præditos, ut puero dentem aureum in Silesia natum fuisse tradidere. Sed ferreos illos esse oporteret, qualibus gryphes, nisi fallor, armatos nonnulli fabulantur, cum aurei ad rapiendum nec firmi satis nec acuti videantur. Nondum omnia, quæ auri excellentiam vobis demonstrent, enumeravimus. Cœli sobolem, Jovis filium, Diis carum aurum diximus. Majus aliquid & admirabilius audietis. Tanta au-

aurum potentia & divinitate eſt, ut ipſos Deos faciat cœloque ſuo donet. Non enim jam Jovis filius eſt aurum, ut Sappho dixit; ſed Jovis ipſius Deorumque omnium pater, non quidem patratus, ſed patrator. Cum Druſilla, Caji Cæſaris Caligulæ & ſoror & concubina, moreretur, fuit Livius Geminius ſenator, qui in cœlum euntem ſe vidiſſe, interque cæteras Deas majorum gentium conſediſſe, ſacramento aſſeveraret; execratione addita, ſi ſciens falleret, ſe omnes Deos, Deas, & ipſum Druſillæ numen infeſtum & implacabile habiturum. Quid fit? Decernit Senatus, ut ſtaret in Templo Veneris aurea, ut pari religione cum Deum matre coleretur, ut Panthea nominaretur, ut per ejus Numen juraretur. Quid ergo dicetis, Auditores, impuliſſe Livium Geminium, ut hæc jurejurando teſtaretur? quid Senatum, ut crederet? viginti illæ drachmarum myriades, quæ Livio Geminio de publico ſolvebantur: divina ſcililet illa auri potentia effecit, ut à Livio Geminio conſecraretur, & hujus teſtimonio nixus Senatus illam pro Dea veneraretur. Sed ne quis Caji Caligulæ hanc dementiam interpretetur, eadem jam ante in Octaviano Auguſto ἀποθέωσις inſtituta, quem Humerius ſenator ſe in cœlum volantem proſpexiſſe, ac intra penetralia Deorum receptum juravit. Igitur Patres ipſi tanquam Deo templum & flamines decreverunt. Livia vero Humerio pro tam inſigni teſtimonio ducenta & quinquaginta drachmarum millia numeravit. Hæc omnia Romuli qui-

dem

dem exemplo ita acta fuisse certum est: sed hic auri illa majestas intervenit, qua impellente factum est, ut non solum ex auro, sed ipso auro, factos Deos Roma adoraret. Quæ si Hesiodi ætate contigissent, præcipuum ille auro in Theogonia sua locum tribuisset. Quandoquidem ergo, ut vidimus, Auditores, cœlesti origine prodiit aurum: quandoquidem Diis carum, Deosque ipsos facit: cur Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, quos adeo ob auri cupiditatem extollit Majoragius, vitio habeamus, si, quæ sua, quæ cœlestia sunt, curent, ac singulari in aurum amore ferantur? Nam cum aurum amant, lucis se filios esse scilicet ostendunt, cujus progenies aurum est: ad cœlestem Solymam, quæ tota ex auro est, quia ex auro est, toto pectore adspirant, cum jam tum in terris amœnam ejus faciem in auro suo, velut in typo, speculantur, viamque ad illam hoc auro suo duce & phosphoro indagant. Ejus tam præcclari tam nobilis argumenti vim Majoragium non assecutum fuisse miror, qui solicite adeo causam illorum agit, & adversus fatuos illos & ineptos auri contemtores ac sacri ordinis insectatores defendit. Quare, Auditores optimi, nec ipso illo, de quo loquor, auro contra cari, arrigite ad auri adspectum aures, & quemadmodum veteres ad lumen illatum exclamare solebant, χαῖρε φίλον φῶς! ita auro acclamate, basia illi ut dulcissimæ amasiæ figite, nec oculos tantum illa voluptate pascite,

aut

aut extrema linea, ut Comicus loqvitur, amate, ſed ipſis loculis veſtris, ut in thalamo dulciſſimo, recondite & componite, non ſterili illo & infœcundo, ſed unde certisſima felicitatis pignora vobis polliceri posſitis. Nam etſi Paſicompſen aliqvam, & vel Helenam ipſam, in thalamos veſtros intuleritis, ne Salus qvidem ipſa vos ſervaverit, niſi illa Caja veſtra cum Pythagora aureum vobis femur oſtendat, id eſt, ut ego interpretor, aureo latere inopiam veſtram ſuffulciat, &, velut gallina Æſopica, ova vobis qvotidie aurea pariat, vel, ut planius loqvar, aureorum nummorum cumulo obrutos beatos reddat. Hactenus illam auri nobilitatem a cœlo, ab aſtris, a Diis, Auditores, deduximus: nunc ad illa, qvæ nos propius attingunt, ad primum illum terræ incolam Adamum veniemus, &, qvæ ipſi cum auro cognatio ſit, diſpiciemus. Neqve enim cum vulgo exiſtimare debetis, e vili illo luto, qvod pedibus calcamus, nobilisſimum Adami corpus fuiſſe compactum. Terra illa purpurea fuit, illa ſcilicet, qvæ auro natales præbuit, & qvam auri divini nomine efferunt, qvi arcana iſta altius rimantur. De qvo etſi musſitant nonnulla veteres Judæorum magiſtri, qvi, cum gentis ſuæ ſcita & lingvæ ſecreta interpretantur, præ cæteris audiendi ſunt; nunc tamen vel e Chriſtianis ſunt, neqve contemnendæ autoritatis, qvi eorum ſententiæ non ſolum accedant, ſed & rationibus non omnino vanis confir-

firmatum eant. Totum ergo illud corpus, (audite ſingulare myſterium, Auditores) totum, inqvam illud corpus, qvod ex iſtis osſibus, illa carne, illis nervis & febris, iſto ſangvine congeſtum a Deo eſt, cum e nihilo ab illo potuiſſet produci, ex ipſa illa prima auri materia productum eſt. Quod cum è nihilo ab illo potuiſſet produci, ex ipſa prima auri materia productum eſt. Quod cum ita ſe habere illi teſtentur, neqve nos negaturi ſimus; qvis eſt adeo perfrictæ frontis, adeo iniqvus rerum æſtimator, ut illum auri amorem, quod inteſtinum homini & domeſticum eſt, quod ipſis illius fibris, ſangvini, pectori, viſceribus, ingenitum eſt, animo extirpare, ipſique rerum naturæ, atque adeo humano generi, bellum indicere jubeat? Quod ſane qui fecerit, aut ſi quis ipſe adeo averſo ab auro animo fuerit; næ is non genuinam ſe Adami ſobolem, ſed vel à Præadamita aliqvo, aut, qvod potius duxerim, è Deucalionæorum lapidum jactu progenitum ac procreatum ſe oſtenderit. Nam, ut vel ex intermundiis Epicuri, aut ex Lunæ orbe ad nos deſcenderit, aut tanqvam tertius è cœlo Cato ceciderit, minime credibile videatur. Qvare, cum nemo, vel ipſis ſacris litteris teſtibus carnem & ſangvinem ſuum odio habuerit, an nunc demum gentilitium illum auri amorem, qvi cum ſangvine noſtro concrevit, exuemus? an aurum, qvod *ipſum mortalium ſangvinem* Vates Aſcræus eleganter non

S mi-

minus quam vere appellavit, è generis humani consortio, in Deum hominesque injurii, proscribemus? Honestius de nobis, deque toto humano genere sentiendum est, qvam ut in hoc tanto, tam atroci, tam singulari, flagitio deprehendi, ac ipsius naturæ jura subvertere velimus. *Est hæc*, Auditores, ut cum Tullio meo loqvar, *non scripta, sed nata lex; qvam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad qvam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus;* ut cognatum nobis,& qvodammodo parentem nostrum, aurum, certatim amemus, omnibusque honoris, oculis complexu teneamus, & velut in beneficum aliqvod sidus intueamur, Neque tantum hoc naturæ instinctu, sed & majorum exemplo faciamus, qvi qvo propius ab ortu & divina cognatione abfuerunt, eo magis auro addicti fuerunt: ut & tota illa, qva viverent, ætas *aurea* diceretur. De illa pluscula Majoragius è Poetis narravit, eamque, quibus potuit, laudibus extulit. Sed multo sunt majora, qvæ & auri præstantiam arguunt, & hominum, qvi auro suo ad vitæ felicitatem uterentur, singularem sapientiam testantur. Nam cum ea vitæ innocentia essent, ut ad familiarem conversationem Deus ipse admittere non dedignaretur: aurum vero non aliam ob causam, qvam ob excellentiam divinasqve ejus virtutes, amarent: non immerito viri sapientissimi cœlesti, qvod ex auro paratur, phar-

pharmaco vitam à moribus immunem, & ad tot ſecula propagatam, duxiſſe ſuſpicati ſunt. Quæ ſi vera ſunt, ut multi nobis perſvadent, primo, ſi ab humana mente diſceſſeris, loco reponendum aurum, & poſt divina præ cæteris amandum, nobisque in eo colligendo ac cognoſcendo omni tempore, omni conatu & ſpiritu, laborandum eſt.

Multa magnaqve ſunt, qvæ de auri præſtantia diximus, plura etiam dicturi, ſi omnia iſtius generis, quæ copioſe Majoragius diſſeruit, enumerare animus eſſet. Nunc ea tantum elegimus, quæ ille omiſit, & quæ tamen maxime excellunt. Sed cum & illa à ſuperſtitioſis nonnullis argui ſuſpicioſe poſſint, ad unum illud & præcipuum cauſæ noſtræ munimentum accedamus, quo tueri ſe Præſules, Prælati, Archiepiſcopi, & cujuscunqve ordinis Religioſi poſſint, ſi forte à ſanctulis nonnullis impugnentur. Nemo eſt è vobis, qvi ignoret, Salvatori noſtro ſanctiſſimo, cum primum naſceretur, & ingrati illi Judæi oculos animosque ab illo averterent, à Magis ex oriente venientibus, cum dignius illo munus non invenirent, aurum cum thure & myrrha fuiſſe oblatum. Neque illos cum auro ſuo rejectos fuiſſe legimus, ſed inſigne hoc regiæ dignitatis axioma, vel, ut qvidam volunt, divinitatis argumentum, habitum fuit. Nam divinitatem auro ſignificari, interpretes nonnulli volunt, ut, cum in Cantico ſponſo caput ex o-

optimo auro esse dicitur, divinam illo naturam intelligendam arbitrantur. Quare, Auditores, in illo Magorum, qvi rerum divinarum atqve humanarum scientissimi erant, judicio acqviescamus, eoqve loco & numero, qvo illi habuerunt, aurum habeamus; qvod illi qvasi qvoddam divinæ lucis, totiusqve orbis, simulacrum & compendium, rerum omnium Parenti optimo maximo in suæ subjectionis signum, in amoris arrham, in venerationis documentum, qvasi primitias qvasdam exhibuerunt. Nam cum thus & myrrham illi addiderunt, qvæ in fumos dissipari solent, ut cætera hujus orbis vana, caduca, præ illo immortali, solido, firmo, atqve adeo divino, auro innuerent, universi tamen hujus compagem, tum qva fluxum & instabile, tum qva firmum & perenne est, in hoc dono respexerunt, ita ut ad ejus autorem referrentur, ejusqve supremo dominio crederent universa. Deinde cum, sublato in cœlum à gloriosa resurrectione Salvatore nostro, sancta hæc civitas ejus in terris à primis conditioribus conderetur; quid tum factum fuerit, optime, ut puto, meministis. Nam qvi tum in cœtum illum confluxerunt pii homines, agris, domibus, omniqve supellectile vendita, aurum illud, qvod ex eo collegerant, ad Apostolorum pedes, memorabili generosæ charitatis exemplo, deposuerunt. Adeo nec illo tempore sacra sine auro consistere potuerunt, neqve charitatis of-

officia, qvæ & ipſa auri voce notari ſolet, ſine auro exercentur. Utinam his exemplis ſaperent improbi homines, qvi ſacro ordine indignum neqve ſatis honeſtum eſſe arbitrantur, cum in corradendo auro Antiſtites nimis laborant, & qvi eos ob auri copiam apud vulgus in invidiam adducunt, ac avaritiæ iniqviſſima ſuſpicione gravatos acerbiſſime traducunt. Qvid enim? an illos, qvi pingvia victimarum præcipiebant, ut Domino offerent, à pingvedine terræ, qvæ aurum eſt, præcipienda arcebimus? adeone, cum tota terra Domini ſit, omniaqve, qvæ ejus ambitu continentur, miniſtros ejus poſſeſſione excludemus? Qvare gaudete hoc veſtro bono, ô Præſules, macti eſtote hoc præſidio, idqve operam date, ita res veſtras inſtituite, ne vobis hæc auripræ rogativa, qvod vel ex ordinis prærogativa tabis debetur, (& qvis Herculi clavam eriperet? ego vero ineptus ſum, qvi memores moneo) unqvam è manibus extorqveantur.

Reliqvum nunc eſt, Auditores, ut, cum de auri dignitate & excellentia plura quam Majoragius, ac fortaſſe vobis ante inaudita, dixerimus, nunc ejusdem inſiſtentes veſtigiis, de inſigni ejus potentia & utilitate (in qua ille orationis parte ampliſſima ſpatia confecit) quædam illi indicta, nec vulgaria, in medium afferamus. Ac primum vos, tum ſapientiſſimi Regis Salomonis, tum Siracidis judicio præmonitos velim, (libenter enim ſacra oracula conſulo) ne ab auri colligendi ſtudio unquam deſi-

ſtatis. Nam de Salomonis (qui ipſe magnam auri vim ſive maritimis commerciis, ſive arcana quadam ſcientia congeſſit, & illuſtri omnibus exemplo eſt) aureis dictis, ut multa in ſententiam noſtram adduci poſſint, nunc unicum id potiſſimum explicatius proponam, cum ad formicas homines ignavos, inertes, rerum ſuarum incurioſos, ablegat. Quid hoc ad aurum, dicetis, Auditores? Statim hoc faxo intelligatis. Formicarum varia eſſe genera forte audiviſtis, e quibus illæ cæteris præferendæ ſunt, quas in India reperiri Herodotus & Strabo teſtantur: nam & magnitudine & ſapientia minutulas iſtas, qvæ in pulvere ſuo de granulis ſollicitæ ſunt, longe antecedunt. Ac ſane, cum de re aliqva loqvimur, ad ea, qvæ in qvoqve genere optima ſunt, reſpicere ſolemus. Illæ vero formicæ nec grana & ſilvarum minutias, ſed aurum, prudentiſſimo conſilio colligunt, adeoqve, ſingulari naturæ inſtinctu, quid ex uſu hominum ſit, ſuo exemplo docent, merito, ut ego puto, a Salomone in exemplum nobis ponendæ. Et illæ qvidem tantam auri copiam comportare ſolent, ut Indi ſingulari venationis genere illis inſidias ſtruant. Nam ternos camelos ſinguli jungunt, mares a lateribus, qvos frenatos trahunt, feminam in medio, qvam inſcendunt, atque ita ad aurum tendunt, cum ferventiſſimus eſt æſtus: ſiqvidem tum formicæ ſeſe occultant. Ubi ad locum venere, culeis, qvos attulere, completis, ocyſſime

me fugam capeſſunt, tanta pernicitate, ut, niſi viam, ad qvam formicæ congregantur, anticipent Indi, nemo eorum ſit evaſurus. Narratur & apud Suidam Athenenſium cum formicis, aurum cuſtodientibus, de auro pugna, ſed infeliciter tentata. Diſcamus ergo, Auditores, diſcamus vel a formicis, (ſi ipſi non ſapimus) quomodo aurum non congeramus tantum, ſed & pro illo ſervando omnibus viribus pugnemus. Cumque vel brutis animantibus ille ſenſus inſit, ut auri fulgore capiantur, eo magis homines intelligentia præditi ejus amore incendi debemus. Nam & Siracides auro & argento homines conſervari ſapientisſime judicavit. Qvare, ſi ſalvos nos velimus,

hoc opus, hoc ſtudium parvi properemus & ampli,

quomodo aurum, felicitatis noſtræ præſidium, mature colligamus. Seqvamur hoc Siracidis monitum, neque res noſtras tantum, ſed & omnem rempublicam hoc fundamento ſubnixam credamus. Nervus ejus aurum eſt, quo totum hoc corpus regitur. Tolle e nobis nervos, neque movebimur neqve progrediemur, ſtupidi & trunci: vexentur illi noxiis humoribus, ſequentur paralyſes, vertigines, convulſiones, non lateri bene, non ventri erit, neque manus neqve pes officium faciet, ſed omnia concident ac collabaſcent. Aufer aurum e republica, & pacis & belli munia deſtituentur: nudabuntur urbes præſidio, cathedræ docto-

ribus, tribunalia judicibus, cives excident commerciis, omnia affligentur, concutientur, labefactabuntur. Qvare optime intellexerunt, qvantum reipublicæ momentum in auro sit, Imperatores, qvi Fortunæ aureæ simulacrum in larariis suis coluerunt. Ut enim Fortuna aurea fabri opus fuit, ita aurum Fortunæ faber est, & privatæ & publicæ, nec sine illo qvicqvam in republica expediri potest. Aurum est, qvod ipsis Imperatoribus imperat, qvod terrarum dominis dominatur, rectores regit, duces ducit, leges rogat & abrogat, jura ponit, fœdera jungit, animos componit & disjungit. Qvæ qvoties ego attentius considero, toties Homerica illa fabula animo obversatur, qva ille Deos Deasqve omnes, una aurea catena inter cœlum terramque suspensos, nobis depingit. Ad tribunalia ventum est, illud cogitemus, poma esse aurea, quæ Eris, litigantium Dea, spargit, raro litigantium, plerumq; judicum & causidicorum, bono, qvi ex his pomis undique vel detergent qvid, vel abradent, vel exterebrabunt, vel tota, si possint, absument. Ipsa qvoqve, qvæ illis præsidet, Astræa vel ideo bilancem venientibus offert, ut aurum illi imponant, ad cujus gravitatem illa causarum pondera examinentur. Cæcam esse credo, qvod, ut in veteri verbo est, auri splendor strabones vel cæcos facit. Gladio vero illo pro auro suo tanqvam pro aris & focis pugnat. His nunc moribus plerumque in re-

pu-

publica vivi, his artibus omnia dirigi, quis adeo ſtupidus eſt, qui ignoret? Nam, qui e Platonis republica nunc æſtimarit homines, aut ex ejus ingenio refingi velit, ut imminutæ mentis homo rediretur. Quam enim bellum, quam lepidum hoc eſt, cum Plato, homo minime quidem malus, ſed parum catus & ſapiens, Magiſtratus ſuos omni auro & argento vult eſſe vacuos, atqve adeo ab illorum attactu, ne contagione aliqua videlicet inficiantur, ſibi cavere jubet? Et, qvod magis ridiculum eſt, ne ex auro quidem & argento bibere, non tecto recipere, permittit. Qvid ergo fiet miſeris illis Ephoris? An illi, cum aliis jus dicunt, ipſi eſurient? Nimirum poma illis e Tantali hortis apponit. Ait, auro eſſe debere contentos, quod a Diis animis ipſorum infuſum eſt, ne corruptibili illo auro & argento polluantur.

DI te, Plato magne, Deæque
Bellum ob conſilium donent tonſore;

vel, ſi mavis, ſoliſtitio, ut copioſius animo tuo aurum infundatur. Nam qvod tu nobis aurum narras? illud ſcilicet, qvo nemo unctiores caules habuit; nemo focos fulgidiores vidit: illud ſcilicet, quo Stoicorum ſchola ſuperbit, qvi ſolos ſe ſapientes, reges, nobiles, divites, eſſe gloriantur, etiam cum

fundo nummus ſuſpirat in imo.

Ad hanc Platonicam rempublicam relegandus omnino eſſet, ſi nunc viveret, plenus ille ruris Curius, qvi raparum prandia Samnitum auro

præferre veritus non eſt, qvod tamen vel ab ipſis Regibus propemodum adoratur; ut illic in Idearum regno auro Platonico paſcatur, id eſt, ferias eſuriales celebret, & perpetuo raparum deſiderio torqveatur. Nam cum vel pueri, quid æra lupinis diſtent, norint; illum, quid aurum rapis præſtet, omnino ignoraſſe dicent. Sed hos homines triſti ſuæ ſapientiæ relinquamus. Vos vero, o Auditores, ſi ſapitis, felices vocabitis, quos aureo ramo ſuo fatidica illa Sibylla beavit. Aureus ille ramus eſt, quo inferorum portas perrumpimus, qvo cœlos adimus, quo per honorum ſubſellia circumducimur, qvo animos nobis in amoribus conciliamus, quo familiarium fata firmamus, quo fortunas noſtras certa in ſede collocamus; nam, ut tota reſpublica, ita ſingulorum domus, auro fulciuntur. Uxores vobis jungetis? primæ hic auri partes ſunt, primæ in procis, primæ in ſponſis, primæ in maritis. Primum amoris condimentum aurum eſt: primum primæ noctis, raptæ virginitatis (niſi alius raptor anteceſſerit) præmium aurum eſt. Junonem, ſive Pronubam, ſive Cinxiam, ſive Nixiam colatis, Monetæ quoque nomine appellari mementote: quam ne iratam habeatis, omni vobis ſtudio laborandum eſt. Uſque adeo falſus eſt Vates, cum dixit: *Sparge marite nuces*; aurum dicere debuiſſet. Non fruſtra Cupidinis tela aurea finxere Poetæ. Viſebatur apud Theſpienſes Amoris ſimulacrum, cujus alæ auro il-

illitæ fuerunt, ut totum operis artificium illo auro obſcuratum fuiſſe Julianus in oratione ſua ſecunda queratur. Sed ad amoris naturam, ſagaciſſimus ille artifex alluſit, cujus nullæ eſſent alæ, niſi ab auro quaſi acuerentur. Nam etſi per ſe tardigradum ac teſtudineum aurum eſt, mirabili tamen virtute, ut negotiis omnibus, ita amori, alas ſuſpendit, ut, qvo irrepere vix auſis, aquilino volatu expanſisque alis involes, omnibusque ventis ſecundis, omnibus velis & remis feraris. Hæc figurato a me ſermone dici vos opinamini; neque ego inficias ivero. Quid vero dicetis, ſi reapſe illam auro vim ineſſe probavero, ut & ſe aliaque ſibi addita qvaſi qvibusdam alis extollat? Novam ſcilicet volandi artem, per tot ſecula fruſtra, tentatam, novo & inaudito auri magiſterio docebimni, ut jam vobis non humi rependum, ſit amplius, ſed ſublimi ferire ſidera vertice novi Bellerophontes queatis. Qvæ tu nobis ſomnia, qvæ portenta narras, dicetis? Sed qvæſo vos obteſtorqve, Auditores, ut ad illa, qvæ e Jovis diphthera myſteria nonnulli deſcripſere, animum advertatis. Aurum in cœleſtem ac igni ſolari æmulam naturam ſummo artificio redactum ea pollere virtute ajunt, ut perpetuo motu agatur, corporaqve ſibi annexa pro ponderis ratione moveat atqve impellat. Atqve ut eo minus in dubium arcana illa ineffabilia vocetis, ea vobis in memoriam revocate, quæ de Abaridis Philoſophi Scythæ ſagit-

gitta aurea memoriæ prodita accepiſtis. Hanc ille ab Apolline, vel, ut alii malunr, a Pythagora accepit, ea virtute præditam, ut cum ipſe ſagittam jacularetur, ille qvaſi ſagittæ ſuæ appendix, qva illa præiret, ferretur, omnesqve qvos vellet populos ales viator adiret. Qvam ob cauſam αἰθεροβάτης ipſe dictus eſt, & iis, qvas peragravit, regionibus multa oracula fudit, variaqve, qvæ illis evenerunt, prædixit, Hæc vero ſagitta, ſi Hierophantis qvibusdam credere fas eſt, eo ipſo tempore, qvo petaſatus ille & alatus Mercurius arctiſſime Soli junctus fuit, Sagittario ortum ſtringente, & Pegaſo culmen tenente, in Vulcania officinia fabricata fuit. Per me qvidem cuivis ex ingenio ſuo narratis vel demere vel addere fidem licebit; neqve enim cum qvoqvam ideo in arenam deſcendam; id tamen credatis velim, multos vel hodie eſſe Equites tales auratos, qui orbem terrarum omniaqve regna aureis ſagittis circumvolitant, qvibus omnia adyta perrumpunt, omnes ſcopos feriunt, omnia caſtella expugnant, cum nihil omnino ſit, qvod non ſagittis aureis ſuccumbat. Qvis ergo Cupidini, Deorum potentiſſimo, aureas alas recte additas, ut in Theſpienſi illo ſimulacro, negaverit? qvem vel ipſum ſagittis aureis mortalium expugnare pectora Poetæ prodiderunt. Nullum inexpugnabile munimentum fore judicabat Philippus, qvo aſinus auro onuſtus poſſit penetrare; qvæ non Veneris caſtella expu-

pugnent asini, toti, qvanti qvanti sunt, aurei? Si pecora vobis tondenda sunt, illas Ægonis oves, qvæ vix ossibus hærent, mittite, sed, ut aureas Phryxi oves tondeatis, videte: aut, si in capras incideritis, in illas ut incidatis videte, qvæ aureo illo Amaltheæ cornu insignes sunt, unde, tanqvam inexhausto qvodam penore, omne frugum bonorumque genus affatim atqve ubertim suppullulet. Nam ut cornuum illud suspiciosum nomen vos viros constantes ac fortes minimeqve superstitiosos terreat, ne qvidem suspicabor. Vitam vero jucundissimam ac omni voluptatum genere affluentem transigetis, ubi semel vos ille fortunæ aureæ rivus inauraverit, albæ scilicet gallinæ, qvæ ova aurea pariat, non filios, sed maritos. Mature qvoqve reti aureo plusqvam Neroniano piscari discetis, probe ad artem chrematisticam instructi; illam præcipue, qvæ in fœnore aurum collocat, ut

nummorum nummos, & qui nascuntur ab illis,

fœcundo vobis puerperio edat. Quanquam non desint, qvi & ipsos piscatores suos aureos in nassam auream trahant: à qvibus tanqvam à contagiosis hominibus vobis cavendum erit. Mille præterea ditescendi artes sunt, qvas ceu digitos ungvesqve nosse interest. Earum non paucas, præsertim in testamentis captandis, Tiresiæ umbra apud Horatium Ulyssem docuit in libri secundi satyra qvinta, digna profecto,

qvæ

qvæ tota auro ſcribatur, qvamqve auri amatores legant relegantqve ſæpius totamqve omnino perdiſcant & exhauriant. Illud certe celeuſma multorum auribus inſonat:

Rem facias, rem,

Si poſſis, recte; ſi non, qvocunqve modo rem.

Hanc auream ſententiam uncialibus illi literis, non tabulis ſed mentibus inſcriptam circumferunt: hæc noctes diesqve illis obverſatur. Congerite ergo, qvantum poteſtis, aurum: non intercedo, ſi recte: qvin potius hortor & impello, omnem movete lapidem, nummos aureos in vitæ uſum ſeponatis: qvi tota oratione mea nihil aliud ago, qvam ut excitem dormientes, incitem currentes; ſi qvi ſunt, qvi hoc in negotio dormiunt, nec potius, audito auri nomine talaria qværentes, vel Dædaleo remigio, vel Jovis qvadrigis, omni accipitre Pegaſoqve velociores, ad auream hanc metam contendunt. Sed unum eſt, à qvo vos omni dehortari ſtudio velim, qvod

repetens iterumque iterumque monebo:

ne in illum, qui huic aurum corradendi ſtudio comitari ſolet, morbum incidatis, qvem χρυσιασμὸν Græci, *auruginem* Latini & *morbum regium*, in aurei, ut puto, coloris honorem appellant: qui cũ in corpus incidit, ita illud inficit, ut tota facies omniaq; membra auro illita eſſe videantur, & freqventi auri intuitu (qvo & ipſo auri vis firmatur) curari ſolet; ſed in animum ad-

admissus, in χρυσομανίαν cum maximo salutis nostræ periculo degenerat.

Dii talem terris avertite pestem!

Aurum comportat, qvi illo morbo correptus est, per varias artes, licitas, illicitas,

ungve trahit, qvodcunque potest, atque addit acervo,

perpetua ejus fame vel potius βυλιμίᾳ laborans. Non, ut sibi bene sit aut aliis: non, ut cuticulam curet: non, ut in magnificentiæ liberalitatisqve instrumenta convertat; sed ut solo auri adspectu pascatur, & ad hoc metallum damnatus, trabalibus qvasi clavis affixus sedeat, atqve adeo totus illi incumbat. Ideoqve animo inter perpetuam cupidinem & metum suspenso,

congestis undique saccis
Indormit inhians, & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis;
Exanimisque metu vigilat noctesque diesque,
Formidatque malos fures, incendia, servos,
Ne se compilent fugientes.

Libenter enim recito illa Horatiana, *tum qvod elegantissima sint, tum qvod aliqva huic malo medicinia e lepidissimis ejus Satyris peti possit. Qvam misere cum re sacra, qvam misere cum re publica agitur, si vel homines sacri ordinis, vel reipublicæ administros, furor ille invaserit: a quorum ingenio nullum unqvam flagitium aberit, nemini fidorum, cum

in

*e Lib. I. sat. 1. vers. 70.

in se ipsos sint injurii. Domi genium defraudabunt, foris populum; atrum panem ex hesterno jure stomacbo latranti objicient,

Vel cum farrata fumosum sinciput olla;
Durum olus, aut fatuas, fabrorum prandia, betas:

aut omnes illas artes exercebunt, qvas venerabilis illa Societas, quæ a subula nomen habet, *(la famosissima Compagnia della Lesina)* mirabili solertia extudit, ac veluti leges candidatis suis (sordidatis debebam dicere, qvia sordium disciplinam profitentur) præscripsit. Qva in disciplina ita profecerunt nonnulli, ut insigni accessione augere ista amplissimorum Patrum istius Societatis senatus consulta & τεχνήματα possint, vel ipsos Euclíones novas auri cumulandi artes docturi. Qvanqvam plerumqve fieri solet, ut, qvod hac ratione corrasẽrint aurum, Tolosano illi auro simile fiat, & ad alios, qui horum hominum insania fruuntur, possessores perveniat. Vidi aliqvando talium hominum ingenium lepida imagine in vicinæ Civivitatis curia depictum. Inter alia vitia avaritia sub Euclionis tenacissimi senis habitu delineabatur. Nummos ille aureos, qua fieri poterat, rapacitate, uncis manibus, constipare in loculos capacissimos videbatur: qvi tamen omnes pertuso eorum fundo non advertenti excidebant. Cujus picturæ adspectu ita animus meus delectabatur, ut in hos versiculos, qvos vobis recitare non gravabor, subito prorumperet;

Non

Non abes hinc technis armatus & ore protervo,
Euclio, cui nulla est frons, neque sancta fides.
In nummos hiat unca manus: nam colligit aurum
Fœnore, perfidia, litibus, arte, dolis.
Tu, quanquam populus te sibilat, ut tibi plaudis!
Cum male congestas arca flagellat opes.
Sed fœdum est, digito monstrari & dicier: Hic est,
Juris hic humani est institor atque sacri.
Sæpeque ringentem loculis quæ mergitur istis
Postico fugiens præda fefellit herum.
Non sibi grata legunt Hyblææ mella volucres,
Non, Harpyja sibi quod rapit, usque rapit.
Non dape furtiva gaudebit corvus: ab esca,
Quam petis, ipse malum tu tibi, Turde, cacas.

Non male pecuniam serpenti comparat ingeniosissimus Vates, quæ splendida imagine serpentis instar fallens, postquam crumenæ aut manuum calore incaluit, virus in animos hominum effundat. Cujus sententiam ut confirmem, aurum ipsum serpentem esse dico, ex argento scilicet vivo, omnium metallorum matre, natum. Ille ipse Mercurius, ut serpentum insignibus delectatur, ita serpens ipse est, qui terræ pulverem vorat, quo in aurum commutatur. Ejus contactu sublimes hominum animi ita dejiciuntur, ut in serpentes de-

generent, humique repere incipiant. Jam vero, ut in veteri Græcorum proverbio est: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μὴ γεννήσεται δράκων. *Serpens nisi devoret serpentem, nunquam erit draco.* Quot ergo serpentes ex illo genere deglutiendos creditis, ut quis draco fiat, qui thesauris suis incubare possit, & serpentis Epidaurii instar eos perpetuo custodiat & observet? Nam, quod cervæ solent, illos e cavernis suis serpentes aureos, ubi ubi illi delitescant, dulci eorum afflati odore, emunctæ scilicet naris homines, rapaci illo spiritu attractos devorabunt. Nemo tamen hæc a nobis in auri contumeliam dicta existimet, sed in homines ineptos, bono auro male utentes. Nam vel ex ipso auri abusu summa illa dignitas & potentia auri elucet, quæ tanta est, ut solo fulgore animos hominum fascinet, sibique totos subjiciat, & a desperatissimis morbis ad sanitatem pristinam, ac ab ipso orci limine quasi in vitam reducat. Vidi ex illorum, quos modo nominavi, hominum genere aliquem periculoso morbo pene enectum, quem flosculi illi ex Hesperidum hortis, quos rosas nobiles vocare solemus, cum ipsi ostenderentur, mirifice refocillabant, ut animam illam nudulam, vagulam, blandulam, jam in procinctu stantem & fugituram, in vitam revocarent. Non ignotam credo vobis esse historiolam, quam Venusinus ille vates * nobis memoriæ prodidit. Affluebat auro & argento Opimius, qui tamen

Ve-

* *Lib. II. sat. 3. vers. 142.*

Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.
Quondam hic lethargo grandi est oppressus, ut heres
Jam circum loculos & claves lætus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Adnumerandum: hominem sic erigit: addit & illud:
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet heres.

Agnoscite jam mirabilem auri efficaciam, quæ omnium herbarum, verborum, lapidum, virtutes supergrediatur. Quid fit? Exilit bonus ille Opimius profundo illo somno, velut fulmine aut tonitru excitatus, vigilesque in omnes partes oculos circumferens: *Men'*, inquit, *vivo?* corvos sic delusurus hiantes, heredes scilicet suos, qui jam spe bolum hunc devoraverant; nisi stultus, particulæ alicujus de auro amittendæ metu remedia negligens, vitam volens projecisset. Cum enim medicus illum compellaret:

Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti:
Quid cessas? agedum! sume hoc ptisanarium orizæ;

ille statim trepidus quærens:

Quanti emta? parvo. Quanti ergo? octo assibus;

 hanc

hanc tandem in se decretoriam sententiam pronunciat:

Eheu!

Quid refert, morbo, an furtis, peréamne rapinis?

atque ita cum auri suavissimo nomine in tenues auras spiritus ejus discessit, post fata draconis alicujus corpus ingressurus, quo perpetuam thesauro suo custodiam præstet. Huic historiæ adeo similem, ut nec ovum ovo similius esse possit, Janus Nicius Erythræus * consignavit, ubi Hispani alicujus vitam & mores sub *Euclionis Jureconsulti* nomine vivis coloribus depingit; nisi quod in feliciorem catastrophen fabula exiverit. Injuriam facere elegantissimi autoris manibus viderer, si nitidissima ejus verba meis, χρύσεα χαλκείων, commutarem. Quare totam illam, ut calamo ejus expressa est, recitabo: *Hispanus ille* (quem *Euclionem Jurisconsultum* vocat) *juvenis Romam se contulerat, ut ibi negotiaretur; hoc est, ut ex labore studioque, quod ad res aliorum conferret, rem suam strenue augeret. Itaque ut mos est eorum hominum, statim clerici vestem & ornatum accepit, cœpitque nonnullorum suæ nationis commissa sibi negotia studiose diligenterque peragere; verum, ex mercede, quam consequebatur, vix tantulum decerpebat, quod esset ad vitam parce ac duriter agendam satis; sed quantum necessitatibus naturæ detrahebat, tantundem nummorum acervo, quem cumulare instituerat, addebat. Qui acervus cum*

* *Pinacotheca tertia num. XXXII. p. 115.*

cum jam satis ex sententia excrevisset, statuit, advenisse tempus, quo liberalius sumtui genioque esset indulgendum. Itaque famuli unius famulæque operas conduxit, & largius mensas cœpit instruere; ita tamen, ut singulis diebus non amplius quam quinis obolis carnes, & binis olera ac poma, in cœnas ac prandia coëmenda mandaret. At cum sæpe in potentiorum ædes se conferret, ut negotiis sibi commissis operam daret, furtim, & tanqvam per cuniculos, ejus in animum irrepsit ambitio; qvod videret, iis præ cæteris honorem haberi, qvi caudam traherent; quos vulgus Antistites vocat; statuit, parsimoniæ, cui tanqvam uxori, qvo nullum est arctius vinculum, hærebat, nuncium remittere eamque suas sibi res habere jubere; ac novas cum ambitione affinitates societatesqne contrahere. Itaque dedit operam, ut ad eorum numerum adscriberetur, qvos aula Referendarios appellat, qviqve, nisi simul superioris alterius ordinis munere fungantur, nigra tantum veste utuntur. Atqve ut eum, qvem inscenderat, honoris gradum pro dignitate tueretur, rhedam eqvosqve coëmit, & circumpedes qvatuor, qvi se sectarentur, mercede conduxit, ac varia veste ornavit. Usque illi sumtus visi sunt Euclioni neutiqvam graves, donec, amicorum salutationibus & adulantium gratulationibus inflatus, intumuit. At postqvam favor ille, tanqvam flatus, hominem defecit, qvo elatus in altum fuerat; continuo, qvasi de cœlo delapsus, decidit, tanquam in lutum, in memoriam sordium antiqvarum, in quibus olim totis vestigiis hærebat. Itaque in otio, quo sua eum ambitio perduxisset, cum animo reputans

cogitansque, jam sibi hordeum, fœnum, avenam, qvæ eqvos aleret, emendam, circumpedibus qvatuor mercedem, cibum, vestemque præbendam, curandum ut eqvi ungvibus ferro subactum haberent solum, laxiores ædes conducendas, sumtuosius mensam instruendam, aliaqve ejusmodi, quæ omnibus fere horis crumenæ animam interciperent; hæc igitur sedulo in animo versans, ea molestia affectus est, ut ex ægritudine in morbum inciderit. Advocatur medicus: accurrit. At ille, qui naturam & consvetudinem hominis nosset, cui medicinam adhibere debebat, continuo, qvo morbo laboraret, intellexit: atque, Præsul, inquit, reverendissime, gravis hic est morbus, ut video, qvi te invasit; nec longius abes a periculo: quamobrem magnopere tibi laborandum est, ex eo ut convalescas. Ita est, ut loqveris, ait ægrotus: fer igitur opem: eqvidem angor, crucior, differor doloribus, partem mihi viscerum abripi sentio. Medicus, qui ex pulsu, carere eum febri, non ignorabat, risum tenere vix poterat, atque: Bono, inquit, animo es: jam reperisse me arbitror, qvod bonam hujus morbi partem a te dejiciat: missos fac duos ex iis famulis, quos circa te habes: postridie revertar, ut videam, ecqvid præsidii fuerit in hoc pharmaco, qvod tibi propino. Ille, cui nihil tam erat cordi qvam sanitas, non procrastinat, sed statim, ex medici præscripto, duorum hominum sumtu, hoc est, non minima se ægritudinis illius parte, levat. Revertitur medicus; rogat, ut valeat? ut medicamentum illud eum juverit, qvod jusserit sumere? Bene, respondet Euclio, sed non tamen se usqve qvaqve ex sententia valere. Vin' tu, inqvit me-

medicus, huic stulto auscultare, neque medico amplius egere? Loqvere, ait ille; audio lubens; nam nihil est, quod magis misere cupiam. Igitur, subdit medicus, reliqvos duos famulos domo, quantum potes, abige, & mutare coloniam jube: tum auctione facta, equos, rhedam & rhedarium quoque ei, qui licitetur, addicito: atque ad veterem vivendi rationem, multo hac salubriorem, quasi postliminio revertere. At Euclio: O medicum singularem! exclamat, neque jam cum Hippocrate & Galeno comparandum, sed Æsculapio etiam ipsi & Apollini anteferendum! ut ad intima ejus morbi penetralia se intulit! ut rationem, qua illi occurri possit, invenit! Vix biduum intercessit ab hoc sermone, quem cum medico habuit, cum rheda equisque divenditis, & rhedario ac circumpedibus, qui tantum illi morbi creaverant, in malam rem jussis abire, domum vacuam fecit, seque in perpetuum omni molestia dissolvit; atque octo illos annos, quibus deinceps vixit, ita sano fuit corpore, ut sua causa nullus medicus, vel ramento saltem plumbeo, factus sit ditior. Videtis, Auditores, quanta auri potentia sit in animis subjugandis; nam si viles & serviles illi sunt, despotice illis imperat, ut vel in perpetuum carcerem serva illa pecora compingat: si voluptatibus ducuntur, magis effeminatos reddit, illamq; Circes magiam æmulatur, quæ in asinos, porcos, canes, non ficta, sed vera μεταμορφώσει transmutat: ubi in regales animos incidit, regiæ fortunæ participes reddit, seque ipsis atque arbitrio eorum totum permittit. Ite nunc di-

divitiarum contemtores, ite auri maſtiges, & præfricta iſta fronte auri ſummam potentiam negate, quod ad ſanitatem ſæpe reducit homines, quod, ipſis ſui ſtultis poſſeſſoribus ſapientius, ſtultitiam illorum ſæpe redarguit, cum vel modeſtiam & temperantiam animis ingenerat, vel pœnis corrigit, vel ſe ipſum abuſibus hominum ſubducit. Ite nunc, qui figuris imaginibusque nullam eſſe efficaciam contenditis; nam plus illæ Imperatorum, Regum, Principum, imagines auro impreſſæ in animis hominum omnibus in negotiis operantur, quam ipſi illi Principes vivi, armati, loricati, galeati, cataphracti, omni ſua vi omnibusque machinis effecturi ſint, Hæc ſunt illa ſigilla magica, quæ amorem ſvadent, terrorem incutiunt, amicos alliciunt, hoſtes avertunt, ſua rebuspublicis Palladia præſtant. Nolo per omnes hominum ordines orationem circumducere, quod magna eloquentiæ ubertate fecit Majoragius: ſaltem pro noſtri ordinis hominibus pauca loquar, quos ab auro facile ſuperari poſſe ait Majoragius, propoſito eam in rem Alciati exemplo, qui eo vela det, quocunque auri flatus ſpiraverit. Itane vero, Majoragi, tua nunc ipſe vineta cædes? Nam quod de Alciato dicis, ad omnes non pertinet: & tu quidem parcius iſta viris objicienda memineris, quorum latera ille Aſtrææ gladius defendit, nec deerit illis, quo cauſæ ſuæ patrocinentur. De cæteris ridiculum profecto eſt, auro

ſu-

ſuperandos, quibus nemo catapultas & arietes aureos admoturus ſit, & qui in felicitatis parte reputare poſſint, qvod nulla, etiamſi maxime velint, auri per malas artes congerendi ſibi occaſio ſit. Qvare & de me ipſo omnia honeſta polliceor, & pro omnibus, qvos ſubſellia illa occupare videtis, ſponſorem me interpono, qvi, qvantum ex vultibus illorum auguror, facile me indemnem præſtabunt. Illud tamen hic diſſimulare neqveo, ſi viveret nunc Majoragius,

noſtrum fato delatus in ævum,

novos illum mangones & auri aucupes etiam in Muſarum regno deprehenſurum. Eſt enim Sophiſtarum genus, qvi cum Græculis eſurientibus omnia ſe ſcire jactant, in cœlum ipſum, ſi aurum oſtenderis, ituri. Hi omnes diſciplinas & artes, qvantum illarum eſt, qvas vel nunquam vel male didicerunt, ubi a regia via prius juvenes abduxerint, ἐκ Διὸς δέλτων ſe tradituros pollicentur, ut breviſſimo tempore, tanqvam aurea Abaridos ſagitta, per ampliſſima ſcientiarum ſpatia circumducantur. In temporis enim compendio omne lucroſæ artis præſidium eſt, ut breviore circuitu meſſes illæ aureæ in orbem redeant. Sed longe illis ſtultiores juvenes ad obvolutum eſca hamum certatim accurrunt, & ab his Pantominis decipi auroqve ſuo emungi cupiunt, vel novo poſtea auro artem dediſcendi redemturi, vel ſera ac inutili pœnitentia præcipitem ſtultitiam luituri,

ri, aut, si istis scopulis adhæserint, novo postea ignorantiæ præsidio rempublicam beaturi. Verum hos cum magistris discipulos sibi sapere, vel, ut rectius dicam, delirare & libenter miseros esse, jubeamus. Cæterum ab omni ævo duum generum homines eruditi fuere, qvorum aliqvi omnem suam, si qvam habent, sapientiam in qvæstum convertunt, institoribus in republica literaria non dissimiles, qvi vel foro vel aliis hominum necessitatibus operas suas addicunt. Plerique eorum intra illos carceres, qvos rei familiaris amplificandæ & auri congerendi industria illis præscribit, subsistunt, neqve mundi intelligibilis curas ad se pertinere arbitrantur. Sunt alii, qvi vel tenui vel mediocri stipendio, cui tamen multi etiam invideant, conducti, bonæ doctæqve mentis ornamenta unice sectantur; iis teneros juvenum animos imbuunt, vel aliqvid, qvod ad posteros duret, cum valetudinis reiqve familiaris detrimento commentantur. Qvantillum est, si cum cæterorum talentis contuleris, quod illi lucrantur, qvibus liberi sæpe in spem esuritionis educandi sunt. Fuere illa secula, cum oratoribus talenta in mercedem constituerentur; cum statuæ e solido auro ponerentur Gorgiæ Leontino; cum viginti talentis orationem unam venderet Isocrates; cum Sannazario pro sex versiculis sexies mille aurei darentur. Nunc miseri poetæ & oratores, etsi toti aurei sint, aureaque carmina scribant,

non

non nisi aurum Platonicum & poeticum pro præmio reportant, qvod nescio qvomodo volaticum est, neque manibus palpatur, neque loculos, cum ne oculis qvidem apparet, implere potest. Qvanqvam & sæpe plumbeos, vel potius luteos, versiculos nummis aureis à magnatibus honoratos viderim, qvibus Catullus illud suum:

O seclum insipiens & inficetum!

merito acclamaret. Adeo omnis illa Poetarum fortuna non aurea, sed vel plumbea, vel vitrea est, qvæ vel pedibus conculcetur, vel inani fragilique splendore refulgens aureos illos Phœbi radios, ne in aurum densius constipentur, vel transmittat, vel reflectat. Vivebat superiori seculo, cum literæ primum e longo illo veterno excitarentur, ab orco quasi in vitam revocatæ, Franciscus Philelphus, vir doctus, non exiguam e literis elegantioribus famam consecutus, ut & Equitis aurati & Poetæ laureati titulos reportarit, non Martius tantum, sed & Pegasius Apollinis eques; qvem eqvestribus titulis ornari, summum hodie scelus esset & immanis injuria. Sed bono illi Eqviti tota pedestris fortuna fuit, & qvæ præterea misere claudicaret. Adeo enim auratus ille omni auro caruit, ut post obitum, nisi omni illa tenui supellectile culinaria prius vendita, non esset, qvo terra conderetur. Qvare ex isto celebratissimorum vatum numero svavissimus ille Joannes Secundus in illa Pecuniæ regia, qvam aliqvando in so-

ſomniis vidit, graphiceqve deſcripſit, Poeta & ipſe præſtantiſſimus, unum tantum alterumque Vatem in iſto comitatu vidit; ſed qvi, ut ait,

longe prius abjecere Poetæ
Sqvalentem vafri faciem, crinesque tiara
Laurigeros vel Puniceo texere galero,
Mentitaque Deum taciti ſub imagine fallunt.

Nihil ergo reliqvum eſt, qvam ut cum ipſo in juſtiſſimas has querelas erumpamus:

O Vatum gens infelix, fruſtraque profani
Contemtrix populi, fruſtra nutrita ſub antris
Pieriis, fruſtra choreis admiſſa Dearum,
Lucrorum roſeis in vallibus antiquorum;
Si vobis infeſta manet Dea maxima, cujus
Concuſſus ſceptro terræ tremit orbis, & omnis
Regia turbatæ mugit procul Amphitrites.

Fugit neſcio quomodo aurum philoſophorum & poetarum conſortium; amplexibus ſe illorum ſubtrahit, quibus tamen nemo innocentius aurum tractat; fugit illud migratque

illuc, unde negant redire quicquam,

ſcilicet in Euclionum arcas, in æruſcatorum, in piratarum & nundinatorum forenſium loculos. Nunc qvoqve ipſo illo momento dulciſſima illa AURI IMAGO, qvæ tota hac oratione oculis animoque obverſabatur, ſive illam Majoragii mihi manes immiſerint, ſive alicunde è civitate Solis ad nos advolarit,

Prenſantem neqvicqvam umbras & multa volentem

Di-

Dicere deseruit, tenuesque recessit in auras,
Par levibus ventis volucrique simillima vento.

Qvandoqvidem ergo omnes illi dicentis spiritus obtorpuere, quid nunc restat, quam ut omnem hunc de auri laudibus sermonem abrumpam? Quod faciam, si prius vos, Patres Civesque Academici, mea, quæ ad exitum tendit, oratione compellavero. Vos quidem, Patres conscripti, eo loco non estis, ut montes aureos vel talenta cumulare qveatis; sed mediocri fortuna contenti, sapientiam, qua divinam, qua humanam, quæ omni auro potior est, profitemini. Hujus si mercedem dignam exspectatis, fallimini: nam illa inæstimabilis est; si laboris vestri solatium, habetis Principis optimi liberalitate, qvo vitæ necessitates sustentetis. Et fuerint forte nonnulli, qui, si sibi regnum daretur, vos illo, quod mentibus vestris insitum est, auro cum Platone contentos esse jusserint; hos sibi sapere, sibi rapere permittite, de illorum vel aurugine vel ærugine securi. Sint multi, statuæ illi apud Danielem non absimiles, qui cœlo capita alta & aurea ferentes, æratum pectus habeant, ferreos pedes, quibus omnia, luto voluptatum immersi, conculcent. Sint sæpe plumbei homines, plumbeis meritis, qui auro, qui beneficiis obruantur. Vos in virtute vestra, in recte factorum conscientia, & in incorrupto orbis eruditi & posterorum judicio confidite, qui bene meritis præmia, mortuis immortalitatem

non

non denegabunt. Vos vero, ô Juvenes, quorum animi in illa Promethei officina nunc primum excoqvuntur, videte, ne lingva tantum aurei ſitis,

introrſum turpes ſpecioſi pelle decora;

ſed qvomodo animos, quomodo mores aureos habeatis, diſcite, ut perfectam illam elementorum contemperationem, quam in auro prædicant Philoſophi, exprimatis, ut nihil in vobis ſubæratum ſit, ut denique totos vos aureos exhibeatis. Varia enim ingeniorum natura & indoles eſt: ſunt ærea, ferrea, plumbea, ſunt denique vitrea, quæ non niſi ſplendore & tinnitu, id eſt; inani fama & loquacitate levibus ingeniis æſtimantur. Vos vero, ut ad auri naturam accedatis, operam date; cujus vel ipſum Germanicum nomen vobis ad virtutis viam facem accendit. Ex illo ſi una abſit liquida litera, bonitatem vobis illud, imo ipſum DEI nomen ſpectandum exhibet. Liquida vero litera, voci huic immerſa, charitatem illam in vobis excitabit, qua aurum hoc in egenos diffluat, ut & coram hominibus lux illa aurea luceat, atque adeo ipſi Deo ad ſacrificium præbeatur. Ipſa quoque auri natura & indoles aurem vobis pervellit: cujus cum exigua pars in ampliſſima ſpatia diſtenditur, vos, ut virtus veſtra ſe totam ad alienas utilitates porrigat & explicet, admonere videtur. Qvare, ex ſanctiſſimi Salvatoris præcepto, vel cum injuſto Mammone amicitia vobis contrahenda

da est, ut piorum hominum necessitates vestrarum opum ubertate fulciantur. Qvod nisi feceritis, vereor, ne in illum locum perveniatis, ubi auro illo potabili, quo Crassus a Parthis exceptus fuit, excipiamini. Qvod si divini præcepti nostræque doctrinæ memores aliquam etiam auri partem in Dei gloriam erogabitis, in miseros fratres derivabitis; cœlestis illa Civitas, quæ tota auro strata, aureis mœnibus cincta, ædibus aureis exstructa, vos, hic in terris justos auri possessores, illic perpetuos aureæ sedis inqvilinos exspectabit.

M. ANTONII MAJORAGII

PHILOCHRYSUS

SIVE

DE LAUDIBUS AURI

ORATIO

Qua omnis generis hominum, præcipue Ecclesiasticorum, vitia salse traducuntur.

Inter ἀνέκδοτα Autoris Mediolani reperta, & Ultrajecti ANNO cIɔ Iɔc LXVI primum edita,

nunc recusa,

cum præfatione

D. G. M.

SUIS IN ELOQUENTIA AUDITORIBUS

S. P. D.

DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS.

Quam optimus dicendi magiſter Ariſtoteles enthymematum doctrinam tradidit, eam compendio quodam vobis, Auditores optimi, me propoſuiſſe meminiſtis. Nemo illi in hoc doctrinæ genere præferendus eſt: neque alium ſibi in hac via ducem elegit Tullius, qui omnium ſapientum judicia omne eloquentiæ regnum occupavit. Nam Ariſtotelicum & Iſocrateum aliquid, ſpretis vulgaribus præceptionibus, in Oratore ſuo ſe expreſſiſſe ipſe gloriatur. Quare, qui hos Duumviros, Ariſtotelem & Tullium, illum in præceptis, hunc in exemplis & præceptis, ſibi non proponit, næ ille, quid ſit eloquentia, omnino ignorat. Utriusque præcepta commentariis ita ornavit præſtantiſſimus vir, M. Antonius Majoragius, *ut nova perfudiſſe luce videatur. Quid enim ejus in libros Rhetoricorum Ariſtotelis, in Oratorem Tullii, commentariis plenius & perfectius, quid politius eſt? Quorum vix memoria hodie in Rhetorum ſcholis ſupereſt, non fontes hos nitidiſſimos, ſed putidas novorum hominum lacunas, conſectantium. Erat vero Majoragius accerrimo vir & divino ingenio,*

non ad docendum tantum comparatus, sed & in dicendo ita promptus, ut suæ ætatis oratores præcipue τῷ ἐνθυμηματικῷ superaret. Extant præclara ingenii ejus monumenta, & in brevi isto vitæ spatio (nam quadragesimum ætatis annum vix implevit) adeo numerosa, ut ipsum annorum numerum excedant, si in lucem edantur, quæ in doctorum Virorum bibliothecis delitescunt. Pauca enim illa, quæ typis divulgata sunt, præter orationes nemini incognitas, vix ab oblivione vindicantur. Sed & orationibus ipsis desunt nonnullæ, certo, ut autumo, consilio omissæ. In his est aurea plane de laudibus Auri *oratio, quæ* Philochrysus *ab ipso inscribitur, adeo lepida, adeo salsa, ut nihil elegantius, nihil in hominum mores acrius, scribi posset. Sub auri enim laude ipsos Pontifices, purpuratos Patres, & Religiosorum ordines, non oblique tantum pungit, sed & stricto gladio aggreditur. Unde facile subolet, qua de causa vel ab ipso Autore vel aliis suppressa sit; ne videlicet vel in molestias se conjicerent, vel perniciem capiti suo arcesserent. Hinc factum esse existimo, ut Catalogo operum Majoragianorum, qui commentario in libros Rhetoricorum Aristotelis præmittitur, in postrema editione expungeretur hæc oratio, cujus tamen in Catalogo prioris editionis mentio facta fuerat. Eruit illam e schedis Autoris diligentissimus talium deliciarum indagator, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις,* Marquardus Gudius, *cujus e bibliotheca illa Ultrajecti Anno M DC LXVI prodiit, ista tamen exemplorum paucitate, ut frustra nunc in officinis quærantur. Quoniam vero, ut in veteri verbo est, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, ne miremi-*

mini aurum, quod inter τὰ καλὰ principatum tenet, ejusque laudes, iterum à me produci. Illam ego orationem nostræ, ut puto, ætati nostrisque moribus convenientissimam, vestro, Auditores optimi, nomini inscribo, ut encomiasticæ orationis, in re omnium votis desiderata, insignem hunc typum habeatis: cujus ego artificium lectionibus publicis ostendam. Quod cum facturum me promitto, neminem e vobis fore arbitror, qui non aureis illis promissis excitetur. Quis enim non ad auri nomen aures arrigat Pamphilus? quas non sine causa patentissimas Midæ affinxerunt Poetæ; quod non solum auri tactu manus, adspectu oculi, sed & aures svavi hoc nomine saturentur; aliquid certe auro affine, vel ipso vocis sono, acutioribus Grammaticis habere videantur. Saltem imbrem verborum aureo auribus vestris influet hæc oratio; cum ipsum aurum, simulac in manus deponitur, aut è longinquo ostenditur, mirifice animis hominum irrepat, & omnium enthymematum fulmina & pondera fulgore suo antevertat. Nam si gemmæ & metalla quibusdam Naturæ consultis per solam irradiationem vim suam in corpora exercere creduntur: cur non eandem auro in expugnandis animis vim inesse credamus, ut mirabili illa luce mentes nostras fascinet & constringat? Multa auro licent, in seculo præsertim hoc ferreo, in quo & ferreæ frontes & ærata pectora aureis manibus facile succumbunt. Omnia enim ad se sacro quodam magnetismo rapit aurum, ut nulli unci nulli harpagones fortius trahant, & illa Jovis aurea catena omnis Civitatis sphæra convolvi videatur. Quare non sine causa in hymnis suis ἁπάντων κοί-

ἔργον ἀνδρῶν *aurum vocavit Orpheus, & divinus ille Plato in animorum fabrica potiorem auro locum tribuit, ut vel ideo ob cognationem radiis auri mentes nostræ quasi in occursum ferantur. Lux enim auro concreta esse videtur, quæ per hunc orbem, atque adeo mentes nostras, radiis dispergitur. Sunt qui solis ipsum corpus, vel ex auro fuso, vel nobiliore Chemicorum tinctum, constare arbitrantur. Qui si aliquid è vero vident, ac calor solis per orbem terrarum sparsus ad viscera etiam nostra penetrat; quis neget jam illius amorem ab ipsa natum inspirari, & aurum jam non amplius per translationem sangvinem mortalium, sed ipsum sangvinem verum aurum vocandum? cum & sangvis ab auri colore non multum discedat, sed purpura tincturæ aureæ æmula, ipsum aurum antecedat. Non dicam nunc de iis, qui omni auræ inesse aurum nescio quibus argumentis persvadere laborant, ut jam minime illa in aëre piscatio inter stulta opera referenda sit, nosque, cum aura vescimur, ut Poëtæ loqui solent, ipso vesci auro videamur. Sed nos ad Majoragium nostrum redimus, ne in messem ejus auream falces nostras mittamus, qui jure quodam suo aures nostras oculosque sibi postulat. Nusquam mihi elegantior ille, quam in laude* luti & auri *visus est. Illa inter editas ejus orationes comparet: hæc à me nunc luci redditur. Ac sane geminarum rerum laude quodammodo philosophari mihi visus est noster, qui universam rerum naturam, quatenus mistioni illa subjacet, à primis rudimentis ad extremum ejus complementum complectitur. Nam*

&

& à congenere sibi luto aurum in naturam illam compingitur, ut nos docent, qui arcana hæc profundiore ingenio rimantur. Ille vero non in luto suo minus quam in auro aureus est. Quanquam erunt fortassis, qui auro, utut rudi, gravari, quam luto, utut erudito, conspergi malint. Sed tamen & hoc lutosi arum habet, ut & os multis oblinat, & multorum animis luto ac pice ipsa tenacius adhæreat. Quod ne vobis contingat, etiam hac oratione cavebitur, quæ salibus suis & aqua quasi chrysulca facile, quæ adhæserint, sordes eluet, & innocentius vobis auri desiderium instillabit. Valete. Dab. è Museo meo, sub finem feriarum Canicularium Anno cIↄ Iↄc xc.

M. ANTONII MAJORAGII PHILOCHRYSUS, SIVE DE AURI LAUDIBUS ORATIO.

SI quid unquam, Proceres, in dicendo amplissimum, ſummaque attentione digniſſimum, vobis audiendum eſſe cenſuiſtis, nunc adeſte animis & favete lingvis, omnemque animi, ſi quam habetis, moleſtiam deponite, ut hanc, inauditam quidem antehac & inuſitatam, ſed ut ſpero jucundam, orationem meam audientes, mentes veſtras mecum pariter exhilaretis. Non enim aut ex Philoſophorum disputationibus res aliquas ſeveras, tetricas, & horridas, quales poſt diuturnas animi trutinationes palleſcentes eructare Stoicos decet .ut ex Jurisconſultorum litigioſis & controverſiarum plenis commentariis, ſomnium aliquod vobis exponendum aſſerimus; ſed ex omnium fere nobiliſſimorum ac veſtri ſimilium hominum opinione ac ſententia depromtam orationem, quæ tanta vos oblectatione jucunditateque repleat, ut, quæcunque dixero, plane aurea fuiſſe judicetis. Nam quo potiſſimum alio nomine, quæ mihi de auro dicenda ſunt, ſignificantius appellem, profecto non invenio. Jam video Proceres, ex vobis plurimos ad auri nomen erectos & attentos, ad hi-

hilaritatem vultu composito conticescere, & avide, si quid vobis aureum afferam, expectare. Verum ne fortasse spes, quæ plerosque mortales ludificari solet, vos etiam fallat, bene intelligite quid pollicear: non enim dixi me vobis huc aurum attulisse, sed ejus eximias ac prope divinas laudes velle commemorare. Quæ tametsi vobis ita notæ sint, ut nihil unquam melius edidicisse videamini, tamen, quia nunquam publice (quod sciam) aurum fuit in concione laudatum, hac insolita dicendi ratione credo vos ita relaxaturos atque recreaturos animos vestros, ut nulla unquam vobis oratio svavior aut jucundior fuisse videatur. In qua primum illud a vobis, Proceres, deprecabor, ut, quoniam vos frequentissimos ad hanc concionem meam concurrisse video, nemo vestrum aut obstrepat, aut discedat, priusquam hujus institutæ orationis finem audierit. Non enim dubito, quin, si vestros animos diligenter adverteritis, non tantum quæ primo loco dixero, sed etiam quæ postremo, vobis & gratissima sint futura, & maxima vos admiratione repletura. Ac mihi quidem, cum ad auri præstantiam & amplitudinem mentem refero, parum abest quin hoc tantum oneris, quod suscepi pene viribus meis impar, veniat in mentem deponere; cum autem ad humanitatem & modestiam vestram oculorum aciem reflecto, quæ tanta est, ut, si quid etiam fortasse minus oratione dignum effudero, facile ignoscat, iterum

me ipſum colligo, vobisque me injurium eſſe judico, ſi tam dignam auribus veſtris orationem, & rei tam præclaræ laudes, prætermittere animum induxerim. Sic enim exiſtimare debetis, non me vobis rem aliquam cæteris ſimilem, ſed toto genere longe præſtantem, exornandam huc attuliſſe, qva nulla unquam, neque major, neque amplior, neque magis ab omnibus omnium ordinum hominibus expetenda fuerit. Quid enim auro præclarius? quid utilius? quid pulchrius? quid amabilius dici aut excogitari poteſt? Verum, ut inde oratio mea proficiſcatar, unde principium aurum habuiſſe compertum eſt, de prima ejus origine mihi primo dicendum eſſe exiſtimo, quod dum facio, quæſo vos, ut hactenus feciſtis, diligenter attendite.

Rerum omnium procreator atque rector & gubernator Deus, cum Divinæ mentis capacem hominem initio mundi fabricaſſet, ne ſine duce, forte paſſim belluarum more vagaretut, & nullam cum genere ſuo ſocietatem, nulla commercia, nullos contractus haberet, rem etiam multo diviniorem, quæ animum atque mentem hominis regeret, & quocunque opus eſſet impelleret, invenire voluit. Itaque ex puriſſimis aquæ, & terræ, parentis omnium, medullis aurum, fulgentiſſima atque exoptatiſſima ſpecie, ſicuti noſtis omnes, conformavit. Quod quanto ex puriori atque nobiliori materia quam cætera conflatum eſt, tanto etiam re-

li-

liquis omnibus, quæ procreata sunt, excellentius, ut paulo post intelligetis, atque divinius est. Videbat enim omnia prævidens atque præsentiens Deus, nisi morralium mentibus aurum tanquam aurigam dedisset, quod eas quasi freno cupiditatis coerceret, futurum, ut a recto tramite aberrantes, non aliter atque indomiti ac præferoces equi, non tantum in genus suum, sed etiam in auctorem & parentem insurgerent. Quod quamvis ab immortali Deo tempestive provisum sit, terrigenas tamen Gigantes accepimus tam immane scelus tentare non exhorruisse, ut aurum, tam præclarum & tam admirabile Deorum munus, aspernati in ipsum Deum ferocitatem suam converterent, atque illum de cœlo atque de sede sua deturbare conarentur. Sed postquam divum pater atque hominum rex ob insanos illorum tumultus horrenda fulmina jaculari coactus est, tanto dignas scelere pœnas pependerunt. Namque alius sub Inarime Campana, alius sub Ætna Siciliensi defossus jacet. Qui si auri nobilitati contenti novas res moliri non aggressi fuissent, illius ætatis aureæ, quæ paulo ante præcesserat, participes esse potuissent. Nam post aurum procreatum Deus optimus maximus humanum genus, quod ipse formarat, ab incommodis omnibus, quantum in se fuit, incolume conservare voluit. Quam rem cum aurum facillime præstare posse intelligeret, maximam auri copiam illius ætatis hominibus liberalissime con-

ceſſit. Itaque felix illud atque beatum ſeculum, quod primum omnium a Deo conditum fuit, ab auro deduxiſſe nomen accepimus, ætatemque illam primam, ſingulare eximiaque felicitate conſpicuam, id quod omnibus fere notum eſt, *auream* fuiſſe nuncupatum. Cujus quidem ætatis laudes cum omnem dicendi facultatem exſuperent, & cum nemo fere ſit tam rerum ignarus, qui non earum partem aliquam vel ipſe legerit, vel alios narrantes audiverit, non eſt animus ſtudioſe perſequi: quoniam ad ipſius auri laudes enumerandas mea feſtinat oratio; tametſi quicquid de illa feliciſſima ætate dici poteſt, id totum ad auri laudem pertinere videatur, cum totius ejus felicitatis atque beatitudinis aurum fuiſſe cauſam nemini dubium eſſe poſſit. Itaque facere non poſſum, quin aliqua ſaltem quaſi per transennam ab aliis commemorata de illa ætate recenſeam. Sic enim Poeta noſter ingenioſiſſimus in primo Transformationum libro de illa ſuaviter cecinit:

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant, nec verba minantia fixo
Ægre ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui, ſed erant ſine judice tuti.

Et quæ multa divinitus ab eodem Poeta ſunt ibidem decantata. Sed forte melius Heſiodus, quem hic noſter imitatus eſt: cujus verba liben-

bentiſſime recitarem, niſi ſcirem, multos ex vobis non libenter Græcari ſolere, niſi forte in conviviis. Quamvis autem transmarinam illam: Venerem Latinis auribus reddere difficile ſit, tamen ut ab omnibus intelligatur Heſiodi ſententia, dabo operam, Proceres, ut ſaltem craſſius & clarius eam interpreter. Sic autem commode reddi poſſe videtur:

In primis genus humanum, cui nomen ab auro
Formarunt Divi cœleſtia tecta colentes.
Quippe homines illi, Saturno rege, fuerunt
Ut divi, queis nulla animum mala cura premebat.
Non gravis ærumna, aut illos moroſa ſenectus
Aut labor urgebat: ſimiles plantæque manusque
Semper, & addebant alacri convivia menſæ.
Expertesque mali ſoliti decedere vita,
Ac velut a ſomno domiti, illis optima quæque
Semper erant.

Quantum igitur ætas illa aurea felicitatis habuerit, ex his verſibus intelligere facile poteſtis, Proceres, cum audiatis ejus temporis homines toto vitæ ſuæ curriculo non, ut nos, in plurimis miſeriis & calamitatibus, ſed tanquam Deos immortales vitam omnem ſuam in ſumma animi traquillitate degere ſolitos, ac non ſolum nulla rerum neceſſariarum oppreſſos penuria, verum etiam in maxima rerum omnium copia atque abundantia fuiſſe, nullam unquam curam, nullum laborem, nullas

las ærumnas, nullam denique senectutem, pertulisse: quicquid gaudii lætitiæque dici aut excogitari potest, illis semper adfuisse, & cum hac tam felici tamque beata vita longo tempore floruissent, dulci tandem ac svavi somno domitos vitæ suæ diem solitos fuisse claudere. Quid illa felicitate beatius, quam nulla unquam tristitia diminuit? quid fortunatius, quam ne mortem quidem sentire venientem, omnium ordinum mortalibus fato destinatam? O fortunatos nimium homines, si bona sua cognovissent! Nam posteaquam auro non contenti, quasi majorem possent efficere felicitatem suam, argentum & æs & ferrum effodere cœperunt, heu calamitosam ac miseram sortem! ab illa tanta beatitudine deciderunt. Itaque propter insanos hominum conatus & insatiabilem cupiditatem effectum est, ut ætatum & conditiones & nomina semper in pejus ruerent, ac retro sublapsa referrentur: nam post illam prorsus felicem ac beatam, de qua diximus, *auream* ætatem, multo æstimatione & fortuna minor *argentea*, deinde hac etiam deterior *ænea*, postremo omnium pessima *ferrea* subsecuta est. Quæ quantis malorum fluctibus abundet, cum omnes intelligatis, quid me opus est commemorare? cum præsertim hanc orationem meam, ut initio pollicitus sum, non tristem aut severam, sed amœnam ac jucundam, esse velim. Sed cum hujus ferreæ ætatis homines maximas & gravissimas longo tem-

po-

pore calamitates experti fuiſſent, tandem errorem ſuum agnoſcentes totis viribus in priſtinam illam atque auream ætatem remigare conati ſunt. Hinc adeo factum eſt, ut pueri, juvenesque, ſenesque, & omnes denique cujuslibet ordinis homines, omni ſtudio, cura, diligentia, toto corpore, atque omnibus (ut ajunt) ungviculis, quantum poſſunt auri congerere ſtudeant. Exiſtimant enim futurum, ut, ſi labore atque induſtria ſua maximam auri vim compararint, in priſtinam illam ætatis aureæ beatitudinem aliquando revertantur. Sed ſero, dicitur, Cumani ſentiunt, & Phryges ſapiunt. Rara eſt enim eorum felicitas, qui ſibi tantum auri comparare poſſint, ut ad ejus ætatis conditionem proxime videantur accedere. Sed ut omnibus, qui præſtantiſſimum hoc, ſive Deorum immortalium ſive parentis omnium naturæ, munus omni ſtudio ſibi quærendum eſſe arbitrantur, oſtendam, quam divinam, quamque rebus aliis omnibus anteponendam, rem expetant, paulo diffuſius auri laudes explicare conſtitui. Nam optima quidem res aqua eſt, ſed aurum, ut ſplendidus ignis nocturno tempore, magnificis longe divitiis claritate præcellit. Hæc eſt ſapientiſſimi Poetæ Pindari divina ſententia, qua nobiliſſimas illas cantiones ſuas exordiri voluit, omnibus, ita me aurum bene amet, & muris & parietibus inſcribenda. Quid enim auro divinius eſſe poteſt? Hoc vix dum nati pueri tracta-

re

re gestiunt, hoc incipiunt adolescentes admirari, hoc juvenes unum quam fieri potest avidissime congerunt; ipsi vero longo rerum usu periti senes hujus studiosissimi sunt, & omni cura atque diligentia custodiunt; hoc nunquam, nisi maxima coacti necessitate, manibus suis elabi sinunt. Ex quo profecto facillime intelligi potest, quanta sit auri præstantia: cum seniores homines, qui longæ ætatis beneficio rerum fere omnium naturam præclare intelligere potuerunt, hoc unum ex omnibus elegerint, quod ament, quod colant, quod observent, quod denique omni diligentia sibi custodiendum existiment. Quod cum faciunt, meo quidem judicio, sibi ac rationibus suis optime consulunt. Nam quanto ad acquirendas opes ætas illa senilis infirmior est, tanto justius est, eos, qui senio confecti sunt, ad aurum conservandum in usus vitæ necessarios majorem curam adhibere.

Sed jam diligentius & accuratius de singularibus auri laudibus sigillatim edisseramus. Primum igitur mihi videtur de ejus nobilitate, deinde de potestate, tum de felicitate, quam affert hominibus, esse dicendum. Tanta est enim ejus nobilitas & excellentia, ut quædam mihi maxima dicendi facultas, quæ solet iis adesse omnibus, qui in alicujus rei exornatione versantur, exepta esse videatur. Omnes enim qui rem aliquam egregiam laudare contendunt, unam aliam, aut parem aut non ita multo

to minorem, inveniunt, quam cum ea quam exornant conferentes oſtendant, quanta ſit inter eas differentia. Qua certe rerum collatione maxime creſcit & effloreſcit oratio. Nam ut purpura, quod ajunt, juxta purpuram optime dijudicari ſolet, & ex unius purpuræ collatæ vitio virtus alterius clarius eniteſcit: ſic in omnibus rebus ex ſimilium comparatione, quid in aliqua potiſſimum excellat, facile dignoſcitur. Sed quid ex omnibus ego, quod cum auro conferri poſſit, inveniam? Quid eſt, in omni rerum univerſitate, tam eximium, aut tam admirabile, quod, ſi cum auro comparetur, non ſtatim vel deterrimum eſſe videatur? Ponite ante oculos ignem aquam, quibus omnium animantium vita maxime continetur, quis non confeſtim judicet, aurum eſſe longe præſtantius & excellentius? hæc tamen illa duo ſunt elementa, quibus omnia, quæ vivunt, acceptam vitam referre debent; quibus præter aurum nihil magis eſt neceſſarium. Unde quidam non inſcite vulgatum illud proverbium ita pronunciare ſolent: aurum aqua & igne magis neceſſarium. Olim etiam exilio damnatis aqua & igni ſolitum interdici fuiſſe legimus, propterea quod his duobus elementis omnia putabant humanæ necesſaria contineri. Nec injuria: nam ex ſum̃orum Philoſophorum ſententia ab aqua & igni cuncta procreantur, quod etiam Ovidius affirmat:

Quippe ubi temperiem ſumſere humorque, calorque,

Con-

Concipiunt & ab his oriuntur cuncta duobus.

Horum igitur elementorum alterum propter nobilitatem jam olim cœlo receptum eſt, ſummaque locum ſibi legit in arce; unde etiam ſideribus ac ſtellis univerſis lumen præſtare creditur. At vero aurum ſupra Jovem etiam ipſum, & omnes alios Deos, jampridem aſcendiſſe, manifeſtum eſt; quo fit, ut a plerisque mortalium pro ſummo Deo colatur. Aqua cæteris omnibus videtur elementis imperare, nam terras inundans eas abſorbet, ignis impetum ſuperfuſa penitus extingvit, ipſum etiam cœlum atque aerem ſibi vendicat. Sed illud multo mirabilius eſt, aurum omnia dignitate ſuperare, omnia ditioni ſuæ ſubjugare, mortalium etiam mentibus, quibus nihil eſt in terris divinius, dominari: non privatos ſolum, ſed etiam Reges, & Imperatores, & Pontifices ſuo arbitratu regere, & quocunque velit impellere: triſtitias omnes e cordibus hominum eximere, ſummasque lætitias ſecum ſemper apportare. Quid quod ipſum etiam cœlum, ut non ſine causa ſapientisſimi viri Poetæ ſcripſerunt, aurum aliquando penetravit, & ibi omnia ſuo nomine decorata voluit aurea nuncupari, quoniam nullum nobilibus nomen inveniebatur. Jovem autem in auri pluviam converſum cœlum ultro relinquere, in terras deſcendere, turres irrumpere, in amicæ gremium fluere coegit. Quid horum ſimile fecit unquam ignis aut aqua? Quid? an, quemadmodum auro, ſic a-

aqua & igni poſſunt omnia redimi? Quis tam rerum ignarus eſt, tam inſipiens, tam ſtultus, qui potius aquam aut ignem quam aurum habere velit? quis pro aqua & igni, ſicuti pro auro, maxima quæque pericula adeat? quis non auri talentum malit, quam ignis quantum Empyreum cœlum continet, aut aquæ Atlanticum mare? Vincant igitur ignis & aqua nobilitate & virtute cætera omnia, dummodo ab auro ſuperentur. Nam quis ignorat, ab igni, qui cætera conſumit omnia, ne minimam quidem auri particulam perdomari poſſe? quanto enim magis igne torretur, tanto melius expurgatur, & magis eluceſcit. Merſes illud idem aurum in aqua, multo pulchrius eveniet. Illud autem multo manifeſtiſſimum & apertiſſimum eſt argumentum, aurum rerum omnium eſſe nobiliſſimum & præſtantiſſimum: ſi quis enim affatim aurum poſſideat, quæcunque alia voluerit, facilime ſibi comparare poterit; at contra, ſi quis cæterarum omnium rerum copiis affluxerit, non ita facile magnam auri vim comparabit. Non eſt igitur quod diutius in collatione rerum commorer, cum nihil prorſus ex omnibus, imo neque omnia ſimul auro conferri digne poſſe videantur. Neque enim monſtroſas illas contentiones mihi refellendas eſſe cenſeo, quibus inepti quidam & inſulſi homines uti non erubuerunt, qui neſcio qua furoris (ut opinor, obcœcati caligine, ferro terram exerceri, vites amputari, domos

exædificari, construi Deorum immortalium templa, finibus nostris hostes arceri, securam per ferrum hominibus vitam præstari, & omnibus denique humanis usibus utile ferrum esse; cum interim (si credendum eis est) aurum ad nullum horum idoneum aut aptum inveniatur. O nimium dignos homines, si tamen homines sunt, & non crassæ potius pecudes; qui ferro isto suo multum abundent, aurum vero non modo nunquam possideant, sed ne quidem quantum valeat agnoscant. Quis enim agricolam quotidie terram exercentem, & ruri miseris modis habitum, domino fundi censeat esse præponendum? Quis materiarios artifices, & hujusmodi viles & abjectos homines, regibus & imperatoribus censeat esse nobiliores, quod hi non sint ad serviles artes idonei, illi vero in hoc artium genere multo cæteris antecellant? Atqui prodigiosi isti rhetores, cum ferrum auro præponunt, longe etiam absurdiorem collationem faciunt. Quis non intelligit omnium eorum, quæ ferrum efficit, aurum esse dominum? nonne? quicquid a ferro longissimo tempore fieri potest, si præsens aurum fuerit, temporis momento possidebit? quis adeo stupidus est, qui nesciat quam pauco auro quanta ferri massa commutetur? Sed næ ego dementior, qui in tam apertis ineptiis refellendis tempus frustra conteram. Unum est, (ut verum fatear) unum in omni rerum natura, quod auro

præ-

præter cætera proximum eſſe videatur; ſed tamen longo proximum intervallo. Id autem argentum eſt: cujus maxima certe nobilitas eſt atque potentia, ut auri vices frequenter obeat, & ad ſe amandum complurimum mentes allicere ſoleat. Sed quanto ſatellitibus rex, & militibus imperator præſtat, tanto profecto aurum argento nobilius eſt. Quod quidem vobis notius eſſe arbitror, quam ut ſit argumentis explanandum. Quare ſi, quod ſecundum eſt, ab auro tantopere diſtat, quid illi conferendum inveniemus? num virtutem? num gloriam? num famam? num honorem? Quæ poſt argentum etiam relinquenda eſſe, nemo veſtrum eſſe qui dubitet, exiſtimo. Nam ut præclare ſcriptum eſt ab Horatio:

Quærenda pecunia primum
Virtus poſt nummos.

Reliqvum eſt, ut, qvoniam nihil, huic tam admirabili & præſtanti naturæ dono qvod digne comparari poſſit, invenitur, illud per ſe, qvantum dicendo efficere poſſumus, exornemus: qvod omnes præter cætera omnia mirifice diligunt, & ardentiſſime concupiſcunt: cujus cauſa reliqva univerſa deſpiciuntur ac pro nihilo habentur; qvod ut acqvirant homines, nulla prorſus pericula reformidant: qvid? qvod divinis atque humanis legibus, qvicunque aliqvid ſapere videntur, antiqvius habent: qvid? qvod ob aurum ſolum noſtris temporibus in honore ac pretio ſolent homines haberi:

hoc qvi possident, soli nobiles appllantur. Age vero, qvis non ejus rei miretur excellentiam, qua si careant reges & principes, jam non amplius reges & principes, esse sed mendici, videantur? qvæ si cui penitus ignoto & terræ (qvod ajunt) filio copiose benigneqve affluxerit, illum ex humili atqve abjecto confestim clarissimum & maximum principem efficere possit? Unde merito dignitatum atque amplitudinum omnium qvasi formam & perfectionem qvandam aurum appellare possumus: nam eo præsente cuncta decus atqve amplitudinem suam retinent, absente vero statim omnem honorem ac dignitatem amittunt. Jam vero vero non mediocriter illud etiam admirandum esse arbitror, qvod simul atqve natum & inventum fuit aurum, non solum omne genus humanum, sed etiam Deos omnes immortales, in sui amorem atqve admirationem convertit. Itaque non satis sibi felices esse Dei videbantur post repertum aurum, nisi eo affatim uterentur. Nam & ædes sacras auro potissimum insigniri voluerunt & vehementer sibi placent atque gloriantur, cum suas ex auro conformatas imagines & simulacra conspicantur. Quid quod etiam in supremo cœlo Deorum palatia sedesque omnes esse aureæ dicuntur? Quod Ovidius testatur, cum inquit:

Regia solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro.

Quod

Qvod ſi qvid etiam antiqvitati credendum eſt, illa Græcorum ac Trojanorum tantopere celebrata pugnata, quæ ſempiternam Homericæ poeſi gloriam comparavit, qva poſt homines natos nihil unqvam præclarius geſtum fuiſſe legitur, non aliam ob cauſam, niſi propter auri nobilitatem, exorta eſt. Quis enim non vel legit vel audivit inter illas tres Deas, Junonem, Palladem & Venerem, propter inſigne qvoddam aureum pomum, qvod pulchriori debebatur, de pulchritudine natam eſſe contentionem? Cum enim immortales Deæ ſpecioſisſimam illam ac fulgentiſſimam aurei pomi faciem vidiſſent, ejus amore atqve deſiderio tantopere exarſerunt, ut nihil non ſibi faciendum eſſe cenſerent, qvo voti compotes fierent. Itaqve nudæ ante mortalem hominem conſiſtere non erubuerunt, ut ille judicaret qvænam eſſet earum pulcherrima, cuique pomum illud adjudicandum eſſet. Sed cum ille juſtisſimo judicio ſecundum Venerem litem dediſſet, rapta poſtea Veneris ope atqve auxilio Helena, bellum exortum eſt. Cujus qvidem rei ſi vera fama eſt, nemini dubium eſſe poteſt, qvin aurum nobilitate cæteris omnibus rebus antecellat, quod etiam Deas, qvibus nulla felicitas deeſt, ad ſe amandum pellexerit. Sin autem incertum hoc eſt, & ab antiqvis auctoribus confictum, tamen etiam ob hoc ipſum auri nobilitas elucet. Neqve enim unqvam homines ſapientiſſimi, niſi de re omni-

um pretiosissima atqve optima, Deas inter se contendisse tradidissent. Sed qvid ego pluribus verbis auri nobilitatem perseqvor? cum uno tanto argumento, qvanta sit, ostendere facillime possim. Aurum enim nobilitate sua non tantum reliqvis rebus omnibus, sed etiam Deis ipsis, qvibus nihil est excellentius, antecellit. Qvid obstupuistis, Proceres, & vestros in rugam vultus contraxistis? An hoc vobis forTasse videtur incredibile? Qvid si vobis testibus ita esse convicero? Negatis? At jam faciam, ut aperte fateamini. Primum illud mihi vobiscum arbitror convenire, Deos omnium esse nobilissimos. Si qvid igitur invenire poterimus, qvod à se ducto nomine totam Deorum immortalium nobilitatem repræsentare possit & æqviparare, nonne illud etiam Deis ipsis nobilius esse judicabitis? Video mihi vos omnes annuisse. Agite ergo, Proceres, attentis animis hæc verba mea percipite: vos enim hodie maxima solicitudine liberaturus sum, qvæ vestros animos, ut ego qvidem sentio, continenter & magnopere conturbat. Quamvis enim aurum, sicuti dignum est, plus quam Deos ipsos a vobis amari certo sciam, tamen neqve illud ignoro, superstitioso qvodam timore vos continenter premi, qvi Deos auro putetis antecellere. Verum, qvantum ista vos opinio fallat, audite. Hoc nomen *aureus*, qvod ab auro deducitur, cum Deis adjungitur, annon omnem vobis Deorum nobilitatem expri-

primere videtur? annon qvotiescunque Deos *aureos* appellamus, aurum Deis excellentius esse judicamus? Qvid excogitare præstantius aut magnificentius auctores rerum possunt? qui, cum Deum aliqvem vehementissime laudare atqve exornare contendunt, non eum alio nomine qvam *aureum* appellare consveverunt. Ita *sol aureus* dicitur a Virgilio, & *Venus aurea*, & reliqvi Dei passim *aurei* nuncupantur. An vero ignoratis, Proceres, eam esse laudationis legem, ut aliqvid potius laudibus affingatur, qvam eis qvicqvam detrahatur? Nam qvid esset absurdius, qvam si, cum aliqvid nos laudare velle profitemur, ejus deinde laudes dicendo minuamus? Qvare perspicuum est, nos, cum cum Deos *aureos* nominamus, aurum Deis ipsis esse nobilius affirmare. Qvid in cæteris omnibus rebus? Nonne, cum aliqvid maxime pretiosum ac pulchrum significare volumus, illud statim *aureum* appellamus? Non est igitur qvod amplius qvisqvam de auri præstantia dubitare possit, cum jam aperte docuerimus, nihil usqvam tam pretiosum inveniri, qvod auro comparari dignum esse videatur; sed rebus omnibus tam divinis qvam humanis aurum antecellere, ab omnibus ardentissime diligi, a Deis etiam vehementer amari, deniqve longe Deis ipsis nobilius ac præstantius esse.

Dixi de auri nobilitate, nunc de ejus potestate pauca dicam. Neque enim minori potesta-

te quam nobilitate præditum eſt; ſed tam potens atque imperioſum eſt, ut omnia, quæ in terris, quæ in mari, quæ in cœlo naſcuntur, ditioni ſuæ facile ſubjiciat. Quis enim non videt, nihil tam firmum ac munitum eſſe, quod aurum non facillime poſſit expugnare? Quis ignorat, auri poteſtati non modo frumenta, vina, commeatus omnes, prædia, poſſeſſiones, villas, ſed etiam civitates, atque homines ipſos eſſe ſubjectos? Quis non intelligit, aurum quovis fulmine potentius munitiſſima caſtella ſubvertere, ſaxa perrumpere, firmiſſimas urbes diſſipare, hoſtes aut opprimere, aut totis finibus exterminare? Quid quod etiam animos hominum, quibus nihil fortius aut ſagacius eſt, ita ſuo arbitrio verſat, ut omnibus in rebus ſuæ ſubjiciat poteſtati? Sed de illis, qui aliquid ſapiunt, dicam alio loco, Proceres, & ita dicam, ut nihil unquam vos libentius aut gratius audiviſſe judicetis. Nunc illud videre operæ pretium eſt, quam miſeris modis animum quorundam ſui cupidorum, & uti neſcientium, quaſi ludens aurum afficiat; qui poſteaquam magnam ejus copiam per fas atque nefas in arca congeſſerint, nullam deinde temporis particulam conquieſcere poſſun, ſed dies atque noctes amittendi metu crucientur; quorum vitæ clarum exemplar in Euclione ſene facetiſſimus Poeta Plautus nobis expreſſum reliquit. Hi tritis veſtibus, & terque quaterque ſartis calceis, in publicum prodire non verentur:

ci-

cibarium tantum panem, aut ſi quem etiam viliorem cibum reperiunt, guſtate contenti ſunt: ſi quid forte paulo largius aut latius in hoſpitis alicujus adventu conſumſerint, illud inedia poſtea reſarcire ſtudent: liberis ſuis omni ſtudio ſordes conantur easdem inſpirare: ſuam vero frequentius arcam ſolliciti reviſunt, atq; in ea ſepultos una cum toto corde nummos, quemadmodum Tantalus poma, mirantur & abſtinent: ſolo auri conſpectu, non aliter atq; picturam intuentes, oblectantur, neque ullum eis penitus uſum tanta auri congeſta copia præſtat. Interim tamen dolis, aſtutiis, fraude, calliditate, perjuriis, ſocios atque amicos auri congerendi cauſa circumvenire ſtudent: denique non famem, non ſitim, non frigus, non calorem ſubterfugiunt, modo aliquid auri corradere alicunde poſſint, quo tamen nullo unquam tempore perfruantur. Hos equidem homines, etiam ab ipſo auro (ſi quis ei ſenſus ineſt) vehementer irrideri & contemni arbitror. Cum enim alios omnes adventu ſuo beatiſſimos ac feliciſſimos efficiat, hos omnium ſolos non modo non felices, ſed etiam miſerrimos reddit. Sed ad rem noſtram redeamus, & exemplis omni luce clarioribus auri ſummam eſſe poteſtatem oſtendamus. Quis igitur tam incredulus eſſe poteſt, qui divinis literis & ſententiis fidem non adhibeat vel maximam? Certe & ſi qui tam impudentes inveniuntur, qui ſacris libris non credere audeant,

vobis tamen maxime providendum est, Proceres, ne, si a vita atque institutis majorum nostrorum, & a Pontificia credulitate religioneque, discesseritis, factiosi atque hæretici videamini. Sed si bene vos novi, huic uni sacrarum literarum testimonio, quod producturus sum, facilius credetis, quam reliquis omnibus, quæcunqe & in antiquis & in novis legibus nostris scripta sunt. Sic enim etiam sapientissimi viri, Sacerdotes, Monachi, Cardinales, Episcopi, Pontifices, omnes denique religiosi faciunt, nec injuria, cum nullis firmioribus aut certioribus exemplis, nec ulla majori auctoritate, potestas auri demonstrari possit, quam sacræ Scripturæ testimonio, cui non credere maximum est & scelus & dementia. Legite ergo decimum Ecclesiastæ caput; ibi hanc vere auream sententiam invenietis: *Pecuniæ obediunt omnia.* Quod exemplum clarius, aut quod apertius testimonium, dici vel excogitari potest? Sic enim colligite mecum, Proceres: aurum (ut omnes intelligunt) pecuniarum omnium principatum & quasi regium dominatum obtinet: pecuniis autem omnia (quod nos sacræ literæ docent) obediunt: ergo non solum universa reliqua, sed etiam ipsas omnes pecunias, auro parere atque obedire necesse est. O patrone mi, aurum, here mi, domine mi. Jam me non pudet tui amatorem dici, & servum esse fidelissimum, cum te tam potens & amplum esse videam. Jam tibi per-

pe-

petuo ſervire geſtio, cum tibi ſerviant univerſa. Tua tanta vis ac poteſtas eſt, ut non tantum terras & cœleſtem regionem tibi omnem ſubjicias, ſed etiam adamantinas inferorum portas penetres. Quod bene Græcus quidam Poeta, noſtri ordinis homo non inſimus, animadvertit, cum jambicum illum ſcriberet:

Χρύσος δ' ἀνοίγει πάντα κ' ἀΐδυ πύλας.

Hoc etiam Poetarum principem Virgilium haud dubie cognoviſſe crediderim, qui cum ſecum ipſe diutius magnam auri poteſtatem eſſet admiratus, quod ſceleſtiſſimum illum Jovis hoſpitalis violatorem Polymneſtorem tam aperte prodidiſſet, tandem quaſi lætabundus exclamare non dubitavit:

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Sed proh cœcas ac temererias hominum mentes! Imperiti quidam nimisque audaces literatores divinam hanc ſummi Poetæ ſententiam ſuis commentationibus invertere ac deturpare auſi ſunt; cum enim *ſacram* auri famen Poeta noſter dixiſſet, dementes iſti Grammatiſtæ (pudet etiam me tam inſignes eorum ineptias referre) *deteſtabilem* & *execrandam* interpretati ſunt. O facinus inſipiens & animadvertendum! An etiam, cum *ſacros* Deos appellamus, audebitis homines infantiſſimi ſtultisſimique *deſtabiles* interpretari? Sed valeant iſtæ falſæ commentationes veſtræ: nos ex ipſius Poetæ factis ſententiam hanc aperiamus. An, qui pro-

propter ſolam auri famen atque cupiditatem patriam ſuam (quod omnes ſciunt & ipſemet confeſſus eſt) relinquere non dubitavit, eam deinde, poſtquam voti compos effectus eſt, deteſtabilem auſus fuiſſet appellare? Minime, minime, inquam; *ſacram*, id eſt, *ſacro-ſanctam* intelligendum eſt. An, ſi damnanda eſſet auri fames, & ſitis, & cupiditas, Pontifices noſtri, viri omnium ſapientisſimi ſanctisſimique, petaſati Patres, quos Cardinales vocant, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Bardocucullati, denique religioſorum omne genus, aurum tantopere deſiderarent? Non eo dementiæ perventurum quemquam exiſtimo, ut aurum condemnare aut aſpernari velit, cum ſummos noſtræ religionis Antiſtites, atque adeo Monarchas, nihil non auri comparandi gratia moliri videat. Nuper enim quendam amicum meum ſumma auctoritate, fide, religione virum conveni, qui pridie ejus diei Roma venerat, quæ civitas propter auri cultum atque venerationem, & alias ſemper, & hoc maxime tempore, omnium ſapientisſima religioſisſimaque judicatur; ubi (quod equidem vehementisſime laudo) quam plurimos noſtri ordinis ſummos auri cultores comperiiſſe ſe dicebat, qui propter auri deſiderium ac amorem plurima patrare non dubitant eorum, quæ iſtis fortaſſe fatuis & ſuperſtitioſis hominibus ſceleſta eſſe videantur. Sed propter rei tam pretioſæ tamque potentis acquiſitionem nihil cui-

quam

quam ſceleſtum aut turpe videri debet, cum præſertim aurum ejus eſſe naturæ perſpicuum ſit, ut, cum ſemel ad ſeſe hominis animum atque mentem allexerit, tanquam optimus imperator eam poſtea regat, atque ita volentem & cupientem imperio ſuo objiciat, ut nihil aliud quam de ſe cogitare ſinat, nullum rivalem patiatur, reliquarum rerum omnium amorem depellat. Itaque fit, ut auri pulchritudine mens allecta plurimum illi honoris tribuat, eo mirifice delectetur, illi cætera omnia poſtponat. Quod cum Propertius elegans Poeta cognoviſſet, auri nomine neſcio qua cum animi dulcedine delinitus, quinquies illud appellans, ita proclamare non dubitavit:

Plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulſa fides, auro venalia jura,
Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

Vult igitur aurum ſolum imperare, dominari, reliqua omnia, quamvis eximia, ut virtutem, honorem, gloriam, ditioni ſuæ ſubjici. Quod mihi quidem juſtisſimum eſſe videtur. Illud enim verisſimum eſt quod Poetarum pater atq; princeps Homerus ſapientisſime ſcriptum reliquit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος
ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Quibus miſeriis humana mens afflictaretur, ſi duobus aut pluribus dominis ſervire cogeretur?

tur? Nunc, quæ uni servit auro, creditur esse beatissima. Quare, quod paulo ante dicere cœperam, in florentissima sapientissimaque civitate Romana, quæ quondam imperium orbis terrarum longe lateque tenuisse dicitur, quo tempore ditior etiam auri fuerat, quam nunc est, licet ejus nunquam fuerit amantior, vix unum aut alterum invenietis, qui non omnibus nervis auro servire contendat. Summos enim habent duces, quos imitentur ac sequantur. Nam nostra tempestate sacrorum principes, quos balbutientium puerorum imitatione Pappas appellaamus, cum illius ætatis aureæ sanctissimos mores & religionem perlegunt, adeo sanctitatis ac religionis ardore succenduntur, ut, si liceat ea secula revocare, vehementissime concupiscant, & pro viri parte nitantur, ut saltem domus sua suorumque cognatorum, affinium, necessariorum, auri copia fiat aurea. Quamobrem totos se immergunt auro: quicquid dies noctesque cogitant, id totum aurum est: huic uni student: in hoc vigilant; ad hoc omnibus viribus incumbunt. Quod si fortasse Bacchus lætitiæ dator eam optionem, quam olim Mydæ Phrygum regi dicitur obtulisse, Pappis nostris liberam concederet, illud sine dubitatione summa cum alacritate protinus exclamarent:

Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.

Et prius (ut existimo) fame tabescerent, quam

con-

conditionem hanc peterent immutari. Tanta eſt auri virtus & poteſtas. Quod ſi forte, proceres, Papparum cubilia, cœnationes, atria, porticus, veſtibula, totam denique regiam videritis, tum credo lætitia vobis cor ipſum exultaret. Nihil non auro politum, nihil non magnificum. Quid quod etiam mulas auro ſtratas videmus? perinde quaſi pecudes etiam ipſæ præſtantiam auri ſentiant. Sed, quibus tandem artibus hoc tantum auri ſibi comparent, vobis jucundisſimum eſſet audire, Proceres; namque inde magis etiam auri potentiam agnoſceretis, cum videretis illos ab auro regi; quibus omnia divina atque humana regenda tradita ſunt. Sed hæc quoniam non admodum ad rem noſtram faciunt, ab aliis malo quam a me cognoſcatis. Habent quidem Chriſtum in ore frequentiſſime, qui ſe auro quodammodo contrarium & paupertatis ducem ac exemplar præbuit, quem ſi ſequerentur, eos in ordinem noſtrum admittere non poſſemus; ſed viri ſapientiſſimi memoria tenent, ipſum etiam Chriſtum pecunia proditum fuiſſe, quod ſibi ne accidat, magnopere pertimeſcunt. Itaque maximos auri cumulos undiq; congerere ſtudent, ut, ſi forte contigerit, eos ab aliquo ſatellitum ſuorum prodi, poſſint auro te quam citiſſime redimere. Si quis autem roget, ubi fidem habeaut, quam ſacræ & humanæ literæ tantopere commendant, ut per eam ſolam nos affirment cœleſtem illam ac beatorum ſedem

fa-

facile consequi posse? illud egregium Satyrici Poetæ dictum respondebunt:

Quautum quisq; sua nummorum servat in arca
Tantum habet & fidei.

An vobis in hoc damnandi esse videntur? Non opinor; etiamsi quibusdam in cogendo auro paulo cupidiores quam æquum sit esse videantur. Nam & pietatis & Christianæ religionis sæpissime obliviscuntur, & relicta sacrorum administratione bella suscipiunt. Sed omnino mendose reprehenduntur: nam justissima tantum bella gerere solent; nempe contra illos, qui decimas & primitias, quibus sancta sustinetur ecclesia, persolvere nolunt. Hoc Patres sanctissimos, maximeque venerabiles, quibus divino jure primitiæ debentur, non sine summa ratione commovet: neque enim aliter vitam ducere possent. Nam verissimum illud est, quod ait Hesiodus:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Humano generi namque ipsa pecunia vita est.

Quamobrem etiam inviti bellare compelluntur, ut sacrilegæ nationes, quæ decimas non solventes illis vitam eripiunt, funditus evertantur. Illud fortasse requiretis, quomodo nullis armis, nisi divinis officiis, exerciti Pappæ præliari possent? Cognoscite, Proceres, non enim sine causa quæritis: nam non ipsi prælia gerunt, sed ipsorum aurum; cujus, in armis etiam, sicut in reliquis rebus omnibus, summa

ma poteſtas eſt. Jam vero, quemadmodum ſummæ res adminiſtrentur, ſi diligenter cogitare volueritis, credo vos facile perſpecturos, auri vim eſſe maximam. Nam in arce religionis auro reguntur univerſa; nihil ibi ſperetis, niſi manibus auro graviſſimis. Omnia Romæ cum pretio. Qui plurimum auri ſecum attulerit, is ſecurus eſto, ſe, quicquid optaverit, facile conſecuturum. Quod ut facilius credatis, audite quid eleganti carmine Petronius cecinerit:

Quisquis habet nummos, ſecura naviget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Multa loquor, quidvis nummis præſentibus opta,
Et veniet; clauſum poſſidet arca Jovem.

Veniat ergo Romam, vel quo magis ei libuerit, bene nummatus, confeſtim ei regiæ valvæ recludentur, eum omnes alacri vultu venientem excipient, ei gratiam & favorem ſuum omnes & pollicebuntur & præſtabunt, brevi tempore dignitates ampliſſimas, opima ſacerdotia, conſequetur, plurimum auctoritatis & poteſtatis habebit. Nec interim, quinam ſit ille, quem omnes tantopere ſuſcipiunt, quisquam ſibi exquirendum eſſe cogitabit, ſummo loco natus an terræ filius, probatis moribus an profligatis, doctrina præditus an a Muſis averſus. Hæc jam nihil ad rem facere prorſus exiſtimantur; aurum eſt quod omnia regit, omnia diſpenſat, omnia transigit, omnia componit. Illud ve-

ro quamvis fortasse vobis ridiculum esse videbitur, tamen a me in dicendo prætereundum esse non arbitror, quod aurum tanquam Prometheus quispiam imminutas corporis partes restituit. Si quis enim aut altero captus oculo, aut claudus, ut testibus carens, aut quovis alio membro spoliatus, ad sacerdotii dignitatem aspirarit, quamvis per jus pontificium tales non liceat in sacerdotum numerum aggregari, præsens tamen aurum facile jus pontificium frangit, & membra supplet mutilata. Sed fingite nunc aliquem singulari eximia virtute præditum, & expolitum omni doctrina virum, qui sacerdos fieri velit, & ei desit alter tantum testium; si aurum illi defuerit, sit Numa licet ille religiosior, Aristide justior, Aristotele doctior, domum sine sacerdotio redibit. Sed hoc (ut dixi) ridiculum; illud vero multo omnium gravissimum & præstantissimum, quod etiam sub terras ad eas animas, quæ torquentur in tartaris, a principibus in religione viris compertum est aurum potestatem suam transmittere, quæ statim eas inde liberet, & ad superos recta perducat. Nec illa parva auri potestas est, quæ consceleratum quemvis hominem ab omni supplicio pœnaque liberare facile potest, modo manibus auri plenis diploma plumbatum impetravit. Quid quod aurum in annorum multa millia peccandi sine pœna timore indulgentiam facile, cum voluerit, obtinet? Nam præterita scelera non tantum aurum,

rum, ſed etiam argentum modicum, duabus aut tribus indulgentiæ bullis coemtis, delere, facillime poteſt. Verum hæc fortaſſe ſilentio præſtat involvere, ne quis fatuus aut ineptus, quæ nos in auri laudem dicimus, in Papparum contumeliam dicta judicet. Ad alias potius religioſiſſimas perſonas, in quibus aurum jam imperium ſuum confirmavit, transeamus. Tanta eſt enim auri vis & poteſtas, ut, quos eccleſiæ Cardines appellamus, eos labefactatos a propria ſede dimoverit, & imperio ſubjugarit. Qui certe nunc multo melius & ſtabilius totam religionis machinam ſuſtinebunt, poſtquam auro fundati ſunt. Nam quomodo quæſo religionem ſuſtinere poſſent, ſi præ paupertate ſe ipſos ſuſtinere non poſſent? Illud nimirum nunc operæ pretium ſvaveque eſt contemplari, cum ſublimes per urbem ſtratis auro mulabus provehuntur, rubra cauſia conſpicui; quam certe fulvam melius effinxiſſent, ut eſſet inſigne domini ſui auri, ſatellitibus undique ſtipati, ut ipſis etiam regibus invidiam movere poſſint, trementibus præ mollitie genis. Atque ut majori auctoritate digni videantur, templa Deorum peniculamentis terram verrentibus ingrediuntur, quod alias, cum multo minus quam nunc homines ſaperent, vix in mulierculis tolerandum eſſe videbatur. Inde domum regreſſi, poſt Saliares & Sybariticas epulationes, clandeſtinæ dominæ ſinibus excipiuntur. Quas omnes eis

voluptates ac delicias aurum præſtare quis ignorat? Jam vero propter aurum eo usque ſapientiæ noſtro tempore perventum eſt, ut quam plurimi ſummam Tibarenorum & admirabilem doctrinam præclare intelligant, & omni diligentia exercere ſtudeant, quos memoriæ proditum eſt in riſu & ludo ſummum bonum conſtituiſſe. Nam ſanctiſſimorum Cardinalium domos morionum & aleatorum plenas invenietis, quibus viciſſim pro libidine ſua delectentur. Præterea noſtra tempeſtate reperiuntur, qui ſexcentis Philippeis ſcortum unum conducere non dubitent. Sed unde illis auri tanta copia? Non aliunde certe, quam ex plurimis & ditiſſimis ſacerdotiis, quæ etiam auro venati ſunt: ita aurum ex auro, ut ſemen ex ſemine, naſcitur & exuberat. Nemini igitur dubium eſſe poteſt, auri poteſtatem eſſe maximam, qui ſacroſanctos illi magiſtratus tam cupide ſervire videat. Quid? magis ne difficile eſt in eis auri poteſtatem agnoſcere, quibus olim cura fuit, ſacris initiatos inviſere, afflictos conſolari, ſacerdotum errata, ſi qua erant, emendare, bonos eligere, malos abdicare? Minime vero. Nunc enim multo majorem nacti felicitatem opima tantum ſacerdotia, unde magnam auri copiam hauriunt, inviſere ſolent. Ex quo factum eſt, ut Epiſcopi quaſi auri exploratores nominentur. Sunt enim mitra bicorni decorati, cujus pars illa prior, quamvis aliud olim ſignificare credebatur, nunc

nunc tamen aurum indicare perſpicuum eſt, poſterior autem argentum. Hoc modo auri atque argenti, quibus plane devoti ſunt, inſignibus exornati tanquam pro templis & aris, ita pro auro atque argento, dimicant. Cum vero curſu revoluto quatuor anni tempora venerunt, in quibus ſacris initiandi congregantur, ita ſe gerunt Epiſcopi, ut ſummum auro, quem meretur, honorem atque reverentiam exhibeant. Nihil enim aliud eos, qui ſeſe ad ſacerdotii dignitatem ingerunt, interrogare ſolent, niſi quantum auri poſſideant, quot habeant prædia, quale & quantum patrimonium, quot ſint eis beneficia ſive præbendæ? ſic enim appellant eas præfecturas, quas à Pappa ſacerdotes auro redemerunt, nempe a præbendo, vel quod ipſi pro eis habendis aurum præbuerint, vel quod illæ ſacerdotibus aurum præbeant. Qui ſe maximas atque ampliſſimas habere poſſeſſiones dixerit, plurimumque auri poſſidere, ſtatim eum benigniſſime excipiunt; nam ab hujuſmodi clericis, quibus eſt auri ſatis ampla copia, præter ſtatutum atque ordinarium tributum, quod ab initiandis exigunt, non vulgarem etiam mantiſſam expectant. Itaque alacri vultu: dignus eſt hic (inquit) qui admittatur, & ſacerdos creetur. Sed quid, ſi literarum non magis peritus ſit, quam germen (quod dicitur) Aradicum? aut ſi non magis honeſtatem curaverit, quam aſotus quilibet? hoc nihil impedit. Aurum enim præſens e-

etiam illum Aquinatis poetæ Peribomium & doctum & honestum reddere potest; at vero doctrina bonique mores sine auri præsidio nihil prosunt. Quid autem de Sacerdotibus cujusque generis loquar? quas tanta auri cupiditate flagrare notum est, ut ad missas, quas vocant, devorandas, perinde quasi ad operas, pretio conducantur, & ipsius Christi corpus atque sangvinem auro vendant? Quid quod bis aut ter uno die lucri causa sæpissime missantur? Deinde quot rixæ? quot seditiones? quot discordiæ? quot clamores inter presbyteros exoriuntur? dum primitias, aut decimas, aut annua menstruaque salaria, pro missationibus suis exigunt, atque inter se partiuntur. Persæpe etiam non alia de causa litigant, nisi quod eorum aliquis confessionem peccatorum audierit ab homine, qui sub alterius sacerdotis imperio fuerit, vel tanquam vultur triduo cadaver ante præsenserit, quod providus negligenti surripiat; hinc præcipue solent gravissimæ contentiones exoriri, ut a jurgiis ad crucis baculos sæpe veniatur. Sed fortasse requiretis, Proceres, cur de hominis confessione, aut de cadavere, dimicandum esse censeant. An vero ignoratis, ex istis confessionibus & cadaveribus maxima illis vectigalia provenire? Nemo confitentem gratis audiverit. Confessos vero pro peccatorum absolutione pœnas aureas pendere jubent. Sed in funeribus maxima præda spes eis constituta est; hinc enim

u-

uberrimi fructus emetuntur. Nuper audivi ſacerdotem quendam, qui dolebat artem ſuam (ita enim appellabat) eſſe peſſimam, propter-eaſquod homines raro morerentur. Hæc eſt aurea charitas. Cum enim aliquis fato conce-dit, priusquam ejus cadaver ſepeliunt, de mer-cede ſua paciſci volunt, nec ullum penitus hu-mo condi patiuntur, niſi prius ſoli pretium ſi-bi numeratum viderint. Quod ſi forte quis ita pauper ſit, ut olim Agrippa Menenius, aut Valerius ille cognomento Publicola, is præda canibus & corvis relinquetur. Usque adeo mo-ri miſerum eſt, niſi aurum poſſideas. Cum vero contra tantas mortis injurias aliquis ma-gna auri vi munitus vitæ ſuæ diem clauſerit, tum vero lætitisſimum videre eſt parochum trepidare, ne parum magnifice funus appare-tur, ſurſum ac deorſum curſitare, mortui co-gnatos & affines adhortari, ut in eo funere ſibi famam immortalem acquirant, nec modico auro parcant, ut illius animam in cœlum recta ſubducant; id futurum (inquiet) ſi ſeptimum, trigeſimum, anniverſarium officium, divi Gregorii miſſas ipſe celebret, quo feliciter impetrato, ſtatim in ipſo funere duplicem ſibi mercedem dare jubet. Hæc enim jam lex eſt, & jus ex conſvetudine factum parochis omni-bus. Deinde pro feretro in quo cadaver ja-cuit, pro pallio quo opertum fuit, grandem ſibi pecuniam numerari jubent. Interim atra-tus mortui procurator omnibus ſe plene ſa-

tisfecisse putat, cum ecce lignearum crucium multitudinem parochus in medium adfert, & majorem etiam, quam prius sibi data fuerit, pro crucibus istis pecuniam flagitat: postremo sacerdotum etiam ministri, qui, dum funus efferretur, subtiliori voce cum sacerdotibus nænias cantillaruut, & funalia crucesque circumtulerunt, pecuniam aliquam offulam præstolantnr. Nonne igitur pro cadaveribus, unde tam opima spolia proveniunt, tanquam pro focis & aris dimicandum est? Age vero, quid in concione quotidie clamant? quid populo persvadere conantur? non aliud sane, nisi pauperis parochiæ memores esse velint, ut animarum parentum, fratrum, sororum, cognatorum, affinium, misereantur, quæ torquentur in purgatorio, crebrisque oblationibus & missarum celebrationibus eas a purgatione liberent. Denique hoc unum student, in hoc incumbunt, hæc eorum maxima est occupatio, ut scililet quam plurimum auri congerant, & sæpe minas regaliter addunt, futurum ut grandines omnia sata contundant, ut omnes fructus pruina præcipiat, ut nihil germinent arbores, nihil producat hortus, intereant pecudes, nisi sacerdotum populi magnum curam habeant: hinc iram Dei maxime concitari, quoties videt sacerdotibus suis primitias, decimas, solita suffragia, denegari. Quibus certe minis populorum mentes, quibus nihil est superstitiosius, perterrefaciunt, &

& facile qvocunqve voluerint impellunt. Sed qvorſum hæc tam multa de ſacerdotibus? Ut intelligatis, Proceres, id qvod in hac exornationis noſtræ parte tractamus, auri vim eſſe maximam, qvæ religioſorum etiam mentes, qvibus nihil ex omni parte perfectius inveniri poteſt, imperio ſuo ſubjecerit. Reſtat etiam ex religioſis genus qvoddam novum atque monſtroſum, qvos publice qvidem *fratres*, privatim autem *patres*, appellant, vulgari vocabulo *ſpirituales*: qvamvis ſæpenumero non tantum ſpirituales patres inveniantur. Horum ego medius fidius incertus ſum, an auri cupiditatem explicem, qvæ tanta eſt, ut ei ſaturandæ non ſolum memorata Pelopis aut Zopyri talenta, ſed qvicqvid in toto terrarum orbe auri eſt, vix ſufficere poſſe videatur, an, qvod forte melius eſt, illi Apollinis oraculo paream:

Μὴ κινεῖν καμερίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

Video enim, qvaſi ea qvæ oculis cernuntur, futurum, ut, ſi labyrinthum hunc ſemel ingreſſus fuero, poſtea, cum voluero, non poſſim exitum reperire. Qvis enim, Bardocucullum illum freqventer excutiens, omnes qvæ in eo ſunt ſimulationum latebras inveſtigare poſſit? Itaqve mihi certe in trivio cogitationum eſſe videor. Qvid enim faciam? Laudemne? qvos nunqvam ſatis damnare poſſem? Vituperem? qvi, qvicqvid a me dicetur, id ſibi in laudem vertere conabuntur, propterea

qvod ab auri ſtudioſo vituperentur. Qvaſi vero non aurum ipſi plus qvam Deum ac propriam vitam diligant. Qvi cum ex aſtris noſtris ſe palam transfugas eſſe profiteantur, tamen neſcio qvibus cuniculis ad eadem ſæpiſſime revertuntur. Qvo majore etiam odio digni ſunt, qvi, cum publice de loco ſuperiore, qvantum posſunt, auri cultores debacchentur, ipſi deinde illud idem aurum ſumma religione venereantur. Qvod ſi ſuam in aurum benevolentiam & obſervantiam igenue faterentur, eqvidem eos ſummopere laudarem atque celebrarem, quemadmodum jam in aliis religioſis ſupra feci. Nunc cum id, quod pulcherrimum eſt, in ſe diſſimulent, & idem in aliis reprehendant, quis non eos merito deteſtetur? quis non omni ſupplicio vivos mortuosque mactandos eſſe cenſeat? Verum jam omnibus ferè cognitum eſt, iſtos nebulones duabus, quod ajunt, ſedere ſellis. Nam ſe tanquam ſorices ſuo ipſorum indicio produnt; cum omnia propter aurum audeant, atque ejus gratia limites omnes verecundiæ tranſierint; quippe qui jam pridem eo impudentiæ pervenerunt, ut, quoscunque obvios habuerint, ab eis ſtipem non ſolum petant, ſed etiam efflagitent: qui non ſolum per compita, verum etiam oſtiatim, aurum mendicare non erubeſcant: qui totum terrarum orbem, quam magnus

gnus eſt, circumvolitant, ut ſua faciant opima cœnobia: qui publice paupertatem profeſſi tantum auri congerunt, ut palatiorum inſanis ſubſtructionibus etiam reges ipſos ad invidiam commovere poſſint. Quid, quod ex illis, qui ligneos pedes habent, & qui neſcio qua religionis ſimulatione palam aurum tangere verentur, cum interim, ſi ſors obvenerit, aliquid mollius tangere non vereantur, invenitur aliquis, qui viginti millibus aureorum purpuream conetur a ſummo Pontifice cauſiam extorquere? Quod ſane non admodum difficulter impetravit: quid enim non poſt aurum? Taceo teſtamentorum aucupia, confeſſionum inſuſurrationes, cadaverum rapinas, propter quæ cum ſacerdotibus ἄσπονδον πόλεμον continenter gerunt. Alia profecto multa majora gravioraque non tacerem, niſi vibrantes eorum lingvas atque triſulcas pertimeſcerem, quæ tanto feruntur impetu, ut Jovem ipſum fulminum jaculatorem, Vulcanumque fabricatorem, perterrefacere facillime poſſint. Nam quicunq; contra eorum opiniones aliquid aut fecerit aut dixerit, vel qui occulta eorum ſcelera patefecerit, is ſtatim e locis ſuperioribus, ubi ſuo arbitrio mugiunt, hæreticus ubique prædicatur. Quis enim ignorat, quam in Eraſmum, noſtri ordinis non infimum hominem, debacchati fuerint, quoniam in eorum hypocriſes & ſcelera, ut erat homo facetisſimus, quodammodo luſerat? Illum enim impu-

pudentissima lingva factiosum & hæreticum ausi sunt appellare. Sed tu, credo, Erasmi calamitate doctus cautior, Alciate, fuisti, qui nihil unquam, aut certe parum, in aureis scriptis tuis hoc tam impurum hominum, vel potius belluarum, genus attigisti: quod te ideo fecisse crediderim, quia te pudeat eos nominare, qui doctorum hominum nominibus oblivionem inducere conentur. Sed (ut ad rem redeam) quanquam hoc animantium genus, qui se non homines, sed hominum patres, appellari volunt, auri cupidissimum sit, tamen nihil amplius de eo mihi dicendum esse censeo: cupio enim eos in cupiditatibus suis inveterascerere, atque marcescere, neque unquam auri fructum quenquam, nisi qui eos omnes strangulet, degustare. Quare ad alias potius gentes atque nationes, in quibus aurum potentiam suam experitur, orationem nostram convertamus: quæ mihi pars erit multo facilior & expeditior. Cum enim ipsos religionis nostræ principes, & religiosos omnes, quibus nihil absolutius esse potest, auro servire declaraverim, quid mirum vobis esse videbitur, si eandem alii viam sequantur? Quid enim aliud, quam aurum, toto vitæ suæ tempore quærunt artifices & populares? qui dies noctesque faciendis operibus invigilant; calorem, frigus, inediam, sitim patiuntur; nihil est tam durum & asperum, quod non æquo animo ferant; non alia certe de causa, nisi ut aliquid tandem auri

con-

congeſtum in ſcriniis ſuis videntes gaudeant. Qvid mercatores? qvi non ſolum terras, verum etiam tempeſtatibus agitata maria, perambulant, omnibus ſe periculis exponunt, non ventis horridum mare pertimeſcunt, non ſi cœlum ruinam minari videatur, ignotos adeunt populos, cum exteris & barbaris nationibus qvovis periculo familiaritatem ineunt, nihil deniqve eſt, qvod auri cupiditate libentiſſime non efficiant, merces ſupponunt, corrumpunt, adulterant. Jam vero viri nobiles, qvi prædiis & agris maxime locupletes ſunt, aut qvibus res pecuaria fructuoſa eſt, frumento, vino, caſeo, cellas, apothecas, horrea, ſtudioſiſſime complent, donec annona cara ſit, tunc auro permutant omnia, qvæ prius avide congregarant. Qvid de Juriſconſultis dicam? qvi auri deſiderio juris nodos & legum ænigmata qvam diligentiſſime perſcrutantur, & in extricabiles plurimorum Bartolorum opiniones diſſolvere contendunt, & chartis totas noctes immoriuntur, mane vero proferunt in lucem grandia conſilia, qvæ ſingula nulli mortalium minoris qvam decem aut viginti nummis aureis addicant. Tranſeo cauſidicos, notarios, procuratores, qvi totos dies in judiciis blaterant, & tota mendaciorum plauſtra, totas naves, profundunt, cauſasque clientum de die in diem prorogant, donec crumenam eorum vacuam viderint, &

Nequaquam fundo ſuſpiret nummus in imo.

Tum

Tum vero demum aut cauſam omnino rejiciunt, aut quavis iniqua conditione quamprimum expediunt. Quid medici, quos Ariſtophanes σκατοφάγες ab edendo ſtercore nominavit; nonne propter auri cupiditatem non tantum morbos, vulnera, ulcera, puſtulas, carcinomata, ſed etiam lotium, excrementa, merdas, intuentur, conſiderant, odorantur? Taceo ludi magiſtrorum, pædagogorum, logiſtarum, calamitates & cruces, qui ob auri pauxillum totos dies cum pueris inſaniunt. Jam vero publici Profeſſores, licet ipſis ſcientiis, qui eſt unus animorum paſtus ſvaviſſimus, præcipue delectari videantur, tamen ab auro facile ſuperantur, & eo potiſſimum ſe conferunt, unde major auri copia refulſerit. Teſtis eſt hujus rei noſter Alciatus, qui, quocunque auri flatus ſpiraverit, eo vela dat. Teſtes ſunt omnes alii, quos nominatim appellare poſt Alciatum nefas eſſet, ne fortaſſe cum tanto viro comparari viderentur. Age vero, ſanctiſſimum illum ordinem ſenatorium, qui res hominum graviſſimas regit ac gubernat, quis neſcit ab auro plerumque regi ac gubernari? Ac mihi quidem de his rebus ſæpiſſime cogitanti poteſtas auri maxime omnium admiranda videri ſolet. Nihil enim a natura tam alte poſitum eſt, quo aurum non aſpiret. Quid altius aut ſublimius ſenatorum mentibus excogitari poteſt? Ad eas tamen ſi copioſum aurum acceſſerit, facile dominatur, & arbitrio ſuo ſurſum

ac

ac deorſum verſat. Hinc illa ſententiarum ac judiciorum fulmina, quæ totas ſæpiſſime domos & familias, auro inimicas, evertunt. Sed qua de cauſa creditis, Proceres, Reges & Imperatores, ut de illis etiam aliquid dicam, tot & tanta bella continenter gerere? perpetuo ſubditos expilare? tam magna vectigalia quotannis, vel ſingulis potius menſibus, exigere? Non hoc certe alia de cauſa faciunt, niſi ut quamplurimum auri poſſideant. Quo fit, ut, cum gentes ac nationes imperio ſuo ſubjiciant, ipſi deinde auro ſubjiciantur, & tanquam pretioſa quædam auri mancipia ſervire non inviti compellantur. Mira eſt enim auri vis, quæ volentes & lætantes homines, quocunque voluerit, impellit. Nam ſi bene conſideretis, Proceres, Regibus & Imperatoribus nihil præter aurum ſapere invenietis. Cujus eſt enim illud tantopere vulgatum & celebratum dictum?

Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet.

Nonne totius orbis terrarum principis Veſpaſiani? qui usque eo non ſolum dilexit, ſed etiam admiratus eſt, aurum, ut non vectigalibus contentus amplisſimis, non ærario quod omnium locupletisſimum, non populorum atque nationum tributis & ſtipendiis infinitis, etiam in vendendo lotio ſtuduit aurum ſibi comparare. Hoc qnidem certe nonnulli rerum imperiti, præſertim in tanto principe, non ſatis honeſtum eſſe cenſebant; ſed, mea quidem ſen-

ten-

tentia, valde fallebantur: lucrum enim, ut est in veteri proverbio, longe pudorem antecellit. Non igitur sibi turpe existimavit sapientissimus princeps, si cupidissimus auri judicaretur, cum exploratum haberet, omnes, qui se antecesserant, auri fuisse quam appetentissimos. Ex tot enim regibus & principibus, qui post hominum memoriam dominati sunt, nullum omnino reperietis, quem non aurum sibi servire compulerit. Sed quid dico de regibus? cum omnes possim mortales, quasi uno fasce, complecti. Nullus est enim, nisi fortasse stupidus, & ab omni humanitate alienus, cui non aurum mirifice placeat. Nam etiam illius ætatis aureæ beatissimis temporibus omnes auro serviebant, quod bifrons ille Janus, qui videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, apud Ovidium his versibus attestatur:

Vix ego Saturno quenquam regnante videbam.
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.

Et quisquam adhuc dubitavit, quin illud potentissimum sit, propter quod Pappæ, Cardinales, Episcopi, divina atque humana jura, omnia despiciunt? quod etiam illi, qui paupertatem jurejurando professi sunt, summo cultu venerantur? quod omnes artifices, mercatores, nobiles, jurisconsultos, medicos, senatores, principes, imperatores, reges, suo ar-

arbitrio regit ac gubernat? cui denique parent omnes totius orbis terrarum nationes? Neque enim exſpectare vos arbitror, ut muliebre genus in medium adferam; cum vos non ignorare certo ſciam, non alium apud mulieres Deum præter aurum eſſe, nec eas omnino ſibi placere, niſi totæ aureis ornamentis eluceant, & niſi auro capillos, frontem, auriculas, collum, humeros, brachia, manus, pectus, crura, pedes, totum denique corpus, exornaverint. Date mihi mulierem, cui contigerit auri divitem eſſe, quo facilius intelligatis, quid in ea poſſit aurum; quid non ſibi licere putabit? quos faſtus? quas animorum inflationes præ ſe feret? quot pediſſequarum greges? quot anteambulones? quot domi forisque deliciæ? quot circa mollisſimi corporis cultum faſtidia? quæ in facie fucationes? quæ in toto capite luxuriæ? quæ in veſtibus expresſæ libidines? Omnes alias præ ſe contemnet atque deſpuet, per plateas, per vicos, per fora, per compita, Penelopeis undique ſtipata procis, molli carpento provehetur, unde quaque verſus oculos vibrans unumquemque diligenter annotet, & eum, cui velit annuere, & ſe permolendam ſubjicere, deligat. Quin propter auri copiam omnibus ſe admirationi eſſe putabit. Quid, quod generatim omnes ſe ipſas mulieres auro vendunt? Quamvis enim adeo pudicæ eſſe videantur, ut eas Penelopas aut Lucretias exiſtimes, tamen oblata

auri copia ſtatim ſe proſtituunt &, quod ait Ariſtophanes, τὸν πρώκτον τρέπουσι. Nec ex omnibus aliquas tantum exiſtimetis auro vinci poſſe, cæteras autem eſſe prorſus invictas. Non ita eſt: omnes ſui ſimiles ſunt, nec ulla eſt, quæ præter inſignem aliquam naturam ſortita ſit. An vero ignoratis, Proceres, proverbium illud a Græcis tantopere celebratum:

ἀρθέντος λύχνου γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή.

Sublata lucerna mulier omnis eadem eſt? Facite, ſperent occultum fore factum ſuum, & eis aurum offerte, profecto vel reginas ipſas hac ratione facile expugnabitis, etiamſi Alceſtide vel Artemiſia caſtiores eſſe videantur. Acriſius Græcorum Rex filiam ſuam Danaen ferrea turre concluſerat, nihil tamen illa ferrea turris obſtitit auro, quo minus regiam filiam expugnaret. Nam poſtquam a Jove plurimum auri ſibi Danae promitti ſenſit, quamvis ex fœtu ſuo patri futurum exitium non ignoraret, tamen Jovem ad ſeſe per impluvium introduxit. Ii nunc & dubita, num ab auro mulieres ſuperari poſſint. Illud quidem certe maxima mihi dignum eſſe videtur admiratione, quod tam imbecillo generi, quale mulierum eſt, tantam vim aurum plerumque adferre ſolet, ut nullo modo tolerari poſſe videantur. Quod etiam Satyricus Poeta cum vehementer admiratus fuiſſet, in carmen illud prorumpere non dubitavit:

In-

Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina dives.

Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare ſit aurum nobilitate præſtantiſſimum, poteſtate maximum; reſtat ut de felicitate, quam adfert hominibus, pauca dicamus. Omnis enim res (ut vere & præclare cecinit Horatius)

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam & Rex,
Et quicquid volet, hoc velut in virtute paratum
Speravit magnæ laudi fore.

Clari natales niſi propter aurum ſplendorem ſuum obtineant, protinus ad obſcuros, tanquam ab equis ad aſinos, revolvuntur. Virtutem & gloriam argento poſthabendam jam antea docuimus. Adde quod ſpernitur etiam virtus ac nobilitas, niſi fuerit auro copulata. Quemadmodum noſter idem Horatius aperte teſtatur:

Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Quid autem honor aut gloria mendico prodeſt? id certe quod equo clitellario phaleræ, aut deformiſſimæ fucus mulieri. Licet enim adeo claro genere natus ſis, ut ipſum etiam Codrum nobilitate ſuperes, tamen niſi fueris etiam (quod ajunt) γρυναῖος ἐκ βαλαντίου, tibi cum claritate & gloria tua licebit eſurire. Nullus te alacri vultu excipiet, nullus te conſangvineus aut affinis agnoſcet. Quod ſi potens &

ſapiens præter cæteros fueris, confeſtim, amiſſa pecunia, potentiam etiam atque ſapientiam amiſiſti. Aurum eſt, quod bona ſecum adfert omnia, virtutem, gloriam, famam, nobilitatem, fortitudinem, ſapientiam, omnem denique felicitatem, & quod vere dixit Ovididius:

Dat cenſus honores,
Cenſus amicitias; pauper ubique jacet.

Si forte quis Gigantum fraterculus bene favente fortuna maximam auri vim ſibi comparet, hunc auri præſtantia nunquam antea cognitum, tanquam ab Eteobutadis originem ducat, in omni terrarum angulo notiſſimum efficiet. Omnes ejus civitatis homines, in qua dives iſte fuerit, etiam ſummo genere nati, ad eum accurrent, ſalutabunt, ducent, ac reducent; nullus erit qui ſibi quærendum exiſtimet, quas habeat majorum imagines, quos avos excellentes dinumeret; eum ſatis ſuperque nobilem aurum efficit. Quid autem felicius ut optabilius eſſe poteſt, quam omnibus placere? ab omnibus ſuſpici? mortales omnes amicos habere? nobilitate cæteris omnibus antecellere? Neque quenquam eſſe veſtrum opinor, Proceres, qui non hominibus ab auro hæc omnia præſtari intelligat, atque etiam longe majora, cum nullius ſit tantum flumen ingenii, nulla dicendi tanta vis tantaque copia, quæ poſſit enarrare, quanta mortales ab auro felicitate cumulentur. Sed tamen

e-

etiam inter auri divites aliquod diſcrimen eſt. Nam qui plus auri poſſederit, is & majorem gloriam & firmiorem felicitatem conſequetur. Neque enim putetis, ſine cauſa jam pridem illud vulgo jactatum fuiſſe:

Quanti habet quisque, tanti fit.

Sed quid argumenti opus eſt? cum nos ipſi quotidie videamus, auri divites omnium eſſe clariſſimos, & inter eos ditiſſimum quemque autoritate & gratia longe cæteris antecellere? Quod nusquam ſane melius quam Romæ conſpicitur: ibi enim ſummus honor auro tribuitur: ibi Philonidas meros & Margitas, vel etiam ſi qui rudiores memorantur, videbitis propter auri copiam in ſummo dignitatis gradu conſtitutos: ibi propter aurum multi homines digni judicantur, qui in puppi ſedeant, & Chriſtianæ religionis clavum teneant. Unum eſt, ut ingenue fatear, quod in tanta felicitate poſitis auri divitibus timendum eſſe videatur, ne ſcilicet aliqua potione tollantur. Non enim poſſunt in una re plures eſſe commoditates, ut non inſit etiam aliquid incommodi. Sed tamen huic periculo facillime ſuccurritur; namque omnes fere religionis Antiſtites quosdam habent miniſtros, quos prægustantes vocant, in quibus, tanquam in Caribus, ſingularum dapium periculum faciant, & inveniuntur fatui, qui propter aurum hoc illis officium præſtent. Neque mihi ſane in dicendo prætermittendum eſt, quantam hominibus fortitudinem aurum

afferre ſoleat, cum præſertim hoc ad beatitudinem pertinere nemini dubium eſſe poſſit. Quanquam, ut ipſe nihil dicam, vos ipſi cognoſcere poteſtis, quam fortes & potentes ſint auri poſſeſſores, quibus ad digiti crepitum omnes obediunt. Satis eſt, ut alicui dicant, hoc negotium bene curato, & bene curabitur; alteri vero, veni mecum, & libentiſſime veniet. Quid amplius deſideratis? An ipſis regibus & imperatoribus ita pareretur, niſi etiam ipſi aurum poſſiderent? Imo vero nullus rex eſſet aut imperator, niſi eſſet aurum. Aurum eſt, quod omnes adfert dignitates, magiſtratus, poteſtates, dominatus, imperia; nullus abſente auro noſtro tempore Pappa, nullus Cardinalis, nullus Epiſcopus fieri poteſt. Sed quid mirum? cum neque ſacerdos quiſquam aut clericus, niſi præſente pecunia, deſignetur. Aurum reges, aurum principes, aurum prætores, aurum denique omnes creat magiſtratus. Non eſſet inter mortales ulla fortitudo, ſi quis aurum demeret. Facite, ſciat aliquis arcam ſuam auri plena meſſe, nihil illo fortius, nihil imperioſius dici aut excogitari poteſt; nullum penitus mortalium verebitur, omnia confidentiſſime faciet & loquetur, omnia omnibus minabitur, nec quiſquam ejus verbis reſiſtere poterit; clamando, contendendo Stentorem aut Gradivum Homericum ſuperabit. Illud enim ſcitum eſt:

Χρυσοῦ λαλοῦντος πᾶς ἀπρακτεῖται λόγος.
Quare creditis Romanos olim totius orbis terrarum imperium obtinuiſſe? non aliam medius fidius ob cauſam, niſi quia plurimum auri congeſſerant, quo duce cunctas hoſtium copias facile profligabant. Quis enim non vel legit vel audivit dictum illud Philippi Macedonum Regis? qui cum arcem quandam invadere decreviſſet, & exploratores, quos ad eam miſerat, retuliſſent, eam expugnari nullo modo poſſe, propterea quod eſſet munitiſſima, petivit ab eis: an adeo anguſtum haberet aditum, ut ad eam neque aſellus onuſtus auro poſſet accedere? Voluit enim prudens Imperator ſignificare, nihil eſſe tam munitum, quod auro non poſſit expugnari. Neque enim Alexander ille Magnus tam longe lateque fines imperii ſui propagaſſet, neque Darium Perſarum Regem ter bello ſuperaſſet, neque totam fere Indiam ad Gangem usque fluvium penetraſſet, nec denique tam magna atque præclara geſta, qualia prædicant omnes, geſſiſſet unquam, niſi, quocunque iviſſet, magnam ſecum auri copiam advexiſſet. Quanta vero illa felicitas eſt, quod, quicquid auri dives tentaverit, id ex ſententia ſuccedit? quod, quicquid vel imprudenter fecerit, id omnes homines vehementiſſime comprobant? Quid? Illud quanti tandem faciendum eſt, quod etiamſi ſtulte vel dicat vel faciat quid auri dives, id ab omnibus ſapien-

tissime factum judicatur? Est enim in illis probatissimis Græcorum sententiis ille venustus senariolus:

Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.

Quid? quod auri diviti quemadmodum crescit amicorum copia, ita etiam cognati, propinqui, atque affines multiplicantur, plures quotidie patrueles, amitini, consobrini, avunculi, patrui, compatres, commatres inveniuntur; qui vero nullum habent cognationis commentum, quo se in divitis familiaritatem insinuent,, ii, si forte paulo nobiliores sunt, eum fratrem charissimum vocant, sin autem inferiores fuerint, patronum aut dominum salutare non dubitant. Denique jam pridem apud Græcos tritissimum est vetustate proverbium: τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς. Hæc cum intellexisset sapiens ille Tragicus Euripides, ita precatus est: *Aurum ex omnibus maxime domi habere cupio: nam servus etiam, si dives fuerit, in honore ac pretio habetur; at vero liber homo, cum pauper est, nihil omnino potest efficere; quare felicitatem in auro positam esse tibi existimes.* Sed alibi longe clarus & apertioribus (ut ajunt) tibiis auri laudes canit: *O aurum, mortalibus pulcherrima felicitas! nam neque mater nobis tales affert voluptates, nec tam filii hominibus, nec tam pater charus est: quod si Venus oculis suis ita fulget, non mirum est si infinitos amores nutriat.* Quanto igitur nos studio convenit aurum acquirere, quod tantas homi-

mi-

mini felicitates adferat, ut eis nihil omnino deſit ad bene beateque vivendum, qvi aurum abundantisſime poſſederint? Multi quidem genere nobilisſimi fuerunt, ut ii, quos Deorum filios credidit antiquitas, Minos, Rhadamantus, Æacus; multi fortitudine clari extiterunt, ut Hercules, Theſeus, Achilles; nonnulli juſtitiæ nomine celebrati ſunt, ut Solon, Ariſtides, Phocion; aliqui dicti fuere ſapientes, ut Thales, Bias, Socrates; alii denique aliis in rebus nomen clarum adepti ſunt: ſed cui ſimul hæc omnia contigerunt, ut idem nobilisſimus, idem fortisſimus, idem juſtisſimus, idem ſapientisſimus diceretur, præter auri poſſeſſores neminem unquam fuiſſe legimus: hi ſoli virtutes omnes conſeqvuntur, hi nobilitate cæteris omnibus antecellunt, hi fortitudine parem nullum inveniunt. De juſtitia quid dicam? cum illam in auri eſſe poteſtate omnes intelligant. Age vero, quis divite ſapientior? quis illuſtrior aut glorioſior? Qvot enim regum & ſummorum principum nomina delevit oblivio; at vero propter aurum ignobiliſsimi etiam ſempiternam gloriam adipiſcuntur. Cur enim Æſopus Tragœdus tantopere memoratur? cur Claudii Cæſaris libertus Pallas? cur Narciſſus ejusdem Principis libertus? cur Pythius Bythinius? cur Mamurra? cur Ciſſamis Cous? cur Callicrates Caryſtius? cur innumerabiles

alii? Quid, quod etiam modicum opportune repertum aurum æternam poteſt homini gloriam acquirere? Quid enim Gygi illi Platonico tantam felicitatem tantamque famam tam ſubito comparavit? nonne, ſi quid Platoni credimus, aureus ille ſolus annulus, quem, cum terræ hiatum fuiſſet ingreſſus, in digito jam putreſcentis cadaveris fertur inveniſſe? Tantam enim aurum illud in ſe vim habuiſſe fertur, ut, qui id haberet, a nemine penitus videretur, cum interim ipſe ſuo arbitrio poſſet alios conſpicari; quod cum animadvertiſſet Gyges, ad Lydorum Regem profectus eum brevi tempore & regno & conjuge & vita ſpoliavit. Sed certior, utpote etiam recentior, Titi Aufidii gloria, qvi cum pauperrimus eſſet, & vectigalium particulam in Aſia redemiſſet, inde auri dives effectus, non ita multo poſt ad tantum pervenit honoris gradum, ut eandem Aſiam pro conſulari imperio obtinuerit. Qvid de P. Rutilio dicam? qvi non publicanus ſed longo tempore publicanorum adminiſter in Sicilia fuit, & cum per hanc artem tam abjectam nonnihil auri ſibi corrogaſſet, Romæ conſulatum obtinuit, resqve plurimas præclarisſime gesſit. Nec te P. Ventidi, majus felicitatis exemplum, ſilentio prætero: qvi in Aſculo oppido mulas agitare primo conſveveras, & a Pompejo Strabone captus in car-

carcerem conjectus es; ſed neſcio qva deinde fortuna, tibi certe maxime propitia, dives auri factus ad conſulatum aſpirari non dubitaſti, qvem adeptus etiam adverſus Parthos, qvos nullus unqvam Romanorum antea domuerat, exercitum educere auſus es, qvibus felicisſime devictis victor Capitolium triumphali curru celebraſti. Hæc eſt auri felicitas & præſtantia.

Qvare agite, ſapientisſimi Proceres, aurum totis viribus acqviramus, aurum amemus, aurum veneremur, auro poſt omnia ponamus. Hoc ſolum nos beatos facere & conſervare poteſt: huic igitur uni ſtudeamus, in hoc unum incumbamus, hoc manibus pedibusqve petamus, qvod qvi posſident, ii ſoli beatisſimi eſſe videantur. Qvis non omnia pericula ſubeat? qvis dies & noctes non elaboret? qvis non etiam vitæ diſcrimine aurum qværat? qvod ſolum (ut copioſe docuimus) nobilitatem, potentiam, beatitudinem, hominibus adferre poteſt. Certe & ſi qvi tam demenres ſunt, ut aurum non diligant, a vobis qvidem, certo ſcio, non ſolum illud diligi, ſed etiam vehementer amari: qva una de cauſa vos omnium, qvos ſol aſpicit, eſtis beatisſimi, Iaque ſæpius a Diis immortalibus ego, id qvod nunc tandem obtigit, ſtudioſe totaqve mente preca-

catus ſum, ut vobiscum habitare mihi liceret, & aliqva ex parte veſtra felicitate perfrui: qvod cum mihi ſumma benignitate Deorum immortalium acciderit, alacriter jam una vivamus, optimi Proceres, & nova ſemper auri comparatione vitam in melius qvotidie transferre ſtudeamus.



PRO-

PROGRAM-
MATA.



PROGRAMMATA
publico nomine edita.

IN FESTUM NATIVIT. CHRISTI.

PRORECTOR
ET
SENATUS
ACADEMIÆ KILONIENSIS
CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.

I.

SALVETE CIVES ACADEMICI; Quidni enim SALUTEM vobis, & plurimam & perpetuam dicamus eo die, quo nobis nata est ipsa SALUS, in Orbe hoc misero & maligno, in animis nostris habitatura: quam à tot seculis prædictam ipsi cœlestes nunciant genii, ac humano generi gratulantur: quam in ipso temporum complemento, quod ipse Temporum Pater ab æterno præfinierat, in lucem editam gaudemus. O san-

sanctissimam temporis istius plenitudinem! quo non, ut profanus olim canebat Vates, Jovis omnia plena sunt, sed quo æterno illo veroque Deo plena omnia, omnes cœlorum orbes, terra tota, ut antea virgineus illo uterus impletus erat: cujus nunc gloria implent universum hoc ætheree mentes, quæ hymnos suos infanti Deo occentarunt. O felicissimum æternitatis & temporis connubium! quo ipsa tempore induitur æternitas, & ad annorum nobis calculos revocari cœpit: quo tempora tot votis expetita uno in momento complevit æternitas; unde ipsa nostræ æternitatis oriantur elementa. Quare & vos monemus, O Cives, ut, quod omnium rerum primum est, in tempore veniatis, hodie scilicet, die semper nobis primo & ultimo: quo in tempore venit Æternus ille, temporumque omnium complementum. Hodie natus nobis est Servator, quem omnia sibi secula nascentem prævideruunt, vos omnibus seculis natum novistis. In ejus nascentis momentum, unde omnia nostra tempora pendent, omnis nostra salus, tota denique æternitas, cogitationes vestras defigite, ut mature ac in tempore Deum, qui in tempore homo natus est, cognoscere, vosque extra tempora positos æternitati inferre discatis. Venite itaque Cives, quærite, circumspicite, ubi positum inveniatis infantem Deum, qua ad ipsum via perveniatis, non alia scilicet quam quæ ipsa cœlo descendit. Non

in

in cœlum nobis eundem est, cui occupando montes olim Gigantes congesserant; neque enim tanto molimine opus est; relinquite colles Gigantibus, & cum Pastoribus in valles, in specus, in tuguria, in stabula descendite, atque illic humi & ante pedes vestros positum cum cœlo ipso Deum atque orbi suo ignotum intuemini: dum ille somno sepultus jacet; totosque Decembres insanit, ac Saturnalia celebrat Roma Orbis Domina; felicior futura, si, cum populorum recensum agit, ipsum inter homines, & Cives suos Deum numerare potuisset. Fallimini, qui è Dialecticorum Scholis inter Transcendentia reponere Deum didicistis: nam ille se hodie in terram; in sordes, in fœnum, ad pecudes ipsas abjicit & demittit. Vos Mathematici, qui rem finitam, infiniti capacem esse negatis, nunc immensum in angulo, maximum in minimo recognoscite. Vosqve, o Cives optimi, quam nihili vel summa illa sint, imo hæc omnia, animadvertite: cum infra summa, infra omnia se depresserit, qvi universi orbis & nunc sui ipsius est architectus: quasi tum demum omnes potentiæ suæ numeros absolverit, cum se humilitate ac tenuitate sua abscondit. Non erat illi locus in diversorio, sine qvo nec locus ipsi mundo, adeoqve bestiarum hospitio suscipitur, quem homines a se expulerant, plus qvam belluini, & eo minus humani, quo plus hominis ac humanitatis boves asiniqve ha-

habuerunt. Cœlo ſuo exiens, in caulam ſe abdidit, ut pulſum e Paradiſo hominem ſuo exilio in cœlum reduceret: Adamum induit, ut Dei imaginem, quam exuerat, ſibi iterum ille circumponeret. Deſcendamus in ſtabulum hoc, Cives optimi, & adoremus illam inter ſordes ſanctitatem, inter homines divinitatem, inter pecudes humanitatem, nec tamen ipſi pecudes, vel Augiæ ſtabula, non uno Hercule κόπρ[?]φόρῳ purganda. Defœcatos enim Regi noſtro mentes adferre æqvum eſt, qui in ſtabulis, inter pecudes naſci, in præſepibus ipſis jacere voluit, cum Reges in palatiis ſplendidiſſimis vivere, inter miniſtros ac ſatellites verſari, in ſolio reſidere ſoleant: ut alium ſe quam hujus mundi Regem oſtenderet: ut verum ſe paſtorem & agnum hoc apparatu declararet. Paſtorem dicimus, verum qui nec tonderet Oves, nec mactaret, ſed ipſum ſe illis in pabulum præberet. Agnum, ſed qui ſe Leonem adverſus Lupos exhiberet. Videamus hic, quam ex abdito, ex ipſis latebris & tenebris humilis iſta majeſtas erumpat. Naſcitur in agro, in ſtabulo Deus, ubi pleniori jure totum quà patet orbem occuparet. Paſtores, antiqui illi ac innocentes κοσμοπολῖται, in hanc velut Regiam ſuam primi ev[?]cantur. Reges ex Oriente ſignis quibusdam moniti advolant. Illis è divina familia deſtinatur nuncius: hi ex ſiderum grege mutum ducem ſeqvuntur. Illi animos & vota adferunt; hi Paſtorum quaſi ſecundarii pompam etiam & ſplendorem ad-

dunt, ac ipsam magnificentiam regiam, ipsos thronos præsepibus submittunt: desuper novum regem stella coronat, velut solem suum, postquam nuncii vices obierat, insecutus Mercurius. Contendant huc omnes è solio suo Reges; Rex enim Regum hic habitat. Veniant è cathedra Doctores; ipsa hic sed elingvis vagit sapientia: Procedant è templis Sacerdotes;ipse in præsepibus jacet &Pontifex& hostia. Quocunque nos vertimus, plena beneficiorum, plena mysteriorum sunt omnia. O diem nullis annnorum, nullis seculorum lingvis satis deprædicandum! O noctem supra omnes dies gloriosam, supra omnia sua sidera luminosam! O ipso meridie, ipso sole splendidiorem! nam novum illa & fulgentiorem è tenebris suis enixa est. Eat nunc alter ille Sol, & Capri cornigeri simulacrum circumferens, ad alterum orbem, ad profanas barbarasque gentes diem proferat: nostra hâc nocte, in nostrum orbem, novus ille sub Agniinermis specie reconditus Sol procedit, larvas Dæmonum dispellit, tenebras ignorantiæ dissipat, nubes Mosaicas retegit, & novum quasi mundum è veteri illo Chao format. Quemadmodum scilicet olim, cum rudem hanc ac indigestam molem tenebræ circumfunderent, una Creatoris vox, FIAT LUX! omnia in ordinem redegit: ita hasOrbi snostri crassissimas tenebras, ipsa simul LUX & VERBUM Patris, mirabili suo fulgore illuminans, sereniorem naturæ speciem circumponit. Quod si olim

No-

Noctem Deorum matrem fabulatores coluere Poëtæ, rectius certe nos hanc, quâ ipſe natus eſt DEUS, noctem veneremur: ſed quam noctem eſſe vetat tanti Solis fulgor, qui nunc oritur. Ac ſane ſi à media nocte diei ducunt initium ſideralis ſcientiæ periti: cur non ipſi ex illo temporis articulo, quo SOL JUSTITIÆ JESUS CHRISTUS in orbem prodiit, dies noſtros ordiamur? Adeſte itaque Cives Optimi, oculos animosque ad lucis illius ſplendorem attollite, & ſi qui tenebris immerſi, aut nocte ſati lemures inter homines verſati fuiſtis, ex oculis cœcitatem, è mentibus tenebras excutite, & in Orcum Noctemque ſuam remittite: Venit feliciſſima illa dies, quæ in apricum vos lucemque producet. Aderit vobis ſpiritu ſuo ὁ πατὴρ τῶν φώτων & igniculos, divinæ in vobis lucis fomites, ſuccendet. Immittet radios ſuos, æterna illa Parentis ſui Lux, cui hymnos hodie canimus, cui preces fundimus, quam ſereno ore ſalutamus. Vigilate, ne in tenebras relapſos ſomnus opprimat, & inſomnia, vanæ caducarum rerum turbent imagines. Videte ut & in vobis naſcatur, qui hodie naſcitur DEUS: ut oriatur in animo veſtro velut in cœlo ſuo, SOL ille JUSTITIÆ, qui fuligines in vobis diſcutiens Lucis vos filios efficiat, & in ſanctiſſimam illam DEI CIVITATEM, ubi nullæ Solem abſcondunt nebulæ, nullæ lucem eripiunt tenenbræ, perducat. P. P. Kiloni d. XXV. Decembr. Anno æræ Chriſtianæ cIↄ Iↄc LXXVIII.

2.

QVæ olim in Gentilium ſacris pronunciabantur voces; quibus & ſilentium imperabatur, & ad bona verba, miſſis malè ominatis, dicenda excitabatur populus: illa ſanctiſſimo hoc die, Cives Academi, vobis iterumq; iterumq; occentanda ſunt. FAVETE LINGUIS, FAVETE ANIMIS. Nam VERBUM illud, MENS PATRIS, cui poſt tot ſeculorum decurſum anniverſaria celebramus ſolennia, JESUS CHRISTUS, humanam ſibi naturam hodie circumpoſuit, Orbemque hunc vitiorum tenebris & ſordibus merſum, divina luce colluſtravit. Erigite animos veſtros, & in hoc myſterio defixos, velut in ſolitudine, velut in ſecreto quodam componite, Percuſſa religioſo horrore mens in tanti admiratione arcani ſubſiſtit, & intra ſe quaſi abdita voces non invenit, in quas diffundatur. Quemadmodum itaque quædam in tacendo conſiſtit, ex Ciceronis judicio, eloqventia: ita maxima divini cultus pars ſubmiſſo abſolvitur ſilentio. Qvi loqui in hoc rerum ſacrarum ludo nondum didiciſtis, tacere primum diſcite; non Pythagorica ſed Apoſtolica quadam ἐχεμυθία, velut primo tyrocinio imbuendi. Compeſcite inſanas voces σπερμόλογοι: comprimite magnificos ſpiritus Ἀρεταλόγοι: Auferte hinc verborum lenocinia vel Sophiſtæ vel aſſentatores λογοδαίδαλοι. Ut unius ſapere VERBI magiſterio aliquando poſſi-

sitis, elingves estote Discipuli, & vel ad Infantiam ejus, etiam sapientibus ineffabilem, obmutescite. Qvæ enim vel ad vagitum ejus humana se efferat eloquentia? Vos a. quibus confirmatior rerum cœlestium sensus est, rumpite tandem, sed piis vocibus, silentia, & bona NASCENTI VERBO verba dicite. Qvidni enim voces ipsi VERBO vectigales habeamus, & cum iis animos mutua affinitate inter se junctos ac jungendos, ut ipse ille λόγος, Mens simul Verbumque Patris, nostro se socians λόγῳ & naturæ, perpetuum in nobis format, si loqui ita liceat, συλλογισμόν. Solvamus illi lingvas in jubila, cujus beneficio & mutuorum solvuntur lingvæ. Procedat nostra ipsi Oratio, sed solo illo absolvenda. Cujus si exordium quæras, VERBUM illud est, quod erat in principio, & rerum omnium est principium: si argumenta, ipse ille λόγος est, Mens Patris, qui se ipsum & animis nostris & Orationi ingerit ἐνθύμημα ac in nobismet ipsis perorat: si finem, iterum Verbum est, infinitum illud, qvod nulli emetiuntur seculorum annales, nulla evolvunt volumina, primus ille & ultimus, & si Verbum in literas resolveris, Ἄλφα illud & Ὤμεγα: qvibus qvasi geminis qvibusdam elementis rerum natura continetur. Nascitur VERBUM, qvod ab æterno pronunciatum, hunc orbem condidit; cumqve dicto in Factum abiit. Promittebatur jam tum in Paradiso: prædixerunt Prophetæ: nunciavit

Angelus Mariæ Virgini, ut verbo conciperetur Verbum: ebuccinavit Vox clamantis in deserto: vagienti occentarunt Angelorum chori: tota ipsius Vita Vox fuit,& ipsa qvoqve mors vocalis, cum spiritum poneret: qui voce illa, per qvam mundi hæc machina fuerat, hominum quoque salutem consummatam proclamabat. Sed & post mortem, cum vitæ & cœlo redderetur, sonus ejus longe lateqve qvicqvid est terrarum complevit, & nunc quoque per extremos illarum recessus dispergitur. Adeo semper sibi simile fœcundumqve VERBUM totum illum ætatis suæ cursum, velut Orationem qvandam continuam confecit, ut simul & vixisse & dixisse visus sit. Adeste, Cives Optimi, & in uno hoc VERBO, quod & docet & discitur, cœlestem illam ἐγκυκλοπαιδείαν, atqve omnem illam, qvæ à DEO est, sapientiam perficite, veri ab hoc Λόγῳ Φιλόλογοι simul & Φιλόσοφοι: præ qvo non nisi λόγοι sunt & deliramenta, quæ humana comminiscitur sapientia. Apud Thucydidem Diodotus vocabat τὺς λόγυς διδασκάλυς τῶν πραγμάτων: Quanto nos rectius λόγον nostrum, divinum illum rerum Magistrum vocabimus, qui ipsa Veritas est, unde & Verbo apud Latinos, si Varroni credimus, sua origo est. Jactabatur olim Pythagoræorum illud Ἀυτὸς ἔφα, qvibus adeo sancta Doctoris sui erat autoritas, ut ab ejus sententia non discederent. Vobis illud infixum alte sedeat: Ἀυτὸς ὁ λόγος ἔφα: Veritas ipsa dixit non solum, sed

sed & fecit. Illa ipsa Sapientia, qvæ cum suum illud ἐγὼ εἰμὶ, ἐγὼ λέγω inculcat, attendite vos VERBO & DEO, & illi, qvæ se ipsam demonstrat, VERITATI. DEUM ipse definit DEUS: Ego sum, qui sum, neque enim aliter definiri potest, qvam per ipsum: Ego sum; Ego dico; Ego facio. Illud scilicet VERBUM est, Sapientia illa, qvæ vocem suam audiri facit in viis, potens ille & verbis & operibus JESUS, qvi cum efficacissimum illud suum ἐγὼ εἰμὶ pronunciaret, milites etiam armatos velut fulmine percellebat. Vera ab hoc VERBO solidaqve paranda vobis Pietas, quæ plurimis hoc tempore nomen inane est, ac præter vocem nihil vivacitatis habet. Vos ipsi, hoc Doctore videritis, ne illud vitæ Verbum in ore tantum, sed ut Vitam Verbi in animis, in pectore ipso spirantem habeatis. Qvod de Philosophia in Philologiam conversa qverebatur olim Seneca, id in Theologiam dici nunc posse qvis non videt? Neqve enim illa qvicquam præter Theologiam est, quæ verba tantum de DEO serere vel doceat vel discat. Multos habemus Chrysostomos, aurei oris homines, aureos montes, aurea byssinaque verba loqventes, sed paucos, qvi fructum aliqvem ferant, Polycarpos. Date ergo operam, optimi Juvenes, ut qvod hodie humana induitur carne VERBUM, in vestrum quoque animis nascatur, sono illo suo non aures tantum stringat, sed ipsa pectoris penetralia perrumpat,

 ac

ac ubi mentes primum afflaverit, in voces prorumpat ipsi VERBO consonas. Neque enim illis, qvi δίφθογγοι sunt, aut Sirenum vocibus aures commodant, aut ad insanam Babelis turbam ac inconditos strepitus obsurduerunt, hic locus est. Non amat VERBUM vel mentes vel lingvas distractas. Qvæ si vobis sunt, subjicite illas VERBO, ut, qvod olim indigestam rudemqve orbis molem temperavit, vos quoque intra vos in ordinem redigat & componat. Invitat vos vocatque VERBUM, ad quod ablegatæ preces, velut ἔπεα πτερόεντα, vos quoque una secum in cœlos rapiunt, ipsique conjungunt. Nam si, ut apud Aristophanem est in Avibus:

Ὑπὸ τῶν λόγων ὁ νοῦς τε μετεωρίζεται
Ἐπαίρεταί τ' ἄνθρωπος
A verbis mens evehitur
Attolliturque homo:

quo non pertingat vel abducat nostra nos oratio, præsertim æterno illo λόγῳ armata ac evocata? Facile enim & VERBUM ipsum exoramus, & per VERBUM omnia ipsosque adeo cœlos expugnabimus. Vos modo ita loquimini, ut vos non audiamus tantum, sed & videamus. Accipite pronis auribus, quas divini præcones, a VERBO nostro quasi repercussas voces qvotidie vobis ingerunt, ne illi surdis narrare fabulas, aut verba facere mortuis videantur. Sic eveniet aliquando, ut qvod Caro nunc factum est ac habitavit in nobis VERBUM,

BUM, e tumulis excitos illuc perducat, ubi ῥήματα ἄῤῥητα, piarum mentium jubila, cœleſtiumque Geniorum hymni ſvaviſſimis concentibus aures veſtras æternum circumſonabunt. P. P. KiloñI. d. XXV. Decembr. Ao. cIↄ Iↄ c LXXIX.

3.

ILluxit nobis, Cives Academici, dies ille, quo DEUS humanâ care indutus, in totius orbis ſalutem natus eſt, in lucem hanc, juſtis temporum orbibus elapſis, ipſa patris ſui Lux, & Verbum, è virginis utero proceſſit. Agite ergo, dicamus bono hoc die, bona verba, ipſi Verbo, cui naſcenti aderant obſtetricii ſanctiſſimorum Geniorum concentus. Bonus ille dies eſt, quem fecit Dominus, imo optimus maximusque dierum eſt, quo Optimus Maximusque Salvator laboranti rerum naturæ & pereunti hominum generi ſua nativitate ſubvenit. Vocabant non Græci ſolum καλὰς ἡμέρας ſed & Latini *bonos dies*, quæ in honorem Deorum celebrabant, Saturnalia, Liberalia, Hilaria, Aphrodiſia: & καλήμεροι dicebantur, qui illorum dierum ſtudioſi erant obſervatores, ut μισοκαλήμεροι, qui profani, moroſi, tetrici nulla feſtivitatis voluptate perfundebantur. Adeſte vos ſanctiore ſenſu καλήμεροι, o Cives, & in hujus diei miracula animos veſtros oculosque convertite, ac effuſis in

jubila lingvis, prono in pios amores pectore, tales vos gerite & ostendite, ut omnes longissime a profanis illis, qui *μισοκαλήμεροι* salutabantur, abesse videamus. Eritis autem *καλήμεροι*, si cum universo sanctiorum hominum cœtu, si cum cœlitum ipsorum svavissimis choris bona verba, non illa tantum in labris natantia, sed in ipsis præcordiis nata dixeritis. Elegans apud Judæorum philosophum præstantissimum Philonem vel fabula vel allegoria est: Deum, ubi hujus Universi machinam perfecerat, e Prophetarum suorum aliquo quæsivisse: ecquid sibi de opere hoc videretur; an omnibus suis numeris absolutum, an quadam sui parte laboret vel deficiat: respondisse vero illum: omnem hujus universitatis formam sibi videri undique expletam, unum autem se requirere horum operum laudatorem *λόγον* sive sermonem: illud vero Sapientissimo Creatori adeo placuisse responsum, ut genus quoddam canorum & Musicum ex una divinarum potentiarum virgine Mnemosyne produxerit. Quod si & nos piæ huic fabulæ locum relinquimus, excitanda in nobis hoc præprimis tempore illa harmoniæ vis est, laudesque Deo omnium rerum opifici cantandæ, qui ab æterno genuit Verbum omnium non hominum tantum, sed & clœitum, omniumque orbium cœlestium, si qui sunt, concentibus celebrandum. Cecinerunt hodie aulæ æthereæ præcentores hymnos suos nato Orbis Salvatori, & Pastori-

bus

bus jam Deo cognatis, pacem salutemque annunciarunt. Hæc ad nos quoque pertinent, imo & ad Vos, o Cives Academici: flectenda in cantus lingva est, & quæ svavissimis modis verba præiverunt Angeli, omni intentione exprimenda, ut & mens & lingva vestra, cœlo consonet. GLORIA IN EXCELSIS DEO! PAX IN TERRIS! HOMINIBUS BONA VOLUNTAS. O quam svave hoc quod divinis his Phonascis docemur tricinium! quod cœlum cum Terra, Deum cum homine ineffabili harmonia connectit. Prima elatiorque vox Gloriam Dei ἐν ὑψίστοις canit: Infima pacem sonat in terris: media inter has bonam voluntatem hominum pulcherrima concentione duabus illis attemperat. Cum Dei quæritur gloria, Pax regnat in terris, in hominibus bona triumphat voluntas, nulla svavior modulatio & Symphonia est, ut Pythagoricum illum Orbium hujus universi concentum præ illa fastidire, aut cum fabulis explodere possimus. Hunc nec aures nostræ capiunt, nec mentes: Illam non tam aures, quam mentes nostræ comprehendunt, & cum ejus imbuuntur tirocinio, jam tum in his terris, supra orbium inconditos strepitus verticesque elati, divinæ voluptatis sensu perfusi, in cœlis ipsis versari sibi videntur. Quod si vero sua quædam etiam orbibus modulatio est, illa est, qua cœlos gloriam Dei enarrare divinus dicebat Psaltes, quam canticis suis hic deprædicant Angeli, omnium etiam infantum lin-

lingvæ extollunt. Acclamant Deo nascenti aulæ divinæ proceres, nostræ salutis causa triumphos illi canunt, qui super uno peccatore resipiscente lætantur in cœlis: & nos humi repentes homunculi, quos infinita sua gratia Deus respexit, non attollemus caput, ut gloriam demus illi qui regnat in excelsis, excelso super omnes gentes Domino? Exclamemus itaque exultabundi alta voce cum Paulo: Μόνῳ σοφῷ, σωτῆρι ἡμῶν δόξα καὶ μεγαλοσύνη, καὶ κράτος, καὶ ἐξουσία νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας! PAX EST IN TERRIS. Epinicion canamus, Victori Deo! Prostratus enim jacet antiqvus ille Draco maxima capitis deminutione, vel potius comminutione mulctatus, frustra jam in perniciem nostram intentus. Pax nobis cum Deo est. Sequester enim noster hodie natus est, qui Deo nos conciliavit. Quare sancte custodiamus divinum hoc pignus, ne qua nos a Deo divellant dissidia, ut arctissimo amoris & pacis vinculo & fratribus nostris jungamur, eo propius juncti Deo: ut denique in nobis ipsis, inque animo nostro pax nullo affectuum hostili insultu concussa regnet, & divinæ voluntati acquiescat. Atque ita demum BONÆ erimus VOLUNTATIS Homines, si divinæ nostram subjecerimus. Nullus sine Deo Vir bonus est, ajebat ille è Stoicorum Schola Philosophus Seneca; nulla sine Deo bona voluntas, per quam sumus boni Viri, imo Christiani. E Romanis Varum gravem & *bonæ*

vo-

voluntatis virum depingebat Vellejus: εὐπροαίρετον Græci dicunt: quod ut eximium Civis boni elogium, ita & in Dei Civitate partes absolvit maximas: nam qui bene & recte vult, Deo autore bona faciet. Bonum itaque factum, si bonam nobis mentem precemur mutuo, & ut bonam in nobis conservet voluntatem Deus, qua ut nos bene volumus, ut aliis bene cupimus & facimus, ita nobis bene volet facietque Deus. Hæc pia vobis mente sunt recolenda hoc tempore, o Juvenes, ac præcinentibus ætherearum mentium choris vestræque pietati præmoderantibus, in eosdem vos hymnos effundi æqvum est. Quos meditatione etiam pia ante ipsum pervigilium præcipere oportebat. Sed quam fœdas his diebus voces emiserunt e vobis nonnulli. Quam discrepabat ille vester a cœlesti Musica cantus! Illic audiebantur antelucana filiorum Dei jubila: Hic comessatorum boatibus personabant omnia. Illic Gloriam Deo in excelsis accinebant ætherei Phonasci; Hic Baccho Eleleu suum & Evoe acclamabant nocturni Stentores. Illic Pacem Terris denunciabant divini Feciales: Hic plusquam militari barritu grassabantur Gigantum fraterculi, clamoribus suis vel ipsam Cœlo Lunam excussuri. Illic bona hominibus voluntas occentabatur: Hic ab ipsa bona mente discessum est. Quod si ex Aristoxeni sententia anima harmonia est, quam illa clamatoribus illis ἄῤῥυθμος & ἀνάρμοστος est! Irridebat Dioge-

genes Muſicos, quod chordas concinne aptarent, & mores haberent inconcinnos: quid de illis dicturus fuiſſet, qui Muſarum ſacra ſeqvuntur, & quibus, ut Cicero ait, nihil virtutum concentu ſvavius eſſe debebat, ſi plusquam Bacchica Orgia & ipſa Corybantum ſacra agitare vidiſſet. Si, quod Pythagoræis placuit, totus homo ſecundum melodiarum, quas edit vel audit, indolem, hujus vel illius Numinis receptaculum eſt: quo vos ſpiritu actos creditis, cum in Cyclopicas has voces & homine indignas prorumperetis? Neque enim comites vobis fuerint præcentores illi Angeli, ſed vel tenebrarum ille princeps ὃς περιπατεῖ ὥς λέων ὠρυόμενος: vel illa

Nocturnis Hecate triviis ululata per urbes.

Exuite tandem, quicunque eſtis, malos illos mores, toties à nobis moniti, ne ſeverius in illos animadvertendi nobis imponatur neceſſitas, ac divinis laudibus decantandis, Cantores Angelos & pios imitati homines, totos vos, quanti quanti eſtis, non in his tantum feriis, ſed omnibus vitæ diebus impendite. Omnibus denique membris, Davidis exemplum ſecuti, ſanctiorem iſtam harmoniam Deo edite. Cum illo, quando os oculosque cœlo attollitis; inſonabitis: *Exultabunt labia mea cum cantavero tibi: Oculi mei ſemper ad Dominum.* Hinc cum manus protenditis, dicetis: *Elatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Cum in carnem veſtram atque adeo in oſſa ipſa ac interiora de-

deſcenditis, has ejus voces exprimite: *Caro mea exultavit in Deum vivum. Omnia Oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? Confitebor tibi Domine in corde meo.* Ita quos corporis totius natura, figura & intentione motus ciebitis, velut cantu ſonos, Deo conſecrabitis, tandemque poſt beatum è terris exceſſum, cœlitum miſti choris perpetuos triumphos per immenſa ſeculorum ſpatia decantabitis. P. P. ipſis Natalitiorum Chriſti feriis. Ao. ClƆ IƆC LXXXI.

4.

QUando hodie Dei ἐνσαρκωθέντος memoriam celebramus, Cives Academici, quando divini amoris μεγαλεῖα extollit Eccleſia; illud nunc omni ſtudio nobis agendum eſt, ut ad hujus contemplationem myſterii animos quoque noſtros inſtituamus. Exoſculemur illum Dei amorem, quem etſi non cœlorum orbes comprehendunt, non terrarum profunda terminant; cum Apoſtolo tamen omnibusque ſanctis, ejus longitudinem, latitudinem, profunditatem, ſublimitatem pio atque cœleſtibus gaudiis immerſo animo, quantum per noſtram anguſtiam licet, metiamur. Noviſtis e Gentilium tum Poëtarum, tum Philoſophorum Scholis, antiquiſſimum inter Deos haberi Amorem & Cupidinem, qui rudem hanc indigeſtamque molem primum digeſſerit, corpora in

in ordinem redegerit, suis singula vinculis colligarit, suo omnia spiritu regat & moderetur. Illum in hymnis suis Orpheus mundi Architectum prædicat: illum Phœnicum Theologia, Eusebio teste, procreationis rerum omnium principium constituebat. Neque abludit Platonicorum Schola, quæ omnia Amore & Pulchro definire videtur: A superioribus enim ad inferiora perpetuus, si illis credimus, amoris fluxùs est, ab his ad illa idem est, eademque per vestigia, quanquam tardior refluxus. Ut itaque reciproco amoris motu agitata natura in mutuis his amplexibus subsidat & gratissimæ quieti restituatur. Non opus est, Cives Academici, ut hæc gentilis sapientiæ vela æternæ veritati obtendamus. Neque enim solis illa radio, quod dicitur, sed ipsius Dei digito cœlestibus inscripta tabulis est. Deus ipse Amor est, quo ille titulo salutari maxime cupit, quo ille quasi charactere quodam noscitur, quem ipse, teste Apostolo, erga nos opere, verbis commendat, ut nos illum animo comprehendamus, lingvis eloqvamur, amore mutuo provocemus! Quantus vero Dei amor est, qui ipse quantus quantus est, Amor est. Si secum habitare atque in arctum compingi non potest amor, immensus ille in immenso Deo est; & quis mortalium latitudinem, longitudinem, profunditatem, sublimitatem ejus assequetur? Qua orbis hic universis patet, imo qua ipse Deus, Amor ille tenditur, quanta la-

latitudo! Ante omnium ſeculorum initia, cum neque mundus e nihili clauſtris prodierat, neque nos eramus, amor ille exarſerat, quanta longitudo! In terram, in ſtabulum, in uterum virginis, in animos hominum, imo hoſtium deſcendit. quanta profunditas! In cœlos & ſupra omnes cœlos tollit tolliturque Amor ille. quanta ſublimitas! qui vel ipſa profunditate ſua, cum per ſublimitatem non poſſit, creſcere videatur. Quod ſi Amor vulgato proverbio magis deſcendere quam aſcendere dicitur, Dei quoque Amor primum deſcendit, atque iſta deſcenſione ſua gloriam ſuam per omnes cœlos, per totum terrarum orbem omniaque ſecula diffudit. Cum orbem hunc condidit, in ipſam abyſſum deſcendit, amor divinus, omniaque virtute Verbi produxit. Non enim audiendi ſunt ſapientuli Epicurei, qui mundum hunc & quicquid illo continetur, per particularum modum productum autumant. Ajunt vel deorſum illas moveri, vel ſurſum, vel ad latera, atque ex horum motuum concurſu concreſcere illa corpora. Nihil illo ſtultius dici poteſt. Amor divinus (nam & illum γεωμετρεῖν cum Platone dicemus) cum ſe demitteret, ac deorſum moveretur, hæc corpora compegit. Agnoſcite hic ejus profunditatem! Idem cum ſe explicaret & ad latera diffunderet, vaſtitatem hanc expandit. Agnoſcite hic ejus latitudinem! Idem cum ultra cœlos cœlorumq; orbes elatus eſt, illa nobis ἀόρατα & inacceſſa

fabricavit. Agnoſcite hic ejus ſublimitatem! Primum hoc Amoris divini ſpecimen. Sed quantum illud eſt ab omnibus ſeculis abſconditum myſterium! quo nos per peccata æternum miſeros, ab inferorum ſuppliciis æternæ ſaluti aſſeruit. Amavit Deus orbem, cum illum conderet; ſed nunc ita amavit, ut & filium unicum humana carne veſtitum in orbem mitteret, ut in mortis atrociſſimæ ſupplicium pro redimendo humano genere traderet. Obſtupeſcat hic humana intelligentia, hinc profunda admiratione, illinc religioſo ſilentio ſuſpenſa. Neque tamen ſilentio abſcondi illa fas eſt, quæ omnium Oratorum vocibus celebrari, omnium gentium, ſeculorum lingvis diffundi debebant. Excitemus potius lingvas in jubila etiam incondita! Prorumpant illæ gaudentium & gratulantium tumultuariæ voces: lapides ipſos ſolitudineſque in ſocietatem hujus gaudii ſollicitemus: quibus exemplo ſuo ipſi cœlorum orbes, eorumque incolæ præludunt. Nunc verum illud amoris divini ὕψος veneramur, cum ſe ad iſtam humilitatem demittit. Amoris divini majeſtas in humilitate maxima eſt. Cum in utero virginis reconditur, in ſtabulum, inter ſordes & pecudes abjicitur, cum ſervi ſpecie divinitatem tegit, cum crucis infame ſupplicium ſubit, cum ſepulchro componitur, quis non exclamet. *Quantus Dei erga homines amor eſt! Quid eſt homo quod memor eſt ejus? aut filius hominis, quoniam viſitat eum?* Scilicet ut in

ſym-

symbolis suis humilitatem semper respexit Deus; nam in plantis vitem, in animalibus agnum, in avibus columbam elegit: neque in cedris aut excelsa Jovis arbore, sed in humili arbusto Moisi apparuit; ita cum homo factus est, quicquid abjectum vilissimi hominis conditio habere potuit, subire voluit, ut eo perfectior Amor esset, quo erat humilior. Illud quoque singulare in Amore divino est, quod, cum humanus amor similitudine animi & morum excitetur, ille e sola tantum bonitate processerit. Nam sui dissimilimos, peccatores, hostes suos homines amavit Deus, qui vel persecutorem suum Saulum, amore suo in Paulum convertit. Quo magis nobis opera danda est, ut ipsius similitudinem vita exprimamus, cum ille degeneres perditosque nos tanto amore prosecutus sit. Dignus enim amore amor est, & ut amemur, imo cum amati simus, amabiles nos præstare æqvum est. Amemus itaque Deum, ac primo omnium cognoscamus τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην. Tantus enim ille amor est, ut stupidæ mortalium mentes ejus vim nulla cogitatione assequantur. Diligere amicos solemus homines, ob virtutem & merita; Nos vero Deus homines, æternus mortales, Optimus scelestissimos, Maximus qui nihil erant, non dilexit tantum, sed & amavit, atq; ita amavit, ut filium suum, ut unicum, ut pro hostibus daret. Quanta quam infinita Dei bonitas est! cui cum perditorum hominum facilis esset ja-

ctura, cum vel unius spiritus afflatu novos eosque innocentes creare potuisset, ne filio quidem suo pepercit, ut lapsos morti eriperet, ut hos è familia Adami perduelles servaret. Irruamus itaque o Cives eò cupidius in hos Dei amplexus, quo ille patentioribus ulnis nos exspectat. Sursum corda! Extollamus animos! Ascendat etiam Amor noster, ut descendenti de cœlis Deo occurrat, ut pectori ipsi visceribusque ipsis immergat, qui sangvini nostro inenarrabili mysterio misceri voluit, cujus ipsæ beatissimæ mentes spectaculo triumphant & exultant. Non debet intra pectoris penetralia coërceri ille amor, nimis enim anguste illic habitat, sensus ille omnes ac membra perrumpat: oculis scintillet, ut imaginem divini amoris menti fortius imprimat: aures ille aperiat, ut blandientis VERBI delicias excipiat: os & lingvam solvat, *ut gustet quam svavis sit Dominus*: brachia manusque extendat, ut vel cum Thomâ amores suos palpet: pedes nostros erigat, ut in via Amoris dirigantur, vel Mercurii talaria circumposituri: pulmonibus ipsis spiret: in arteriis ipsis palpitet, ut simus Amatores *ὁλοκάρδιοι, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro & ex visceribus nostris.* Non erimus inter illos Mundi Pamphilos, qui noctambulonum more cœco amore huc illuc feruntur, & in omni specie hærent, perpetui formarum inanium spectatores, qui in omni labyrintho animum circumducunt. *Dei amor svavis est*, inquit B. Augustinus) *& quietus: nam pe-*

pectora quæ possidet svavitate & dulcedine replet. Amor verò seculi & carnis anxius est, & perturbatus: animas certe quas ingreditur quietus esse non patitur. Semper enim suspicionibus & perturbationibus variisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque o Deus es delectatio pectorum & meritò. Qui intrat in Te Bone Domine, intrat in gaudium Domini sui. Hunc itaq; amemus totum toti, & è Pythagoræ præcepto Uni, nec variis votorum figuris divisi: nam cum illum amamus, qui omnia est in omnibus, nihil amare potius possumus: nulla enim humana, nulla terrena, utut splendida, utut illustria, pectus saturant, sed cor potius edunt, & animos strangulant. Æqvum est ut illi reddamus, quod ipse a nobis efflagitat, *ἀντίδωρον*, Cor nostrum. Si Magi Orientis illi fructus obtulerunt, nos primitias cordis in strenam offeramus. Nos primo & ultimo, illud quod in nobis primum vivit & ultimum moritur, cor dabimus ut vitæ mortisque arbitro & qui nos vitæ æternæ asseruit, toti consecremur. Demus illi cor nostrum, quod quidem donum locupletiorem ipsum datorem non efficiet, nam nullum a nobis Deo datur beneficium, nisi quod ipse paterno amore interpretari velit. Neque enim splendidum Solem fumosa facula illustraveris. Dabimus cum corde illi spiritus, ipse enim spiritus est ac pater spirituum: neque placere illi corpus; nisi corde obsequioso animatum potest. Hecatombas offert, qui columbas cum bono corde. Demus cor totum atque inte-

grum, non partem. Genuina enim mater, dividi nolebat filium. Deus quanquam amat tritum & fractum cor, non tamen vult divisum. Particulas ergo omnes vult non unam partem. Cor Deus requirit, non lingvas. Nil attinet lingva disertum, aut, quemadmodum fama à Poetis pingi solet, multis lingvis auribusque præditum esse, nisi unum cor habeas, quod omnia capiat, e quo omnia in tot lingvas egrediantur. Vel suspiria fracta a corde fracto provenientia omnem eloquentiam superant. Non manus illi excordes placebunt. Potior enim Scævola est in operibus bonis cum bono corde, quam Briareus centimanus sine illo. Non Capita ille tantum & cerebrum requirit, id est meditationes inanes disputatiunculas argutas. Nam quod vulpes olim in fabulis: o pulchra capita si cerebrum haberent: nos de iis dicamus: o pulchra capita si cor habeant! Quo doctiores sumus, eo magis ignorantiæ arguimus nos ipsos, qui in effectis eruendis copiosi, in causis succumbimus. Multum strepitus excitamus in rebus, quarum ignorantiam prodere honestius longe esset & utilius. Profiteamur potius veritatis illam & bonitatis sapientiam, quæ omnem superat scientiam, inque illa nos exerceamus, quo Deo similes reddamur. Hujus quoque in nobis altitudinem, latitudinem, profunditatem ad divini amoris exemplum spectemus. Ascendat amor filiorum ad Patrem, imo evolet. Si in illo flamma amoris

ris est, vel scintilla in nobis sit, aut reflexus aliquis a sole radius sursum ad Patrem illum luminum tendat. *Deus charitas est* (agnoscite verba Johannis) *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nihil amore nostro sublimius, si pulcherrima quasi ἀποθεώσει in Deum extollitur. Succedat altitudini statim latitudo & profunditas, eodem nos docente amorum Magistro Joanne: *Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus mutuo diligere.* Divini Amoris luce irradiata mens latiores sparget radios, aliosq; etiam infra se positos illustrabit. Quod corporibus olim in creatione insitum fuit: *Crescite & multiplicamini*, idem animis quoque nostris dictum esto. Non steriles illos sed fœcundos esse voluit Deus, qui quo plura spargent amoris sui semina, eo majori cum fœnore adolescere videbunt. Quod si Deus ipse, qui nihil a se humani alienum esse voluit, qui ipse homo factus est, tantum habet humanitatis, ut nihil neget petentibus, tantum & nos adjungamus ad humanitatem divinitatis, ut necessitatibus miserorum subveniamus, hominibusque nos nostris beneficiis, si ita loqui licet, Deos præstemus. Quod si fecerimus, fortioribus nos vinculis inter nos Deoque obstringemus, amoremque mutuum firmabimus, ut jam spiritu divino pleni cum Paulo triumphos canere possimus: *Quis nos separabit a dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num gladius? In his omnibus superamus per*

cum qui dilexit nos. Certi enim ſumus, quod neque mors, neque vita, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos ſeparare a dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro. Valete P. P. ipſo Natalitiorum Feſto An. cIↄ Iↄc LXXXV,

---

5.

QUod iis accidere conſvevit, Cives Academici, qui e ſervitute in libertatem, e tenebris in lucem, e morte in vitam reſtituuntur, ut inſatiabili gaudio compleantur; id nos facere multo æquius eſt, eo tempore, quo Orci faucibus erepti æternam ſalutem recuperavimus: ut omni quo poſſumus pietatis ſenſu lætitiam hanc anniverſariam teſtemur. Quare quod ſemper nobis faciendum eſt, id nunc præcipue agamus, ut hujus beneficii magnitudinem animo revolvamus, & in hoc myſterio omnem ſpiritum, omnes cogitationes defigamus. Secedamus in nos ipſos & in mentis ſpecula conſtituti τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, quod Apoſtolus nobis aperuit, ejusque abyſſum attentius intueamur. Audiamus illum e cœlo tertio ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις Doctorem, cum illud ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον nobis proponit, in priore ad Timotheum Epiſtola cap. III. commate XVI; cujus ille ἀπόδειξιν Spiritus S. quaſi digito delineatam

tam

tam illic instituit. Quod si ad accuratiorem trutinam verba illa exigamus, mirifica brevitate integra illis Theologia continetur. Brevis illa de VERBO περίοδος quidem est, sed justa simul oratio, atque adeo omnes ejus partes complectitur; ut vix sexcentis commentariis eam emetiaris. Vel ipsum & argumenti & orationis ὕψος in exordio animadvertas, cum ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον τῆς εὐσεβείας vocat: tribus enim verbis omnes illos cati oratoris in sermone inchoando virtutes exprimere videtur: nam & attentionem a magnitudine rei provocat, & docilitatem ab evidentia ostendit: cum omnium conscientiam appellat, cum rem certissimam indubitatæque fidei esse ait: id enim vox ὁμολογουμένως profitetur. Mores atque affectus per veritatem, majestatem ac pietatem, cujus ille mysterium traditurus est, declarat. Porro ipsa Mysterii vox, cum rem occultam significet, intellectui humano non pervestigandam, quæque Deum interpretem requirat, &, ut Apostolus ipse alibi περιφράζει: τὴν σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην: sacro horrore animum perfundit & in admirationem ac venerationem convertit. Neque tamen intra silentium nunc subsistit hoc μυστήριον: quo apud Gentes abscondi falsa etiam sacra solebant, sed quoniam ὁμολογουμένως μέγα audit, ac Deus jam seipsum manifestarit, in populos nunc hoc præcone mittitur. Quod ut antea sanctorum Vatum oracu-

lis prædictum, divinarum mentium carminibus nunciatum, nunc a Paulo cæterisque Discipulis per orbem terrarum spargitur. Cum magnum hoc mysterium nominat, ideo magnum dicit, quod omnium gentium mysteria præ uno hoc summo, immensò nihili sint facienda: & quod imaginum & typorum mysteriis olim adumbratum, nunc in plenitudine temporis revelatum sit, omnesque ad illud populi non ut spectatores tantum & ἐπόπται, sed etiam ut sacerdotes (hujus enim tituli prærogativam ipsa ἀποκάλυψις tribuit) quam amplissime invitentur. Præterea Pietatis hoc mysterium non sine causa Paulus vocat. Ad homines enim potius, quorum saluti hoc destinatum est beneficium, quam ad Deum ejus autorem relatum vult. Quare cum divini amoris, clementiæ, sapientiæ, bonitatis mysterium, dicere potuisset, majus quid sibi dicere visus est, cum pietatis mysterium nominat; ut vel ex ipso hoc nomine salutem nostram discamus. Inutile enim nobis divini amoris foret mysterium, nisi in pietatis nostræ mysterium, vita integra sanctisque moribus converterimus. Magnificum Orationis Paulinæ προοίμιον, quanta quam mirabilis illa θέσις excipit! Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. *Deus apparuit in carne.* Hoc scilicet illud est à seculo absconditum mysterium, in quo cogitationes nostræ stupent, lingva obmutescit, totaque mens nostra fatiscit. Neque enim jam amplius in simu-

mulacris divinæ promissionis hæremus: sed ipse DEUS oculis nostris conspiciendus, manibus palpandus sistitur: verba ejus audivimus, vestigia terris impressa vidimus. Atque adeo ὁμολογουμένη, hæc Salvatoris nostri fuit ἐπιφάνεια, qua se toti orbi manifestavit. Eant jam suamque ostentent θεογονίαν Gentiles; Nos Dei ἐνσαρκωθέντος ἐπιφάνειαν, in Christo Salvatore, unico DEI filio, celebramus. Hujus ἀποδείξεις ordine nunc adducuntur ab Apostolo, ut veritas eò sit manifestior, neque à quoquam in dubium vocari possit. Percenseamus illa ejus τεκμήρια, è quibus aliqua cum ipsa ἐπιφανεία sunt conjuncta, aliqua illam conseqvuntur; postremum verò complementum reliquorum in assumtione gloriosa consistit. Ac primas hîc tenet character ille & sigillum Spiritus: nam ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, si quis illum ἐν σαρκί esse negatum iverit: ut ἐκ τῶν ἐναντίων major probationi vis & efficacia accedat. Spiritus ille divinus, qui profunda DEI scrutatur, cujus obumbratione conceptus est, qui illi in Baptismo supervenit, qui in miraculis ejus se exeruit, qui post ἀνάληψιν ejus, se in Discipulorum vertices effudit, suo ubique rei veritatem suffragio comprobavit, & vel invitis & reluctantibus, (quorum in numero Paulus quoque fuit,) fidem extorsit. Ad veritatis enim potius declarationem, quam ad justitiæ probationem verbum δικαιοῦσθαι hic refertur: etsi non desunt,

sunt, qui posteriori quoque sensu acceptum velint: quod à mente tamen Apostoli alienum esse videtur. Idem quoque ille Spiritus est, qui in nobis de Christo testimonium perhibet, & nos πνευματικοὺς facit, ut cum sensu non liceat, intelligentia τὰ νοερὰ & illud præcipuè mysterium complecti possimus. Nam, ut ipse ad Corinthios scribens Apostolus, ait, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec subierunt cor hominis, DEUS per Spiritum suum nobis revelavit: qui nunc quoque Spiritus ὁμολογουμένως tum per se ipsum, tum in Christo, in vatum oraculis, in animis nostris testimonio τὴν τοῦ Θεοῦ φανέρωσιν confirmavit. Succedunt Spiritui Angeli, quos è secunda Classe testes Paulus producit. Ex tribus enim ille Ordinibus, à cœlo ad terram, Deo, Angelis, hominibus documenta illa sua conquirit. ὤφθη, inquit, ἀγγέλοις, *visus ab Angelis.* Nam hominibus ille quidem ἐν σαρκί manifestatus, à mente nostra non nisi per Spiritus παιδαγωγίαν comprehensus: (quod enim non Petro: nec nobis caro & sangvis revelarunt) Angelos verò ἐνσαρκώσεως suæ testes αὐτόπτας, præcones, satellites habuit. Qui tamen ipsi non intentâ adeo visione vel cognitione hujus mysterii fundum penetrarunt, ut non majore usque desiderio in contemplationem ejus ferrentur, & in illud quasi remoto paululum velo παρακύψαι laborarent. Hi scilicet arcanorum consci-

ſcii, & divinæ voluntatis interpretes, antequam conciperetur, prædixerunt. Hi nato acclamarunt: cum Satanas tentaret, miniſtros ſe præbuerunt: hi in anguſtiis animi conſolabantur: hi è mortuis ſuſcitato; hi in cœlum ituro comites; hi teſtes fuerunt: ut & hac parte *ὁμολογουμένως φανερωθέντα* cenſere poſſimus. Tandem ut per tres orbium & mundorum ordines τρισμέγιστον hoc argumentum ſuum deducat, & veritatem illam *ὁμολογουμένην* & magnitudinem myſterii probaturus, ſubjungit illud: *ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσι*, *prædicatus in gentibus*. Scilicet per Lucem & Vocem ἐπιφάνεια hujus myſterii proceſſit. Diffudit ſe æterna à Patre LUX, mirabili illa ſibique tantum cognita emanatione & ἐπιφανείᾳ: patuit hinc Angelis: orbi ſe novo ſidere prodromo oſtendit: venit in mundum, ut illuminaret omnem intellectum. In principio fuit hoc VERBUM: Angeli annunciarunt: Prophetæ prædixerunt: Apoſtoli prædicarunt, perque omnes populos diſſeminarunt. Ad homines tendit unicè, ut apud illos præcipue ſit *ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον*: quorum ſaluti infinito amore ſuo DEUS proſpexit. Neque tamen venerabilis ille Apoſtolorum ordo hunc *θεάνθρωπον*

Montibus & Sylvis ſtudio jactabat inani:

ſed, quod ſummum eſt hujus myſterii myſterium, & efficacisſimum ad ἀπόδειξιν robur, *ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ*, *creditus in mundo*: ut nihil jam amplius reſtet, quam ut *ὁμολογουμένως μέγα*

μυ-

μυςήϱιον cum tripudio efferamus, & vetere illa formula: ὅπερ ἔδει δεῖξαι obsignemus. Vere enim ultimum in hac ἐπιφανείᾳ Fides est, per quam verè μυςήϱιον τῆς εὐσεβείας in nobis nascitur, principiumq; τῆς ἐν δόξῃ ἀναλήψεως, quã ultimo hic loco, velut ἐπίλογον orationi suæ Apostolus subnectit, ut nos ad eundem scopum collineemus; Ac redit hic quoque quasi in orbem oratio, quæ ut Θεὸν ἐφανερωθέντα ἐν σαρκὶ è cœlo in terram deduxit, ita extremis verbis in cœlum reducit: ut vel ex mysterii hujus consummatione, ejus exortus pateat: atque ita à meta ad carceres, spatio jam confecto, hæc ἀπόδειξις recurrat. Vos jam, ô Cives, animos vestros totos in hac contemplatione defigite; ejusque ἀποδείξεως vim perpendite: quæ non in *persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis* consistit, sed in illa, quam ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως alibi Paulus vocat: hic in fronte probationum suarum collocavit. Longa nobis instituenda esset oratio, ô Cives, si quemadmodum etiam in vobis illud μυςήϱιον τῆς εὐσεβείας, excitari debeat, dicturi simus. Nam procul hinc abesse debent profani & ἀμύητοι, & apud quos μυςήϱιον τῆς ἀνομίας regnat. Hic sane in vobis etiam nasci debet, & sua quadam ἐπιφανείᾳ declarari. Accedet testimonium Spiritus, qui intra vos *de vobis ipsis, quod filii DEI sitis*, testabitur. Testabuntur Angeli in societatem & ministerium pietatis admissi. Ipsi quoque homines, quos mutuo amore com-

ple-

plectimini, de hujus in vobis mysterii ἐπιφανεία testabuntur. Fides denique ipsa omnium ordinum consensu ac suffragio ὁμολογουμένως DEI non filios tantum, sed & fratres confirmabit, atque in ejusdem gloriæ possessionem immittet. Valete P.P. ipso Natalitiorum festo Anno clↄ Iↄc LXXXVI.

QUI a Christo nomen ducimus, Cives Academici, hujus diei, unde omnis nostra salus est, memoriam ita celebrare debemus, ut nullum nobis sanctiorem feliciorémque illuxisse credamus. Cum alii in natali die suo magna efferri lætitia soleant, quid nunc Christiani non faciamus? qui nostris natalibus perditi, per hujus, qui hodie natus est, natales, veris sumus natalibus restituti. Si natali die veteres se mutuo salutare, & hac formula: *Hodie nate salve!* fausta sibi quæque precari consveverunt: Quidni & nos salutemus? *Hodie nati salvete!* A nato nobis Salvatore salvete! Non enim tantum ante tot, quot numeramus secula, sed ante omnia tempora, ab æterno natus est, hodieque nascitur JESUS, per quem nos ipsi hodie nascimur, vel potius renascimur. Atque utinam vel hodie renascamur omnes, qui nondum sumus renati, & cum anniversario Christi natali nostros illos, nulla morte terminandos, celebremus, ne inter hesternos promissores & perpetu-

tuos procrastinatores cadaveri nostro, quod circumferimus, immoriamur. Quod enim corpori nostro anima, id animæ nostræ Christus est: Ut illa exspirante illud in cadaver dissolvitur; ita sine Christo anima nostra tota fatiscit, tota vitiorum putredine corrupta æterna morte interimitur. Hodie ille nascitur, perpetua illa & jucundissima annunciatione. Quod εὐαγγέλιον, quæ bona verba (illa enim in natali die occentari olim solebant) quilibet sibi dicta putet, ut ipse nunc quoque nasci velit. Semper novum, nunquam antiqvum est, quod hominem innovat. Novus ille Homo est, qui nunquam veterascit, & veram vitæ novitatem nobis largietur, ut veteris illa Adami pelle exuti, novi ipsi homines eo parente generemur, in novam vitam illo pane quotidiano adolescamus. Quem heri nudiusque tertius tot divinorum Vatum oracula nobis prædixere, illum hodie natum & in nobis renascentem celebremus, ut crastina die in cœlis ejus majestatem consangvinei, fratres, filii videamus. Si in natali suo die Genio litarunt mero & placentis, melle, oleo, thure Gentiles; nos Genio Geniorum, Salvatori nostro, non hominum tantum singulorum sed & universi hujus Genio, hoc die humanum corpus induenti, nos potius ipsos offeremus, cui auro, thure & myrrha venientes ex Oriente Magi olim litabant. Ille vero & pane & mero, carne sua & sangvine, genios nostros animosque pascit, ut

ut ejus potius muneribus nos vivamus, quam ille noſtris indigeat. Quanquam ſi illi cor noſtrum, ſi animum, omnesque animi noſtri vires demus, nihil illi ſvavius acceptiusque daturi ſimus. Tria olim natali ſuo a Genio vota, Mentis bonæ, Famæ, Fidei ſinceræ Gentiles optabant. Quidni & illa a Salvatore noſtro exſpectemus? unde bona mens in nobis, niſi ab ipſa illa prima Mente, ab illo παντάγαθῳ, a quo omnium bonorum rivuli quaſi inexhauſto Oceano procedunt? Unde fama nobis bonaq; exiſtimatio, niſi a Domino gloriæ, cui gloriam in excelſis divini Phonaſci occentarunt? Unde vera illa fides, niſi ab illo, qui per efficax vivæ fidei ſemen, nos ad novam denuo vitam generat, omnique ſuo ſpiritu perfundit. Sollicite in nativitatis ſuæ præſides ſtellas inquirebant, & ab earum revolutionibus ac configurationibus certiora ſibi fata arceſſebant; at alio nobis Horoſcopo natales noſtri æternam ſibi ſalutem ſpondent. Nam quæ e Jacob oritur ſtella, ille Juſtitiæ Sol, ille ex Oriente fulgor, cum nos lucis filios generat, omni illo, ſi quod eſt, ſiderum fato exemptos, ipſis illis Phoſphoris accenſet, ut omnem Genethliacorum calculum, ipſis illorum aſtris majores, contemnere poſſimus, ipſique nobis dies, horas, annos felices efficiamus. Habeant illi ſuos geniture Dominos: ille, qui hodie naſcitur & naturæ & regenerationis noſtræ vitæque Dominus eſt: Sint illis exaltata in domiciliis a ſe confictis ſi-

dera; habeant illa sua, certis sedibus distincta vel gaudia vel detrimenta: O nos felices, si in illo exaltemur, qui in terram descendit, ut nos attraheret & ultra sidera evectos, in æternitatis arce, ubi multæ sunt in domo Patris ejus mansiones, collocaret: ubi pleno illo solidoque gaudio, ab omni detrimento immunes, fruamur. Habeant illi suos in astris significatores & promissores; alia nobis signa signifer Agnus sustulit, quem agmine facto sequamur: Tenetur nobis e promisso ipsa Veritas. Servabit nobis fidem, in cujus ore nulla unquam fraus reperta est. In maximorum Regum natalibus, quæ non olim solennia instituta, qui apparatus, quæ convivia, qui ludi & nonnunquam cruenti! Non defuere etiam hic plusquam regiæ cerimoniæ. Applausere cœlorum orbes: hymnos cecinerunt Angeli; Reges in terrorem conjecti: alii gratulatum venere: primitiis martyrii infantes Infanti DEO prælusérunt, ut secuturis per tot secula piorum hominum cædibus auspicio essent. At ipse Rex, cum nascitur, ad æterna nos convivia vocat, & nunc quidem, mirabili modo, in præsepi, super alimentis bestiarum jacet panis angelorum & hominum. Non aberunt nostris quoque natalibus sua solennia. Nam, si in Johannis Baptistæ nativitate οἱ περίοικοι καὶ οἱ συγγενεῖς συνέχαιρον; si hic nato Salvatori gaudia sua concentibus testabantur Angeli, etiam iidem in cœlis, omniumque beatarum mentium

cœ-

cœtu, lætitiæ suæ documenta edent, si peccator veris per Salvatorem suum natalibus restituitur. Candido olim vestitu utebantur natali die veteres, diemque illum albo lapillo notabant. Nova ergo & nos byssinaque veste induamur, abjecta immunda sordidæ carnis voluptatumque toga, quali virgines animæ habitu coram throno Agni apparent, manibus palmas gestantes, & sangvine ejusdem Agni tinctæ. Induamus ipsum, qui hodie nascitur, JESUM, veram illam candidamque natalem vestem, quam commendat nobis Apostolus, sine qua ad nuptiale Regis nostri convivium indigni hospites, & vel centonibus tecti, vel plane nudi accedemus. Quod si quemcunque vitæ suæ diem, quo magna aucti felicitate erant, pro natali suo coluerunt veteres: nam cum ab exilio revocaretur Tullius, hunc natalem reditus sui diem vocabat, lætumque agebat: idemque alii faciebant, cum magnis honoribus ornarentur: quidni nos facere æqvum est? quidni & nos natalem hunc diem vocemus, quo in exilium ejecti, per exulem cœlo DEum, & cœlo & paradiso restituimur: quo divinæ cognationis jure cohonestamur. Valet omnino hic, quod Princeps humanæ eloquentiæ Cicero in Republica ab interitu conservata pronunciat: *Non minus jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur: quod salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio: & quod sine sensu nascimur, cum voluptate conserva-*

 mur.

mur. O igitur omnium plausibus extollendum diem! quo conservamur, iterumque nascimur, & temporum contagio erepti æternitati vindicamur. Agite ergo o Cives, ita hos DEI HOMINIS natales celebrate, ut cum illo iterum nascamini. Delete ex animo illas veteris Adami formas quotidianas, & nova hac *μεταμορφώσει* in novam Christi formam adolescite, quæ vel hodie cœlesti in vobis semine surgat, cumque tempore in plenum virilis ætatis robur excrescat. Videte, ut in vobis vivat Christus vera fide, spiret ardenti pietate, operetur efficaci amore. Moriantur veteris Adami in intellectu cœcitas & ignorantia, in voluntate peccandi appetitus, in oculis malæ libidines, in ore calumniæ & mendacia, in auribus obstinatio, in corpore ebrietas & ingluvies, in manibus rapacitas: omnia vero ita renascantur & innoventur, ut intellectu sitis ad veritatem lyncei, voluntate ad pietatem armati, memoria in mysteriorum divinorum meditatione assidui, oculis in divina luce arripienda perspicacissimi, auribus ad obedientiam omnem promptissimi; lingvis in divinas laudes disertissimi, brachiis ad concordiæ pacisque complexus, manibus ad justitiam & liberalitatem propensi. Ita nascitur nova in vobis ac divina illa forma, cujus nativa facies pietas, cujus anima virtutis imago, cujus vita perpetua Christi imitatio, cujus membra bonorum operum instrumenta sunt: ita vobiscum in vitam vestram

ſtram ipſe DEus coaleſcet. DEus enim in vobis erit, quo agitante caleſcetis, *ille operabitur in vobis & velle & perficere:* Ille bonus erit bonis. Si amores veſtros ipſi conſecraveritis, reſpondet ille vobis: *Ego diligentes me diligo.* Quo propiore ad illum gradu accedetis, eo propiorem vobis ſentietis: *Appropinquate DEO*, inquit Jacobus, *& appropinquabit vobis.* Si de fortunis veſtris ejus pauperibus largimini, audietis illud: *Date & dabitur vobis.* Quicquid denique volueritis, Rex vobis Pſaltes ejus nomine occentabit: *Voluntatem timentium ſe faciet.* Vivetis toti in DEO, vivet in vobis DEus, ut non in terra, ſed in cœlo, quanquam mortali corpore veſtiti, ἰσάγγελοι vivere, & poſt veſtrum e terris exceſſum, non tam mori, quam vitam continuare æternam videamini, Valete P. P. feſto Natalitiorum Chriſti die, Ann. cIↄ Iↄc LXXXVIII.

7.

AUdiviſtis elapſa æſtate, Cives Optimi, Pacis Cimbricæ ἐυαγγέλιον: Circumſonuerunt aures veſtras illæ plaudentium voces, neque nunc, ut arbitramur, mentibus veſtris exciderunt: Quare vel nunc ad amabile illud Pacis nomen evigilate, cujus ſignum Pacis ille Princeps, JESUS CHRISTUS, hodie orbi immiſſus, ſuſtulit, cujus ἐυαγγέλιον ætheree mentes hominibus nun-

ciarunt: ut in animis noſtris habitare tandem incipiat, quæ agris domibusque noſtris recepta eſt, eamque in templis & aris noſtris perpetuo pietatis cultu veneremur. Quod enim præſtantius, quod divinius humano generi dari munus præter pacem poſſit? quæ ſummi Numinis indiviſa comes nunc quoque cum nativitate ejus, ut certiſſima θεȣ̃ ἐνσαρκωθέντος teſſera, deſcendit, & publicis cœleſtium procerum jubilis proclamatur. Hæreamus paululum in pulcherrima illa ſpecie, paſcamur blandiſſimo illius vultu, irruamus in ejus amplexus & hanc nobis Divam vita, moribus, omnique bonæ piæque mentis apparatu conciliemus. Neque enim gratiora DEO pro reſtituta Patriæ Pace ſolennia agitabimus: neque hunc diem religioſiore cultu proſequemur. Toti terrarum Orbi pax ab Angelis indicitur: ac præerat tum maximæ terrarum parti AUGUSTUS, cujus auſpiciis, poſt compoſita bella, diuturna pacis tempora inciepiebant, Nam Jani templum, ſub ejus imperio per tot annos clauſum fuit, ut & rubigine portæ ejus obducerentur. Naſci ſub pacifico orbis principe voluit Salvator, qui pacis legibus cuſtodire imperium, quam extendere vi armorum maluit, & cum Orbis pacis Civilis, non perpetuæ ſed temporariæ ſpeciem ſaltem oſtenderet, ille veniet in orbem, ut animi pacem, ut æternam, ſanctam hujus exemplo & typo delinearet, in ſe vero vitaque ſua perfectiſſima veram illam divinamque pacem,

cem, summus inter Deum hominesque Sequester, proponeret, suaque morte nobis obsignaret. Est & hoc inter pacis symbola, quod nascitur eo mense, cum Romæ in seculi aurei memoriam,

— — *quo sine militis usu*
Mollia securæ peragebant otia gentes,

SATURNALIA agerentur, quæ dudum ante ipsamUrbem conditam tam Italia quamGræcia, & (si Goropii Becani lib. 4. originum Antverpiensium, quem Cronia inscribit, miras in his delicias non spernimus) ipse Noachus, in Arca, eo die, quo primum juga montium ex aquis apparere cœperunt, singulisque deinceps annis, magna religione celebraverat. Unde postea cum ipso Noachi (hunc enim Saturnum & Janum esse volunt) in Italiam transitu, ejus festi diei memoria vetustissimis Italiæ inquilinis Etruscis, custodita semper fuerit & in Romanos veteres, qui Etruscos perpetuos sacrorum doctores habuerunt, propagata. Non parum quoque his rebus fidei accederet, si quæ de Etruriæ originibus Postellus singulari libro tradidit, veritate niterentur, ut sane omnibus undecunque conquisitis veri coloribus rem suam ornandam suscepit. Verum nos sua Gentilibus relinquemus Saturnalia, & nostra illa bonæ piæque mentis SATURNALIA in ejus honorem, qui hodie veram nobis quietem ac pacem è Cœlo reportavit, qui aureũ orbi seculum restituit, celebrabimus. Ad hæc

enim ſolennia noſtra vos invitat oratio, non ad illa, quibus comeſſationibus compotationibusque indulgebant degeneres Romuli nepotes,& qui à ſobrio majorum cultu defecerant. Multa in Saturni honorem ab antiquiſſimis illis ſapientibus dicta ſint, qui ut pietatis ſapientiæque conjunctas rationes habuerunt, ita Saturni quandam intelligentiam com̄enti ſunt, Thronis ex Angelorum ordine ſubjectam, unde velut portâ quâdam, divinæ virtutes in orbem & in univerſum genus humanum emitterentur. Ac Hebræorum ſanè veteres Magiſtri, cum tribus illis *Kether*, *Chochmach* & *Binah*, *Coronâ*, *Sapientia* & *Intelligentiâ* divinitatis ſphæram comprehendunt, τῷ *Binah* reſpondentem conſtituunt intelligentiam Saturni, quem *Gedulah* vocant, ſiderum ſeptimi, unde Sabbathiſmi, quietis, pacis, tranquillitatis deſignatorem, nomenque 'שבתי' ipſi datum perhibent. Sunt qui Dei ſerum illum vocant, qui divinos afflatus ſuſcipiat, inque Saturnios ſuos, ſideri ſuo ſubjectos, effundat. Julius Firmicus & Ptolomæus ex Aſtrologis egregie Saturnum ſuum, nullo præſertim alio influxu impeditum, characteriſmis deſcribunt, ejusque genio in nativitate imbutos præ cæteris prædicant, ut qui ſegregati à ſocietate & in ſe collecti ſilentio, ſublimi ingenio arcana Dei & naturæ acrius perſcrutari cupiant, recti ſint rerum æſtimatores, ſolidi & firmi in conſilio, longa providentia, ſtabili ſermone, animi rectitu-

tu-

tudine, intemerata fide, in amicitia integri & incorrupti, quique, ex Hebræorum sententia, cum Thronis fiant viva DEI sedilia. Non quidem nunc illa vel Hebræorum veterum, vel Chaldæorum ac Astrologorum mysteria excutiemus: sibi illi suisque sapiant. Nos vero si mores hos, quales ille è Saturni Thesauris nobis depromunt, è Spiritus divini Schola expresserimus, si è mundi turbulento mari in bonæ mentis portum secedentes divinæ nos potestati permiserimus; si perpetuo veroque Sabbathismo cœlesti arcana speculati fuerimus, si fidem Deo, amicitiam hominibus probaverimus: vera illa, Christiano homine digna divinaque, sine profanæ superstitionis contagio, SATURNALIA celebrabimus. Erimus ita, ut cum Hebræis loquamur, viva DEI sedilia, cum Pacis ille Princeps in animis nostris nascetur, tanquam in cunis suis requiescet. Extruamus hodie nascenti in nobis CHRISTO nova illa Pacis regna, veri Hierosolymitani Cives, qui veram Pacis visionem, (unde Solymorum nomen dicitur) animo comprehendamus. Vivemus tum Saturnia aureaque illa secula,

— — & vindice nullo
Sponte omnes sine lege fidem rectumque colemus:
Pœna metusque aberunt: nec vincla minacia collo
Ære ligabuntur: nec supplex turba timebit
Judicis ora sui, sed erunt sine judice tuti.

Missitabant Romani mutua sibi munera, cum Saturnalia celebrarent sua. Nobis è thesauris cœlestibus optimum maximumque Pacis Donum, cumque illo Deus ipse, qui se Pacis Deum vocat, mittitur. Sit & illud inter nos Pacis donum reciprocum, qua Deo jungimur, secernimur mundo, sed ita, ut in uno Pacis Deo conjungamur. Conviviis illi se excipiebant; nos mutuæ charitatis officiis amorem pascamus. Festum hunc diem illi luminibus accensis colebant, & cereos amicis largiebantur: nos animi nostri lucernas a Patre illo Luminum, & ab illa Luce, quæ hodie in mundum venit, accendamus, & de nostro lumine aliorum fomites & scintillas excitemus. Illi herili dignitate exuta servis ministrabant: nos in honorem ejus, qui cum Dominus Cœli & terrarum esset, servi tamen speciem assumpsit, diademata, coronas, infulas, omnes fortunæ phaleras, omnem pompam excutiamus: omnes vero, quos infra sortem nostram illorum conditio abjecit, non fraterno tantum amore complectamur, sed & omni officiorum pietatisque genere illis serviamus. Jungimur scilicet communi illo Pacis vinculo: nulloque jam discrimine, Tros Rutulusve fuat, liber an servus, habebitur: cum omnem peregrinitatis speciem, omne servitutis nomen Pacis divinæ gloria extingvat. Velint alii a victis gentibus dici, Africani, Vandalici, Parthici: inter triumphos nostros numerabimus, si Pacis alumni, aut (si splen-

ſplendidioribus titulis delectamur) Filii Lucis vocemur. Pax nobis cum Deo eſt, qui non amplius ut Zelotes inter montis Sinai fulgura, ſed placido lumine deſcendit. Non cum lege divina bellum eſt: neque enim litera occidens nobis ſiſtitur, ſed ſalutis & vitæ verba in Pacis evangelio nunciantur. Non hic malleus petras confringens, non tonitrua inſonuere; ſed ſvaviſſimo Angelorum modulamine per univerſum terrarum orbem amabile Pacis nomen diffunditur. Quorſum ergo ruitis mortales, & in arma, latrocinia, lites inſana rapti vertigine præcipitamini? Ubique enim Sophoclea illa Erynnis πολύχειϱ, πολύπȣς, χαλκόπȣς graſſatur, omnesque hominum ordines, occupavit. Vel in ipſo, qui reliquis exemplo eſſe debebat, ſacro & literatorum ordine, quid non litium ſæpe ſerunt, qui facundiam ſuam clamoribus, doctrinam altercationibus, toga ſanctitatem metiuntur: qui cum lanceis enſibusque non auſint, ſtylo tamen venenato ſe confodiunt. Quid vobis fiet, Chriſtiani Reges, & ſi fas eſt dicere, Chriſtianiſſimi? qui crucem, ſalutis inſigne, in perniciem eorum, qui per crucem ſervati ſint, convertitis. Chriſtianus eſt, qui panem porrigit eſurienti: at vos eſurientibus eripitis, meſſes integras, totque annorum labores conculcatis, flammis abſumitis. Chriſtianus ſitienti pocula præbet; vos totas vindemias effunditis; Chriſtiani præterea ſangvinis helluones. Chriſtianus men-

sæ suæ pauperes admovet, vestimentis tegit, tectis excipit: vos veteres colonos ejicitis, bona diripitis, incendiis, ruinis omnia miscetis. An surdis nunc narrantur fabulæ, cum Pacem cœlestes chori proclamant? An ille sonus aures vestras prætervolat? Annon tot miserorum ejulatus Pacem vobis extorquent? Sed frustra quidem eam ab illis sperabimus, nisi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς intercesserit, aut in solitudinis nomine pacem quæsiveritis. Vos vero, o Cives, de quietis, in hoc patriæ nostræ recessu, sedibus vobis gratulamini: vos Deo Pacis nostræ autori statorique maximo, gratias agite, atque ut toti Christiano orbi eandem largiatur, supplicatum ite: Vitam porro omnem ita instituite, ut a servitute cupiditatum, a dissidiis mundi & carnis immunes, in illa Pace, quam hodie Angeli nunciarunt, quamque Salvator noster ipse se daturum promisit, æternum conquiescatis. Valete P. P. ipso Natalitiorum festo Ann. cIↃ IↃC LXXXIX.

8.

QVando nati hodie Salvatoris memoriam anniversaria pietate celebramus, Cives Academici: animis ad religionem compositis, cogitatione ad Deum conversa. hujus mysterii magnitudinem, divini amoris cœlestisque Gratiæ inexhaustum fontem contemplemur, & ad ista

με-

μεγαλεῖα cum cœlestibus Geniis per orbem terrarum diffundenda lingvas acuamus, ora solvamus, omnes nervos spiritusque intendamus. Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: Accipiamus ταῖν ἀμφοῖν tantum munus! Qui antea in Prophetis locutus est, nunc novissime istis diebus in Filio locutus est. Divino præcepto monemur: *IPSUM audite.* Hunc ille nobis Magistrum dedit, quem sequamur, quem audiamus, cujus ex ore divina oracula hauriamus, qui in viam veritatis reducat. Excipiamus ergo divinum Verbum non auribus tantum, sed & animis: frustra enim auribus excipitur, quod animo non asservatur, ut illic velut e fœcundo agro in bonam segetem succrescat. Ejiciamus malorum Dæmonum voces, non ad animum, non ad aures admittamus, ne mussitantis quidem Diaboli verba feramus, cujus clamoribus alii ita obsurduerunt, ut divina illis oracula tanquam surdis fabulæ narrentur. Excipiendum nobis Verbum illud est, non ut aliquot dierum hospes apud nos moretur, non ut in angulum aliquem secedat: sed ut in nobis habitet, regnet, dominetur, ut stagnantis instar fluvii toto pectore, ore, lingva diffundatur. Qui intra ambitionis & avaritiæ suæ spinas verbum hoc suffocant, qui ad scientiæ humanæ ostentationem eo abutuntur, qui fortunarum suarum rem faciunt, sacri præstigiatores & nundinatores sunt, & cum Juda denuo Christum

ven-

vendunt. Audiamus IPSUM, & illud Αὐτὸς ἔφα animo nostro infixum habeamus, ut vel aurium porta aditus ipsi permittatur, a quo non aures tantum sed & oculos avertant Judæi, non intelligentes vel potius contemnentes verba Filii, ad quos toties per servos suos Prophetas Deus locutus erat. Quorum tamen & ipsi verba, apertosqve sensus pessimi interpretes non recte acceperunt. Qvotqvot enim Prophetæ fuerunt, prologi summi istius λόγȣ fuerunt, longaque præfatione Verbo nostro præluserunt, usque dum Vox clamantis in deserto, Joannes Baptista, exerto digito oculorum & mentis caligine laborantibus Judæis illud ostendit. Quod in principio erat Verbum, per quod omnia facta sunt, caro factum est. Parum enim nos juvare poterat, in principio creatum fuisse cœlum & terram, creatos fuisse homines, nisi hoc Evangelio significatum nobis fuisset, in principio fuisse verbum, cujus lumine ad vitam æternam illustraremur. Nulla hominis erat vel in hoc orbe creato, vel in tempore, vel in universa rerum natura, vel in cogitationibus ejus felicitas, nisi ultra naturam, ultra mundum & tempus, ultra spes cogitationesqve suas in æterno hoc Verbo salutem suam invenisset. Illud erat mysterium a seculis absconditum, qvod in ipso Evangelii sui exordio S. Johannes, ceu repentinum qvendam sideris exortum mortalibus declaravit. *In ipso*, inqvit ille, *vita erat*, & ab illo in mentes illa nostras

ſtras velut inexhauſta ſcaturgine derivatur. Nulla eſt vita noſtra, niſi qvæ in ipſo & per ipſum nobis ducitur: ſine qvo mortis mancipia, tenebrarum filii, viva cadavera vocabimur. Vita beata, vita æterna unica vera vita eſt, & in ſolo Verbo divino abſolvitur, qvo vivificantur animi, qvorum vita omnis in cognitione DEI & Amore divino conſiſtit. Illo ſuo pane, qvi de cœlis deſcendit, illi vivunt: hoc pane vivo & divino nutriuntur, ſaturantur. Amor famis inſtar eſt, qua cœleſtem hunc cibum appetimus. Meditatio concoctio, qua illum in ſuccum ſangvinem ſpiritumque noſtrum convertimus. Qvemadmodum non ſola ciborum ingeſtione nutriuntur corpora, ſed tum demum, cum in venas illorum vis diffunditur; ita DEI verbo animi nutriuntur, cum illud motibus eorum & actionibus jungitur, luminisqve ſui radiis adſiſtit. Nunquam niſi cum luce vita eſt, illiusqve miniſterio hæc in ſenſibus operationibusqve ſuis utitur. *In ipſo*, inqvit Johannes, *vita erat*, & *vita erat lux hominum*. Neqve nos vivimus hac Verbi vita, niſi hujus qvoqve luce illuſtremur: & cum ipſa Voce Lux mentibus noſtris affulget, qvemadmodum olim in creatione hujus univerſi ſtatim e tenebroſa ejus mole cum Verbo prima illa Lux erupit & diffundi cœpit, aut e ſpiſſa nube tonitru non ſine fulgore auditur. Vivamus ita, o Cives, ut hujus qvoqve Verbi luce illuminemur, ſine qva ne vivere quidem dicemur,
qui-

quibuscunque etiam facibus ducamur, qvocunqve etiam vanæ ſapientiæ æſtu συζητηταὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, ut Apoſtolus epiſt. ad Corinth. I. vocat, agitemur. Veniendum nobis in poſſeſſionem horum bonorum eſt, qvæ a Verbo nobis divino proveniunt, ut per illa vitæ æternæ ſpes, etiam cum hic vivimus, inchoemus. Neqve enim ſterilis illa ac inanis cognitio eorum nos juvat, niſi & amore eorum rapiamur, niſi divina illa ſapientia pectus noſtrum qvoqve impleat, ſuaqve luce illuſtret, ſuo igne accendat, ſuo ſpiritu ad ſe convertat, volentesqve & pronos impellat. Ac frui jam tum felicitate æterna incipiemus, cum ita vivimus, ac qvaſi in cœlo, & in beatarum mentium conſortio his in terris verſamur, poſt temporis hujus decurſum ad complementum ejus felicitatis perventuri. Provocemus illam lucem piis precibus, o Cives, & fomitem illi in nobis excitemus, ne in tenebris illorum deprehendamur miſeri tenebriones, qui lucentem in mediis tenebris lucem non comprehenderunt. Quales ii ſunt, qui nativa quadam mentis cæcitate laborant, malitiæ & nequitiæ ſordibus obvoluti, aut eæ gentes, quas, ut Paulus ait, *Dimiſit Deus ingredi vias ſuas.* Sed tamen & ipſis tenebris lucere illa Lux non deſinit: animorum hoc culpa evenit, ſi pauci meridiem & auroram ejus, aliqui tenue diluculum apprehendant. Latitant quædam æternæ Veritatis ſcintillæ in illis, prorumpunt interdum ſapientiæ

&

& pietatis radii ab circumfusa Verbi luce evocati, quorum fulgor à tenebris supervenientibus facile suffocatur, si suas ipsi tenebras ament, suæque se nocti permittant. *Deus*, inquit Augustinus, *semper paratus est dare lucem suam, non visibilem, sed invisibilem, sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate cæcamur.* Deleamus ergo ex animis omnes illas tenebrarum formas, ut verbo & Luci toti illi pateant. Recipiamus eum qui hodie natus est, qui locutus est nobis, Dei Filium: *Quot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, ut luculento illo Joannis testimonio discimus. Qui è Parentibus nati sumus, cæca quadam sorte mortale hoc corpus nacti sumus; è voluntate carnis nati. Nunc itaque cum Deo & è Deo nascamur, ut vitam divinæ similem habeamus. Qui Parentes nostri fuerunt unius momenti beneficio hoc nomen, ut nos ab iis vitam, obtinuerunt. Sed ita Pater est Deus, ut continuò in nobis agat, semper mentem illuminet, suique in nobis amorem ingeneret & conservet. Quo si titulo non exciderimus, , qui filios nos gessimus, filiorum & heredum jure aliquando in cœlis triumphabimus. Valete P. P. ipso Natalitiorum festo Anno CIↃ IↃC XC.

IN FESTUM PASCHATOS.

9.

CElebramus diem, Cives Academici, quo æterna lux mundum hunc illuminans, ipſeque juſtitiæ Sol, Salvator noſter Jeſus Chriſtus vel ante auroram oritur: quo è ſepulchro ſuo ipſa vita emergens glorioſiſſimæ vitæ reſtituitur, ut mortales omnes mortis faucibus ereptos ſecum ejusdem æternæ vitæ & felicitatis redderet poſſeſſores. Advertite animum ad tanti ſanctitatem myſterii, [redacted]que mente tanti beneficii magnitudinem revolvite, cujus ſpes ad morem divinum veramque virtutem vos accendere poteſt, ſine qua omnis hæc, quæ nobis ducitur vita, miſera foret & injucunda. Magna hæc eſt Philoſophia noſtra, nec ſane in triviis Sophiſtarum, ſed divina ſchola, non in pulvere ſcholaſtico nata, ſed è cadaverum cineribus alte eruta ſapientia: quod corpus hoc ab anima ſua ſejunctum, in minutiſſimum pulverem redactum, ſuis iterum elementis redditum iisdem idem particulis colligi, eodemque cum anima vinculo ſciamus colligari. Nihil docuit unquam hujus, quæ ab hominibus excogitata eſt doctrina: Nam cum mundum hunc intuerentur, fluereque omnia, ſuisque obnoxia muta-

tationibus & corruptionibus animadverteret, ultra communem tamen naturæ legem ejusque limites proferri non potuit, nisi à DEO ipso duceretur. Quamvis enim non omnia letho finiri multi suspicarentur potius quam scirent, & de mentis nostræ immortalitate præclara quæque differerent, profunda tamen hujus fuit doctrinæ ignorantia, ut à Philosophis Atheniensium cultissimis, cum eam profiteretur Paulus, effusissime rideretur. Acciditque idem aliis in barbararum gentium oras delatis, ut referunt non semel itinerum scriptores. Quare Sancti Patres in persvadendo hoc gentibus dogmate, à quo communi adeo consensu abhorrebant, vehementer laborarunt, conquisitis undique magna diligentia argumentis, quibus saltem non absurdum illud, aut ab ratione sana alienum probarunt. Neque enim firmioribus ea in disputatione documentis uti potuerunt, cum ea quæ docebantur non natura nota, & necessaria quadam illatione sequerentur, sed à libera DEI voluntate & potentia dependerent, quo telo illi semper hac in causa militarunt. Eleganter eam in sententiam Minutius Felix loquitur: *Quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem à DEO, ut primùm potuit fingi, ita posse denuo reformari? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? porro difficilius est id, quod non sit, incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire DEO credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahi-*

 tur?

tur? *Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis: sed DEO elementorum custodi reservatur.* Est scilicet solius hoc divinæ potentiæ opus, quæ sola illud liberrima sua gratia & voluntate efficit, ut attendi hic Judæorum commenta non debeant, qui in cadavere humano superstes aliquod vitæ semen, ossiculum, quod illi Lutz appellant; non quidem quod pueri in faba, de quo multa notat in Miscellaneis suis Pocockius, invenerunt; vel rorem etiam in cœlo asservari, quem in terram ex æthere descensurum, ut cum pulvere cadaverum commistus ea reficiat & reviviscere faciat, fabulantur. A quo errore non adeo immunem sentio Thomam Brovvn Anglum libri de religione Medici autorem, qui cineres hujus universi a conflagratione superstites semina corporum excitandorum, magnumque quoddam formarum chaos in se habituros contendit, non leviter ob id ab illustri Comite Digbæo, in observationibus Anglica lingva in eum librum scriptis, nec Latine, quod sciam, hactenus editis reprehensus. Erant tamen non exigua quædam Veritatis hujus in Theologia etiam gentili vestigia, quæ licet omnem rem non conficiant, indicio tamen sunt, plurimam ab omni ævo ejus rei fuisse famam, quæ primum per divinam revelationem hominibus cognita, cum sollicite premeretur, in vulgus hinc delapsa non sine fabularum & er-

errorum admistione in animis hominum hæsit. De hujus universi per ignem παλιγγενεσία quid Pythagorici, Schola Ægyptia, Heraclitus, Stoici pluresque alii Philosophi docuerint, adeo notum est, nam integro pene libro de conflagratione mundi ea Hieronymus Magius inculcat, ut in his recoquendis operam ludere videamur. Memoriabilis tamen præ omnibus Senecæ locus est, quem hic adducam: *Rejectus e nostris sedibus,* inquit ille, *pelletur Oceanus & antiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Cito nequitia subrepit, virtus difficilis inventu est, rectorem ducemque desiderat. Etiam sine magistro vitia discuntur.* Alii vel ipsa naturæ vi & quasi morte aliqua totius mundum hunc interiturum crediderunt, inter quos Epicurus, qui saltem in eo recte sensit, quod perpetuum eum non habuerit: quanquam Christiana religio divinæ solummodo potentiæ adscribat. Alii propius ad rei veritatem accedunt, qui & eosdem homines, & eundem rerum statum reducendum arbitrantur, quod tamen temporum potius certis revolutionibus, infinita seculorum successione semper redituris, & astrorum cuidam fato, quam voluntati divinæ imputant. Quæ doctrina ad Ægyptios, Indos & Judæorum etiam multos dimanavit. Orta hinc illa ab Ægyptiis decantata metamorphosis, qua animæ ho-

hominum per variorum animalium corpora, & cœlestes etiam orbes peregrinari finguntur, donec corpori suo in extrema illa παλιγγενεσία restituantur. A quadam Chinensium sacerdotum secta, quæ Trimechau vocatur, resurrectionem corporum credi memoriæ prodidit Ferdinandus Mendez Pinto Lusitanus in Itinerario suo, si modo fides haberi potest homini in aliquibus, ut videtur, non adeo bona fide versato. Credi ab illis docet: tot annos homines sub terra commorari, quot supra terram vixerunt; eis vero expletis animas illorum per continuas sacerdotum preces septennis alicujus pueri formam assumere, donec eas vires nactæ fuerint, ut prius suum corpus possint inhabitare: tum vero in orbem lunæ evehi, ibique, postquam plures annos dormiendo consumserint, in perpetuam aliquam stellam mutari. Sunt porro & alii inter eos, qui brutis etiam animantibus pro toleratis hac in terra laboribus non immortalitatem animæ solum, sed & a mortuis resurrectionem, imo ipsos cœlos inaudita liberalitate promittunt. Ægyptios Augustinus *sermone 120. de diversis.* vel ideo resurrectionem mortuorum credidisse autumat, quod cadavera sua tam superstitiosa custodiverint diligentia, & a corruptione omni arte sua immunes conservaverint: Et duxit certe hinc Plato aliquod pro immortalitate animæ argumentum. Apud eos hodieque singulis annis eo die, quo Salvator noster expiravit,

os-

ossa mortuorum resurgere, ejusque rei summam apud Christianos ejus loci fidem esse, Greaves in Pyramidographia, & in Itinerario suo Sandys tradiderunt: Quanquam prior ille sophismata sacerdotum intervenisse observaverit. Negari tamen nequit, apud Indos & quidem Peruvianos, qui rituum Ægyptiorum plurimos & ipsam etiam Hieroglyphicam ab illis scripturam acceperunt, hanc quoque sententiam de mortuorum resurrectione tenuisse, quanquam multis superstitionibus fœdatam: Cujus testis dignissimus est ipse scriptor Peruvianus l' Ynca Garcillasso de la Vega, qui ipse e Regia familia, lingva patria Regum Peruvianorum historiam scripsit, unde primum in lingvam Hispanicam, hinc in Gallicam a quodam I. Baudoin translata est. Non indignum erit ea hic afferre, quæ ex Gallico hic Latina damus. *Credebant Yncas*, (ita appellantur Reges & qui e Regia familia) *resurrectionem aliquam universalem, quamvis non ultra vitam præsentem animum erigebant, ad quam nos aliquando resuscitari sine aliqua vel gloria vel pœna ajebant. Summæ illis curæ erat securo aliquo loco ungvium & capillorum custodire præsegmina. Quapropter solebant illa abscondere in fissuris vel in foraminibus murorum. Quos in terra jacentes forte capillos inveniebant statim tollebant & recondebant: unde sæpius quam ob causam id facerent ex iis quæsivi. Et responsum omnes valde ridiculum dederunt. Omnes, dicebant, qui nati hic sumus, aliquando in hoc mundo reviviscemus (ne-*

que enim resuscitationis vox illis nota erat) animæque nostræ e sepulchris, cum omnibus iis quæ ad corpora nostra pertinent exsurgent. Ne autem multum tum laboris insumendum sit in quærendis ungvibus & capillis, ob plurimos tumultus quos tot hominum turba creabit, eos collectos hic in uno aliquo loco reponimus, ut eo facilius tunc inveniamus. Qui unum in locum etiam sputa nostra, si fieri id possit, mitteremus. Eodem in loco idem autor è Francisco Lopez de Gomara adducit: quod cum Hispani e sepulchris Peruvianorum extracta Cadaverum ossa per terram disjicerent, ægre id tulerint, quod difficultas aliqua resurrecturis injiceretur. Laudat & ibidem Petrum de Cieca qui eadem de Peruvianis scribat. Et hæc quidem de Indis: nam de aliorum populorum monumentis non diserte adeo quædam hujus doctrinæ traduntur. Incidi tamen in vetustum aliquod Chronicon Saxonicum, lingva rudiore vernacula ab anonymo aliquo scriptum, & cum primum typi invenirentur, publicatum, in quo Idoli alicujus Vandalici effigies delineatur, quod non obscurum resurrectionis typum exhibere videtur, nisi in dubium autoris fides sit vocanda. Pingitur Cadaver humanum linteo indutum, lapidi insistens, manu baculum gestans flammantem: humeros leo insidet à mortuis illos resuscitaturus. Ita enim explicat Autor, & hoc Anno Christi 1116. Idolum, cui nomen a lapide FLYNS, Vandalos deserta religione Christiana erexisse memorat, quod postea

Dux

Dux Luderus & Episcopus Magdeburgensis Adelgotus dejecerint. Reperiuntur etiam, inter Islandorum fabulas vetustissimas quas Petrus Resenius edidit plurima de extremo judicio, mortuorum resurrectione, mundi excidio sed infinitis nugis interspersa, quæ hic adducere nimis foret operosum. Verum quid attinet tenebras illas & umbras sectari, cum, ipsa nunc clarissima nobis lux ob oculos versetur? Neque enim nobis nunc amplius res est cum hominibus tam imperitis & stupidis, qui gentium nugis quam divinæ veritati, totque, rerum documentis, quæ in resurgente hodie Christo apparent, aures dare malint. Agite ergo, Cives Academici, perq; hujus diei memoriam eum vobis diem ob oculos sistite, quo ante ora Judicis vestri constituti extremam illam & irrevocabilem sententiam audietis. Videte, ne qui nunc tumuli lapidem perrumpit, JESUS, in pectorum vestrorum tumulo denuo exspiret, sed ita quidem vivat, ut & vos hujus spiritu agitatos non vobis & vitiis, sed DEO & Virtuti vivere sentiamus. Valete P. P. Kiloni d. XI. Aprilis Anno cIↄ Iↄc LXIX.

10.

QUando Vos, Cives Academici, ex instituto & observatione veteri, publica hac oratione salutamus, festo hoc die, quem DIERUM REGEM ap-

labat Gregorius Nazianzenus, DIEM LUCIS Chryſoſtomus; cujus olim in Eccleſia veteri per ipſos octo dies tenebant ſolemnia, quo effuſa omnium per domos, per vias regnabat lætitia: quid potius nunc faciamus, quam ut bono hoc die, quo bona verba dicenda nobis ſunt, PACEM vobis nunciemus: quam omnibus majorem triumphis redivivus è tumulo SALVATOR, ut optimum triumphorum ſuorum decus Diſcipulis ſuis largiebatur. Quo munere cum nihil ſanctius diviniusque ſit: quid eſt, quare non præ illo omnes Regum, Ducum, Imperatorum laureas, palmas, tropæa, atque adeo omnia gloriæ humanæ monumenta pro nihilo ducamus. Illi quorum omnis in armis & in bellica ferocia virtus verſatur, multum ad majeſtatem ſuam intereſſe exiſtimant: ſi quos per inſidias, fraudes, ſcelera, clades ſubegerunt populos, inter nominum & elogiorum ſuorum appendices circumferant: ſunt enim qui Africani, qui Numantini, qui Germanici, qui Britannici, qui Parthici, qui Gothici, qui Vandalici titulos oſtentant: At Noſter ille REGUM REX, cum univerſum hunc terrarum orbem, & omnem illam *ἐξουσίαν τοῦ σκότους* ſuis ſubjecerit pedibus, nunquam ſplendidiore ſe nobis titulo commendat, quam cum PRINCIPEM ſe PACIS profitetur. Talem cum jam dudum non Veterum tantum Prophetarum prædixerunt oracula: ſed & qui natalitios ipſi hymnos occentarunt

Cœ-

Cœlestes Genii, cum PACIS PRINCIPEM in lucem editum scirent, gentibus omnibus natam cum ipso PACEM nunciarunt. Illi ipsi quos æternæ salutis præcones sibi elegerat CHRISTUS, atque in omnes terras ablegaverat cœlestis doctrinæ promicondos, unam PACEM, & cum illa omnia sua & Christi secum portant, velut divini quidam caduceatores & feciales. Quorum cum voces hodieque superstites auribus nostris animisq; illabuntur: quis non cum Paulo exclamet! *ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά.* Ipse Sanctissimus Salvator jam terris discessurus supremam hanc Regni sui legem Discipulis statuit, cum PACEM illis SUAM, amoris sui pignus reliquit, ejusque propagatores & propugnatores designavit. Cum Pacificos omnes Beatos pronunciat, ostendit, quales ipse Regni sui Cives velit: namque omnes *τοὺς μακρὰν καὶ τοὺς ἐγγὺς* in bona paterna ire quasi decreto suo jubet: cum sub augustissimo illo FILIORUM DEI titulo in nomen suum assumit, & Germanitatis illis jura largitur. Quoties in olivarum monte, velut in cathedra PACIS (cujus symbolon exhibet Olea) ejus Doctor consedit! Illic principia fatalis & decretoriæ pugnæ, quæ PACEM nobis æternam triduana Victoris morte, triplicique triumpho comparavit. Neque enim Mors in vinculis eum tenere potuit, cum ipse esset VITA: non Inferorum tenebræ implicuerunt,

cum

cum ipse esset VIA: non fraudum artifex Satanas oppressit, cum esset ipse VERITAS: ut itaque vel tribus potentissimis hostibus superior, non-fabulosus tricipitis Cerberi Victor Hercules, ipsos in triumpho ducens, sibi gloriam, nobis PACEM acquisiverit. In vitam revocatus, quam ex ipso Virginis utero, eandem e tumulo PACEM, & quidem perfectam, in Orbem intulit, Discipulosque suos, ex eodem Olivarum monte ad cœlos abiturus, in ejus possessionem vocavit. Erigite animos, ad amabile PACIS nomen, Cives, PAX VOBIS! PAX VOBIS. Qua voce & vos alloqui Salvatorem nostrum credite. Nostis ipsi, qui in historia Romana non estis hospites, quo horrore in Carthaginensium Senatu bellum sinu suo effuderit Dux legationis Fabius: Pœnis enim tergiversantibus: *Quæ*, inquit, *mora est? In hoc ego sinu bellum pacemque porto: utrum eligitis?* Illis Bellum succlamantibus; *Bellum*, inquit, *accipite:* & e togæ suæ gremio in mediam curiam excussit. Vobis jam adest, Cives Optimi, qui non bellum, sed PACEM sinu suo portat: imo qui ipsa PAX est: Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν, καὶ τὸ μεσότειχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ: Ut illa Apostoli ad Ephesios verba loco minime alieno commemoremus. Quæ ergo mora est? An Pacem non accipitis? An vero ipsi bellum indicetis PACIS PRINCIPI, qui ne hostes quidem suos odisse vissus est: At quæ i-

sta pravitas esset & amentia? Quin PACEM vobis ex antiqna ipsius Magistri nostri & Ecclesiarum formula acclamamus. Eam enim jam olim in ritibus sacris usitatam fuisse docet nos S. Chrisostomus, homil. in Epist. ad Coloss. III. *Cum ingressus fuerit is, qui præest Ecclesiæ, statim dicit: PAX OMNIBUS: Quando sermonem facit & concionatur: PAX OMNIBUS: Quando benedicit: PAX OMNIBUS: Quando jubet salutare: PAX OMNIBUS: Et rursus in intermedio: Gratia vobis & PAX.* Ideoque PAX VOBIS OMNIBUS, Cives Optimi, & hoc præcipue tempore, quo ipse PACEM suam nunciavit Christus. Accipite PACEM, atque intra vos illa PACIS divinæ regna condite. Vel ipsa voluntas, & piæ meditationes rapient ad vos, atque intra præcordia vestra cogent e cœlis Deum. Comparebat hic JESUS in medio sancti senatus, ut Cor Corporis istius mystici: Aderit, & ille in medio vestrum *μεσίτης*, & cum illo PAX, quæ superat omnem intellectum: cujus svavissima vox non aures tantum circumsonabit, sed & pectora vestra saturabit, atque omne in vobis bellum tollet, omnes animorum motus compescet. In hoc velut Ecclesiæ suæ centro & nostro quies nostra est. Qui omnia est in omnibus, omnia erit in vobis; erit anima vestra ac velut in corpore & in membris suis operabitur: In vobis velut in cœlo DEUS suo habitabit: Hoc ille Rex in solio, Pontifex in templo sedebit. Hodie, Hodie, inquam, cum vo-

vocem ejus audiveritis, accipite PACEM, nec surdam ipsi aurem obvertite. Verum nunc, proh dolor! cum PACEM ingeminat DEUS, ad ARMA provocat Mundus: ut, quam adeo sollicite nobis commendarat, post illum non appareat PAX, aut cum ipso cœlos conscendisse videatur. Conjuratum est in bella: circumferuntur per provincias arma: vastitas agris inducitur: omnis civibus succus sangvisque exprimitur: cædibus, fraudibus, rapinis miscentur omnia. Non miserorum preces & lamenta, non populorum excidia, non exhausta æraria, non crudelissima facinora, non ipsa denique Salutis suæ cura ferreos homines expugnat. Quasi scilicet ideo bella suscipiantur, ut semper gerantur; Quasi nihil humanitati amplius relictum sit; aut ita demum ex naturæ instituto vivatur, si omnium sit in omnes bellum. Quam flagitiosam Autoribus suis non invidemus sapientiam. Vos vero, Cives Optimi, cum nulla bello, & ne paci quidem, quam mundus dare solet, salus sit, meliora ab Optimo Maximoque Magistro moniti, PACEM cum Deo ac vobismet ipsis, PACEM cum Magistratu fratribusque vestris perennem fovete: quo genuinos vos & Dei & nostros Legumque Discipulos ostendatis. Una certe PACIS ac AMORIS Lege id effeceritis, ut nostras honeste glorioseque contemnere possitis. Quod si nostra hæc cohortatio aurem vobis non pervellit, illam, cujus imagine

char-

chartas nostras obsignamus, Divam respicite, optimam maximamque Rerum Matrem PACEM. Quæ cum semper in conspectu oculisque vestris versatur, quando in insignibus nostris circumfertur, monere vos ipsa videtur: ne signorum, sub quibus togatam hactenus professi estis militiam, desertores audiatis. Neque committetis vos, ut in hoc quasi PACIS regno hostiles vestri & rebelles animi deprehendantur; aut ipsa ejus imago PACIS fractæ reos, tanquam societate sua indignos excludat. Valete. P. P. ipso PASCHATOS festo ANN. clↄ Iↄc LXXIX.

II.

QVod de Memnonis statuis proditum est, eas ad solis exortum concentus edidisse svavissimos, id nobis, Cives Academici, hoc ipso die in memoriam revocamus, ut hac velut imagine moniti religiosa discatis officia. Quid enim æquius, quid homini pio convenientius, quam ut in hymnos & jubila solvatur? non statua aliqua immobilis, sed mens æterni luminis radiis evocata; cum ante ipsam auroram, e sepulchro suo Vita, ab inferis Cœlorum Dominus, e mortis vinculis Libertatis & Salutis nostræ assertor, e tenebris ac nocte sua, æternum illud Patris lumen, Sol Justitiæ JESUS CHRISTUS, in lucem prodit: ut mortales omnes,

mor-

mortis faucibus ereptos, secum ejusdem æternæ vitæ & felicitatis videret possessores. Advertite animum ad tanti sanctitatem mysterii, ac pia mente tanti beneficii magnitudinem revolvite; cujus spes ad amorem divinum veramq; virtutem vos accendere potest; sine qua omnis hæc, quæ vobis ducitur vita, misera foret & injucunda. Neque enim audienda, que heri nudiusque tertius, e *senticetis & spinis* prodiit scelerati Cavillatoris sapientia; qui, impio in Christiana sacra sarcasmo, ignaviæ nostræ sperata immortalitatis præmia imputat, quasi nonnisi mercede aut utilitatis tantum spe vitæ probitatem metiamur. Magna sane hæc est Philosophia nostra, nec sane in triviis Sophistarum, sed in Dei Schola, non in pulvere literario nata, sed e cadaverum cineribus altè eruta sapientia: quod corpus hoc ab anima sua sejunctum, in minutissimum pulverem redactum, suis elementis redditum, iisdem idem particulis colligi, eodemque cum anima vinculo sciamus colligari. Nihil docuit unquam hujus, quæ ab hominibus excogitata est doctrina: Nam cum mundum hunc intueretur, fluereque omnia, suisque obnoxia mutationibus animadverteret, ultro communem tamen naturæ legem ejusque limites proferri non potuit, nisi a DEO ipso duceretur. Quamvis enim non omnia letho finiri, multi suspicarentur potius quam scirent, & de mentis nostræ immortalitate præclara quæque differerent;

rent; de corporibus tamen nostris in vitam revocandis, nihil illis innotuerat: ut a Philosophis Atheniensium cultissimis, cum doctrinam illam profiteretur Paulus, effusissime rideretur. Quare Sancti Patres in persvadendo hoc gentibus dogmate, e quo pleræque abhorrebant, vehementer laborarunt, conquisitis undique magna diligentia argumentis, quibus saltem non absurdum illud, aut ab ratione sana alienum probarunt. Neque enim firmioribus ea in dissertatione documentis uti poterant, cum ea quæ docebantur, non natura nota, & necessaria quadam illatione sequerentur, sed a libera Dei voluntate & potentia dependerent: quo telo illi semper in hac causa militarunt. Eleganter eam in sententiam Minutius Felix loquitur: *Quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuit fingi, ita posse denuo reformari? sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? porro difficilius est, id, quod non sit, incipere, quam id quod fuerit, iterare. Tu perire Deo credis, si quid oculis nostris hebentibus subtrahitur? Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodi reservatur.* Est scilicet solius hoc divinæ potentiæ opus: nam qui e naturæ virtutibus arcessunt hoc mysterium, vel inepte sapiunt, vel profane delirant. Facessant hinc cum osficulo suo seminali Judæi, unde corpus novum proditurum fabulantur. Inanes

etiam argutiæ quorundã sunt, qui in cineribus semina corporum excitandorum latitare autumant. Profanus impiusque nugator Pomponatius monstri quid alere videtur, cum in fraudem divinorum miraculorum resuscitationem corporum ad nescio quas abstrusas siderum, aut herbarum vires refert, ab illo qui earum, gnarus est, facile perficiendam; Apollonii Thyanæi in hanc rem usus exemplo, cujus tamen pleraque in invidiam Christiani nominis a Gentilibus conficta, ex perpetuo actorum, ejus, cum Salvatoris nostri actis parallelismo, non sine ratione conjecit Naudæus in libro illo, quo homines Magiæ insimulatos defendit. Extant tamen non exigua] quædam Veritatis hujus in Theologia etiam Gentili vestigia, quæ licet omnem rem non conficiant, indicio tamen sunt, plurimam ab omni ævo ejus rei fuisse famam, quæ primum per divinam revelationem hominibus cognita, cum sollicite premeretur, in vulgus hinc delapsa non sine fabularum & errorum admistione in animis hominum hæsit. Nota sunt, quæ de hujus universi per ignem παλλιγγενεσία, Pythagorici, Schola Ægyptia, Heraclitus, Stoici, pluresque alii Philosophi, docuerunt, sed de iisdem tamen hominibus in vitam reducendis altum apud illos silentium. Novos cum novo Orbe homines per vices suos redituros, magnus e Stoicorum familia Philosophus testatur· *Rejectus e, nostris sedibus*, inquit ille, *pelletur Oceanus, & anti-*

ti-

tiquus ordo revocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque terris homo inscius scelerum & melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia non durabit, nisi dum novi sunt. Alii vel ipsa naturæ vi & quasi morte aliqua mundum hunc interiturum crediderunt. Alii propius ad rei veritatem accedunt, qui & eosdem homines & eundem rerum statum reducendum arbitrantur, quod tamen temporum potius certis revolutionibus, infinita seculorum successione semper redituris, & astrorum cuidam fato, quam voluntati divinæ adscribunt. Quæ doctrina ad Ægyptios, Indos, & Judæorum etiam multos, imo & ad antiquissimos Septentrionum Incolas dimanavit. Verum quid attinet tenebras illas & umbras sectari, cum ipsa nunc clarissima nobis lux ob oculos versetur? Neque enim nobis nunc amplius res est cum hominibus tam imperitis & stupidis, qui gentium nugis quam divinæ veritati, totque rerum documentis, quæ in resurgente hodie CHRISTO, aures dare malint. Agite ergo, Cives Academici, perque hujus diei memoriam eum vobis diem ob oculos sistite, quo ante ora judicis vestri constituti, extremam illam & irrevocabilem sententiam audietis. Videte, ne, qui nunc tumuli lapidem perrumpit JEsus, in pectorum vestrorum tumulo denuo exspiret, sed ita quidem vivat, ut & vos, hujus spiritu agitatos, non vobis & vitiis, sed DEO & Virtuti vivere sentiamus. Valete. PP. KilonI. ipsis Paschatos feriis Anno cIↄ Iↄc LXXX.

12.

SI qui unquam lætitia singulari celebrandi sunt religiosi dies, hodierni illius nunquam ex animo delere memoriam debemus, quotquot æternæ salutis, ab illius temporis complemento, spes suspendimus Christiani. Triumphos sibi jam de JESU nostro ducere videbatur Judæorum malitia, militum furor, & omnis illa τοῦ σκότους ἐξουσία cum ultima nequitiæ in tumulo ejus obsignando manus imponeretur. Verum ille revulso & lapide & sigillo vitæ suæ redditus spem nostram obsignavit, & ad bonorum cœlestium hereditatem velut fratres germanos evocavit. Quo magis summum illud ἀναστάσεως mysterium pia vobis mente versandum hodie est, Cives Optimi, qui ab hujus Antesignani nostri in vitam & in cœlos reditu, animos in corpora olim vestra quasi postliminio redituros speratis. Neque enim audiendum est infame hominum genus, qui ut voluptatum luto immersi erigere ad cœlestia mentes nequeunt; ita hanc, quam habemus a DEO promissam resurrectionis spem cavillationibus suis labefactare non verentur. Præterquam enim quod divinorum librorum, quos violatis oculis legunt, contaminatis manibus attrectant, autoritatem elevant; rerum naturæ ita adversari hanc doctrinam divinitus revelatam existimant, ut tanquam vanum quoddam commentum in suo nequitiæ ludo explodant. Est vero illis eo auden-

dentius occurrendum, quo magis incautos illi animos & Scholasticarum demonstrationum opinionibus inflatos præstigiis suis occœcant. Ac primo quidem non adeo in aprico positam arbitramur hanc doctrinam, us absque doctore DEO, ejus injici aliqua suspicio philosophantium animis possit. Nam quæ supersunt ejus in Stoicorum scholis vestigia, latius evagantur; & quæ apud barbaras gentes, ac veteres Septentrionum filios in Eddæ, ut vocant, libris habentur ejus rei documenta, non aliis, quam sacris e fontibus, utut opinionum ineptarum sordibus incrustata, hausta videntur. Si ipsum adversus Sadducæos disputantem audimus Salvatorem, duos ille nobis cardines, quibus omne hoc mysterium volvitur, ostendit: Scripturas & Potentiam divnam, adeoq; erroris illos & ignorantiæ arguit, qui ejus argumenti vim & efficaciam non intelligunt. Ac quanquam sacra illa anchora est, qua utendum nobis in hac velitatione: tamen ad subsidiariam quasi pugnã adversus impurissimos sciolos adducendum est: non esse illam naturæ, quam isti jactant, contumaciam, ut in ordinem se redigi ab opifice suo non patiatur, nec corpora ex iisdem particulis recollecta, animis suis inquilinis, velut depositum e promptuario suo subministret. Neque vero morari nos in ipso limine debent morosæ quorundam argutiunculæ: qua corpora nostra ratione una eademque dici possint: præsertim cum tantus sit ma-

teriæ sensim per ætates accrescentis decrescentisque fluxus, ut tot annis a primis ungviculis disjuncti, non mutati tantum a nobis ipsis, sed pene alii videri possimus. Ac fuerunt sane qui miris dubitationibus & quæstionibus totam hanc doctrinam ita intricarunt, ut cum in nube illa notionum suarum quasi μετέωροι versarentur, non invenirent, ubi pedem figerent, ac conquiescerent: Peruvianis non dissimiles, qui doctrinæ hujus, incertum unde, persvasi, diligentissime & ungvium criniumque præsegmina, & sputorum sordes servabant; ne ad redintegranda olim corpora illa sibi deessent. Non est tam rigido capienda sensu ἀυτότης illa, ut ad ungves ac pilos descendamus τριχοτόμοι: cum ipsa ætatum intervalla, dum continuo aliquid materiæ abradunt & adponunt, corpus nostrum eo pene in statu relinquant, quo decantata illa Thesei navis ferebatur; cui idem nomen, toties tamen mutatis tabulis, manebat. Videmus quam varie figurata exhibeantur nobis corpora, quæ materia tamen una constant. Abit in glaciem aqua & in tot formas metalla, sola partium diversa locatione: cum eandem materiam corporum illa reductio ostendat. Minus itaque laborandum in his minutiis est. Quidni enim ex materia corporis nostri qualicunque superstite effectum dederit Deus infinita illa agendi efficacia? Cui facillimum est eundem ex hoc velut semine reducere hominem, ut e costa viri formaverat Evam.

vam. Quod si naturæ & homini licere hoc voluit summus ille Architectus: ut vel e cinere novam ejusdem speciei plantam producat (id enim fieri posse docuit nos arcanior scientia) quid non possit ipse hujus Universi dispensator supremus? Ex uno tritici grano (quo exemplo Divus etiam Paulus in mysterii hujus explicatione utitur) vel centena per generationem efformari novimus. Rationes jam quis subducat illarum partium, quæ ex unico grano in spicas tot granis gravidas per tot spatia effusæ sunt & dilatatæ, Natura obstetrice exiguam materiæ portionem adeo ingrandescere videmus: & divina potentia ex ossibus cineribusq; suis revocari corpora nostra posse dubitabimus? Versantur nobis ob oculos quotidiana rerum exempla, in quarum vel generatione vel compositione plus est secretioris naturæ, quam humana mens vel cogitando assequi possit: & in his mysteriis tam arguti sumus scioli & cavillatores. Conjicite oculos in oblatam Ezechieli speciem, ac videbitis quam graphice illic depingatur corporum ex ossibus, stabili maximeque solida illorum materia, excitatio. Quæ ut prima quasi stamina duxit natura, ita ultima relinquit istius massæ, ad novi quasi corporis ideam reservata. Quorum si vel aliqua superfuerit portio, annon eadem facilitate ex illis corpus integrum refecerit DEUS, qua ex unico grano tot alia natura producit. Nam quod in nobis ossibus inducitur, ut ex alimentorum

succis adventitium est, & mobilioribus sui partibus quotidie gliscit assiduaque perspiratione expellitur; ita a DEO, tanquam summo metatore, vel ex illis latibulis, in quæ concessit evocari, vel suppleri similis materiæ appositione potest, ut tamen ipsissimum, quod ante fuit, nobis corpus relinquatur. Quæ omnia qui attentius consideraverit, facile inveniet, quod argutatoribus istis reponat, quorum palmarium est, & in quo sibi maxime placent, hoc argumentum: Ajunt cadaveris partes quam celerrime fatiscere & dissipari: Si a bestiis devoretur aut ab Anthropophagis; in alterius animalis ac hominis succum & sangvinem converti: unde revocari in primi corporis fabricam nequeat, quod ab altero in sui partes adoptatum. Qui cum ista objiciunt, hominem non ut animal, a primo embryone per continua ætatum incrementa in istam molem porrectum, sed ut statuam æream vel marmoream intuentur. Cum enim non possint in custodia corporis ac in eodem situ retineri partes fluidæ, emigrare illæ velut solo suo possunt, ac aliud quærere domicilium, illo iterum turbandæ, & in illum quem natura præscripserit ordinem, redigendæ. Quæ cum in vivis corporibus non efficiant, ut alius ab infante senex habeatur; an nunc tam accuratam earum in cadavere rationem habent? Quod si in viventibus determinatam aliquam molem aut figuram ad ἀυτότητα illam definiendam non requirimus: quare in cadaverum mi-

minimis varieq; coagmentatis partibus anxie illa & cum omni pulvisculo conquirunt. Nec tamen illarum, utut toto cœlo oberrantium; particularum ulla metuenda jactura est. Esto denique in corporis alterius societatem assumptas esse partes corporis nostri carneas, quæ illis in alimentum cedant, ut in nobis illarum textura ex alimentis concrevit. Major est illarum etiam sic migrantium perennitas, quam quis credat, Quæ cum sensibus nostris deprehendi possint in carnibus, succis, liquoribus animalium, certo sibi genere pastorum: qui non durent, etiam cum illarum subtilitas pingviorem sensuum facultatem excesserit. Oculos habemus, lynceos illos corporum speculatores: Quot vero illis objicere species potest Proteus ille inter metalla Mercurius? qui jam in vaporem, jam in aquam, jam in crystallos, jam in pulveres varie coloratos abit, ac nisi in pristini corporis figuram igne tortus rediret, nullam sui suspicionem nobis relinqueret. Infinita sunt, quæ adferri in exemplum possunt. Et fieri talia in animalium naturis posse quis negatum iverit? nam major inquirendi difficultas in corporibus, quæ laxioribus spatiis continentur, rei veritati præjudicare non debet. Neque tanta est materiarum diversitas, ut in unam aliquam & communem redigi naturam nequeat, a qua cum per solam motionem, figuram, situm discrepent partes illæ, ex illo velut promptuario refingi possunt. Quæ

vero faciem figuramque illam circumferunt, continua illa corporum percolatione velut in orbem lapsæ, e peregrinis etiam sedibus, quo coloniam duxerant, prioribus vindicari dominis, & ad pristina redire domicilia, ubi Opifex ille summus jusserit, possunt. Exploratum est illis, qui corporum recessus & abdita rimantur, metallici generis particulas in limpido liquore sibi junctas, sed oculo non deprehendendas, alterius metalli solo appulsu, ita turbari posse, ut uno temporis momento, velut ex alveolis quibusdam prodeuntes, suis quæq; locis colligantur. Quod si hos in simpulo fluctus movere artifici licet, si reducere partes tam late divisas naturæ ope possumus: an dubitet quis, posse circumvolitantes in hoc Universi Ocreno nostrorum corporum particulas, aut aliis corporibus immersas, in suas quasque sedes divina illa voce & manu compingi? Illud enim præcipue in omni hoc negotio respiciendum est: non naturæ quadam vi aut impulsu talia confieri posse, sed solius Dei efficacia. Cujus cum ideam impressam habeamus Philosophi, notitiam atque familiaritatem Christiani: quem cum plus posse & scire sciamus, quam per materiæ dispositionem aut motionem in natura ordinariam præstari possit: quidni corpus pristinum ex materia restituere, illique animum jungere posse credamus, qui orbem hunc terrarum, & ex aliqua ejus parte corpus humanum condidit mentemque illi inspira-

vit. Cujus miraculi non pauca specimina Historia sacra consignavit. Quis vero de potentia, quis de veritate divina dubitet? nam voluntatem suam in divinis libris declaravit Deus: potentiam infinita ejus efficacia & sanior, ratio ostendit. Quare qui dogma hoc impugnant, ipso Salvatore judice, cum Sadducæis errant, scripturas potentiamque Dei ignorantes. De illis certa nobis atque explorata omnia: Huic nemo nisi effrenatæ mentis litem movebit. Ac summus profecto hebetiore ingenio homines, non modo ad sapientiam cœci, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, obtusi: quam ut divinam operandi rationem, si naturæ etiam subsidio hoc in mysterio utatur, comprehendamus. Quod si enim puerilis intelligentiæ vim & notionem fugit: qua ratione inaccessorum montium altitudinem, locorum remotissimorum distantias, terrarum mariumque circuitus metiri ingenio possit artifex. Si lunæ solisque defectus ad temporum momenta prædictos; si literas ad tot passuum millia loquaces: si horarum indicatrices machinas cum stupore mirati sunt barbari rudesque, sed homines tamen & ratione præditi Americani: Quid nobis in tam profunda abstrusarum rerum ignoratione non contingat? nobis scilicet, qui in inferiori intelligentium ordine constituti, superiora illa non scientia aliqua perfecta, sed truncis claudisque opinionibus suspicionibusque attingimus. Qui orbis hu-

hujus compagem, quam pedibus tamen calcamus, intuemur, facile animadvertimus; ut ex variis pugnantibusque inter se naturis coaluit; ita in aliam mutari faciem posse: si aut aqua aut ignis, quorum promptuaria illic servantur, terminis suis moti cæteris se partibus superfuderint, aliorum fortassis orbium conspiratione impulsi: aut si cardine suo vel tantillum hæc machina moveatur. An vero ista accidere certis temporum revolutionibus possint: An Deus ex arbitrio solo suo fieri velit, non est humanæ res intelligentiæ. Nobis hic unice ad infinitam illam causam respiciendum est, quæ illas orbium massas pro lubitu fingit, refingit, temperat; ut nos in exilibus unius orbis particulis operosi sumus. In quibus quam parum a tot seculis profecerimus, res ipsa clamat. Quæ magnitudine vel exilitate sensuum nostrorum mensuram excedunt exputare nullo mentis conatu possumus. In iis vero ipsis, quæ ante pedes sunt, & manibus tractari possunt, ubi omnes illorum angulos excusseris, secueris, rimatus fueris, in omnes denique facies verteris; in exteriore figura ac superficie hærebis, fundo ipso exclusus: nam in incognito principio & Θείῳ aliquo nobis tandem subsistendum est. Quo cognobilior itaque Vobis, Cives Academici, hujus mysterii sit cognitio, excitate animos vestros & ad Dei, Doctoris Salvatorisque vestri, hodie e tumulo exeuntis, disciplinam confugite. Qui ut in vitam rediit

cœlos ascendit, ita viventium mortuorumque judex olim rediturus est. Sic vitam vestram instituite, divina pædagogia ad cælestem hanc Philosophiam ducti, ut cum corporibus vestris, sed nova luce fulgentibus, tuba illa fatalis animos, veteres illorum colonos immiserit; illi corporibus suis æterna societate juncti, ipsissimis his oculis videant, quæ oculus non vidit, ipsissimis his auribus audiant, quæ auris non audivit, & omnia illa cœlitum gaudia, beatis permisti mentibus, toto pectore persentiscant. Valete P. P. ipsis Paschatos Feriis. Ann. cIↄ Iↄc LXXXI.

13.

QUæ fuit ad vos, Cives Academici, ex hoc ipso loco instituta oratio, cum nascenti Salvatori applauderet Ecclesia, illa cumulatiore nunc gaudio, in triumphos, epinicia, plausus efflorescit, cum in vitam redit, ut olim e virginis utero, ita nunc e virgine tumulo iterum quasi natus, mortis atque inferorum triumphator JEsus. Venerat ille tum e cœlo in terram infans nudus, inops; at nunc ille ad inferos descendit Heros, Gigas, ut in terram victor, in cœlos Deus rediret. Quod si nascenti expedivimus solenne nostrum χαῖρε: quæ non jubila reviviscenti fundamus, qui ideo ad dies ali-

liquot vitam posuit, ut per secula nos cum illo viveremus. Temporarium illud, at hoc immortale gaudium est: quando nos e mortalium sorte ad immortalium gloriam sublati, e terræ & tenebrarum filiis, lucis filii, & cœli cives designati sumus. Idoneum nacti sumus ad exercendam pietatem nostram tempus, in hoc tam splendido doctrinæ sapientiæque theatro. Ideoque animos excitemus, o Cives, commentemur nobiscum hujus diei mysteria, totoque spiritu & nervis omnibus id agamus, ut ad nos quoque divini hujus beneficii fructus pertingat. Redeundum & nobis in vitam est. Exeramus tumulo nostro caput, cumque Domino nostro reviviscamus. Neque enim vitæ hujus lux aut hujus cœli spiritus jucundus nobis esse potest, cum in vitiorum sordibus & tenebris jacemus. Cum in media luce homines olim quæreret Γελασῖνος ille Diogenes, non homines sed sterquilinia invenit. Quærat nunc aliquis Christianos & cadavera inveniet, ac sepulchra, dealbata vel saltem maximam in iis partem cadaverosam. Plerique enim Mezentii in nos statuimus supplicium, quo viventibus hominibus alligabantur cadavera, ut funereo fœtore, lentaque contagione periret sanum corpus. Cadaverosos in sinu, in visceribus, in sangvine nostro alimus affectus, quibus immersa sanior nostri pars, ita inficitur, ut non repente avellatur vitæ, sed minutatim subducatur. Vetus illud fermentum est, quod

ex-

expurgare jubet Apostolus, ne veterem Adamum novo homini plusquam Mezentii supplicio alligatum intra nos habeamus. Illum nisi resecemus abjiciamusque mature, metus est, ne pars sincera trahatur, novusque homo veteris hujus fermenti virulentia in perniciem rapiatur. Quare rectius e Salvatoris nostri præcepto, quam olim e Pythagoræ doctrina faciet, qui id tota vita sua aget, ut unus fieri discat, ut liberet se vinculis his, corporeque mortis, ut distractum infinitis curis & cupiditatibus animum in simplicitatem recolligat. Simplices enim animos & sinceros amat Deus, ipse simplicissimus; non multiplices & varios, intra quos turba est, & velut in Chao

Non bene junctarum discordia semina rerum.

Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis, tum demum recte *Phase* nostrum celebraturi. *Phase* enim *transitum* notat, sed a vitio ad virtutem, ab immunditie ad sanctitatem. Qui viam illam invertunt, non transeunt, sed redeunt, imo pereunt. Quod si naturam ac compagem corporis nostri intuemur, tota hæc massa carnea, ejusque partes insigniores suis quibusdam fermentis consistunt. Ut Homines nascamur, fermento generantis naturæ opus est; ut destruamur & corrumpamur, noxia se insinuant salutaribus succis fermenta. Tota denique vita nostra in continua sangvinis & humorum ebullitione, velut fermento perpetuo transigitur.

tur. Toti in fermento jacemus, sed maximam partem impuro & feculento, cujus in mentem molimina insidiosa sunt, eamque in degenerem sui naturam convertere totamque pervertere laborant. Idem significare fabulis suis Poetæ voluerunt, cum Prometheum homines e limo meliore alios, alios deteriori exstruxisse fingerent; ita tamen ut animalium singulis particulas a leone, sue, vulpe aliisque desumptas intexeret. Hæc sunt illa in nobis bruta naturæ, ac pravarum cupiditatum fermenta, quibus homines animales agitamur, ut non percipiamus ea, quæ sunt Spiritus Dei. Illa expurganda & cum pulvisculo abstergenda, e præcepto Apostoli sunt, ne cœlestis in nobis natura destruatur, quam sua resurrectione Christus exstruxit. Nihil nisi terreum & lutosum illa spirant. Sunt enim mortis æternæ fomites, quibus illa in homines primum propagata est: æterna nunc quoque futura, nisi sua resurrectione illam absorpsisset Mortis triumphator Vitæque nostræ assertor Jesus. Eradicanda itaque sunt illa mortis semina, ejicienda illa fermenta, si velimus vitæ fieri capaces: quæ, cum tam longo intervallo natura diremerit, committi cum morte atque uno in homine habitare nequit. Faciamus, o Cives, quod faciendum in civitate præcipiunt sapientiæ civilis Magistri, & quod in Dei civitate observandum ipse Apostolus monet. Nihil magis noxium Reipublicæ est, quam illud Aristo-

te-

teli notatum MIKPON, parvum, exiguum, ex quo plurima civitati inimica enasci ac provenire possunt. Illud qua fieri potest cura & industria reprimendum est, ne ex parvo paulatim cumulato maximum malum subito ingruat, e scintilla exigua magnum incendium exsurgat. Παραλογίζεται ἡ διάνοια ὑπ᾽ αὐτῶν: *Decipitur mens ab istis minimis, tanquam captione sophistica*, inquit Stagyrites: dum se non animadversa ac minutatim illa ingerunt, tacitis incrementis Rempublicam subversura. Obversentur & animo vestro, o Cives, aurea illa Philosophi verba: Μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν: imo ipsam Salvatoris vocem, ipsum Apostoli monitum ad animum revocate: *quod paululum fermenti totam massam corrumpat.* Videte itaque ne decipiamini, aut ipsi vos decipiatis, Soritas Sophisticos, e minimis istis accumulatos vobis nectente veteratore Diabolo. Videte ne vel tantillum fermenti in vobis resideat, omniaque sanie, odore, contactu polluat & absumat. Hujus rei quasi quandam imaginem sistunt veteris legis cerimoniæ. Quo enim tempore fermentato pane vesci vetitum erat, ne pauxillum quidem fermenti, sub gravissimo supplicio, intra domum servare fas fuit. Quam leve videri poterat pomi esus! hujus tamen cupiditas, pusillum fermenti, an non omnem humanam naturam, omnemque terræ progeniem depravavit, & ad infinitas miserias abjecit? Exiguum est, punctum est, quo rectitudo

animi omnisque virtus conquiescit. In puncto æquilibrium est, extra illud casus. Punctum est & illo minus, unde hæc corporis massa coalescit, punctum est, pusillum fermenti, quo illa degenerat & in lapsum vergit. *Expurgate*, o Cives, *Expurgate vetus fermentum, fermentum malitiæ & versutiæ, imo & pauxillum illud fermenti, ut sitis nova massa.* Pascha nostrum immolatum est Christus, Agnus ille purus & immaculatus, a cujus convivio omne abesse debet fermentum. Subigite vos in massam novam, sed fermenti omnis terreni expertem, non JOVE aliquo PISTORE formandam, sed pane illo vivo, qui de cœlis venit, animandam; ipso, qui cibus noster est, Deo sanctificandam. Hoc manna illud est, quod cœlo in animæ nostræ massam depluit, novoque fermento fœcundat. Non solo pane, sed verbo divino vivimus, quod & ipsum nobis est ὁ ἄρτος ὁ ἐπιούσιος, imo ille, de quo dicit Sapiens, quod sit *initium vitæ hominis:* nam illa mundi fermenta & quisquiliæ οὐδὲν πρὸς ἄλφιτον. Vivamus, o Cives, Vivamus hoc pane, *epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis*, cum alii comessationibus indulgent, cum meras mortes ex olla mundi comedunt, cum carnibus Ægyptiacis, non nisi vermium fermentis, viva cadaverum sepulchra, toti implentur. Ac erimus aliquando inter beatos illos Abrahami ac Isaaci convictores, qui *manducant panem in regno*

gno Dei, qui cum Salvatore *vinum novum bibunt in regno Patris ſui*, id eſt ſola Dei viſione ſaturantur, ut non *eſuriant neque ſitiant amplius.* Præcipiamus has Davidis illo vaticinio epulas: *ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Explicemus hoc profundius deſiderium Auguſtini verbis, e pia illa in Pſalmum CII. commentatione. *Non ſatiabor de mortalibus: non ſatiabor de temporalibus, aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. Sapientiam ſuam mihi det, Deum apud Deum & ſe Deum Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum.* O quam ſolennes, quam ſanctas, cum alii tota vita Saturnalia agitant, vos & nunc & olim Paſchatos celebrabitis epulas! Nam Deo, & Agno, & pane vitæ ſaturati, divina contemplatione ebrii, perennia inter Angelorum choros jubila olim fundetis. Valete P. P. KiloniI ipſis Paſchatos feriis Anno cIↄ Iↄc LXXXII.

14.

QUando hodie e tumulo in vitam redeuntis SALVATORIS JESU CHRISTI memoriam, inter plauſus & jubila piorum hominum, celebramus, Cives Academici, agite & vos hujus diei religione tacti, hujus myſterii arcana, animo ſolicitius revolvite, idque operam date, ut e corpore mortis, e criminum ſordibus, e pectoris veſtri tumulo vel ſemimortuas vel cada-

verosas animas, in vitam revocetis,& vitæ Domino, æterno mortis ac inferorum triumphatori in occursum mittatis. Tora enim nunc feralis theatri scena inversa est, cumque paucos ante dies, plurima mortis imago & mœroris nubes omnia occuparet, nunc cum diluculo ipso,è tenebris altissimis nova Vitæ lux emergit, piorumque hominum mentes divina illa face sua collustrat. Qualis nunc Salvator noster & quantum mutatus ab illo! Qui mortis caligine nuper exstingvebantur oculi, nunc luce sua Solis radios superant. Cujus capiti corona e spinis plexa imprimebatur, sangvinis guttis per tempora effluentibus, illi sidereum diadema, fulgurantibus undique ignibus, circumponitur. Cui sordibus ac sputo inquinata facies expalluerat, illa cœlesti nitore nunc exsplendescit. Quæ palato morientis obrigescebat lingva, nunc vitam omnibus proclamat, omnihus Pacem nunciat. Manus clavis affixæ nova jam victoriæ ac triumphi signa vibrant, in amplexus nostros ruunt, nosque divini sui corporis appendices ad ipsos cœlos exportabunt. Qui vermi similior quam homini, nunc e pulvere suo excitatus ad astra Deus effertur, non jam latronum, sed sanctissimorum geniorum satellitio stipatus, ac immortale illud gloriæ suæ regnum occupaturus. Effundamur, jam in hymnos & jubila, o Cives; hodie enim consummata sunt omnia, hodie e faucibus inferorum erepti cœloque asserti sumus, omnes ob-

obices, omnia claustra hoc Duce nostro perrupimus. Quæ piorum olim fuere Vatum, vota, ut ruptis cœlis descenderet tandem Salvator, illa hodie finem optatum habuere. Non enim rupit cœlos tantum, cum in sinum virginis castissimæ illaberetur, cum æthereæ cohortes orbes svavissimis implerent concentibus, cum nova e cœlo stella prorumpens, radiis suis natum quasi designaret: sed nunc ipsam terram, ut arctius cum cœlo connecteret, perrupit, & ipsas inferorum portas perfregit. Ipsæ illam vim Numinis sensere rupes, & in ipsis sedibus suis convulsa tellus sepulchra aperuit, Patribus in occursum tanti hospitis exituris. Ex ipsa denique terra prorumpens, excusso tumuli lapide, cœlorum orbes Victor Triumphatorque iterum perrumpit. Erigamus ergo animos, minimeque dubia & plane explorata spe nos solemur: ejusdem nos civitatis jure olim beandos, & cum hoc Rege nostro æternum regnaturos. Quemadmodum enim Adamus morientium antesignanus fuit, ita CHristus Dux est viventium: ab hoc vita procedit, ut per illum mors in omnes propagata fuit. Rediit in vitam Christus, redibimus & nos, qui membra sumus istius Capitis, ac vestigia ejus sequimur, qui, ne nos mortem metueremus, mortuus est, ac vitæ redditus, ut ejus exemplo spem nostram firmaremus. Arbor ille vitæ est, nos rami trunco ejus insiti: non ferent hi mortalitatis fructus, quos stirps illa immorta-

talitatis succo pascit. Quid ergo mortis minas exhorrescimus, Cives, cum illa in novam nos vitam reducat? Qui heri vel nudius tertius cum Christo in cruce pependimus, propediem in cœlum evehemur. Qui flagra, clavos, spinas, verbera hic nobis impacta sentimus, callum illis a bona piaque mente obducamus: erit cum his vibicibus & vulneribus velut insignibus quibusdam veterani milites triumphabimus. Ingrediamur læti lubentesque hunc terræ sinum: erit cum in novas segetes germinabimus, & in flores fructusque novos excrescemus. Irruant igitur in nos undique morbi, affligant, emacient, conficiant denique hoc corpus; depopuletur spiritus omnis febrium familia, latera tussis quatiat, lenta tabes membra depascat, medullas exsiccet, fibras contrahat, debilem facito manu, pede; ipsa deniq; mors oculos nobis claudat, faciem livido pallore tingat, carnes erodat; in cineres & pulveres tota hæc compages subsidat. Quid tum postea? facilis luti & sordium nostrarum jactura erit, qui Phœcices aliquando erimus, e cineribus nostris resuscitandi, & e morte nostra immortalitatem lucrabimur. Veniat utinam illa tandem dies, quæ finem ærumnis nostris imponat, quæ per totum terrarum orbem extremam illam vocem: SURGITE MORTUI! diffundat. Qua ex citati tumulo caput efferamus, & Salvatoris nostri, non ut Judicis, sed ut Fratris nostri faciem amabilem intueamur. Sed & vos,

vos, Cives Academici vel hodie auribus vestris fatalem illam tubam insonare credite: SURGITE MORTUI! Surgite a vobis ipsis, a malis moribus, a pravis cnpiditatibus, & fermentum illud cadaverosum everrite. Ostendite denique vitam vestram in amore Dei ac hominum, ut æternum aliquando vivere possitis. VIVAMUS, o Cives, (nam quod Poëta nequitiæ sensu dixit, nos in pios usus convertamus:)

VIVAMUS, pia corcula, ac AMEMUS,
Furoresq; hominum scelestiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere & perire possunt.
Nobisne semel occidat brevis lux,
Vita est perpetua una transigenda.

Valete PP. ipsis Paschatos Feriis Ann. cIↄ Iↄc LXXXV.

15.

QVi Amoris Divini mysteria in incunabulis vobis proposuimus, Cives, cum nascentis Dei memoriam nuper celebraremus, nunc ab extrema illa amoris linea ad interiorem, & ad ipsam metam vos vocamus. Quare non tam oratione nostra, quanquam & illa officio suo deesse non debebat, sed ipsa Numinis in crucem acti, in sepulchrum illati, in vitam redeuntis imagine perculsi, ipsis illis amoris stimulis incitati,

ti, omnes sensus, animos, spiritus, cogitationes in hujus mysterii contemplationem, in pietatis & religionis sanctitatem, in vota, preces & jubila exhaurietis. Quanquam ea amoris divini immensitas est, ut fugere intelligentiæ nostræ vim & notionem, ut obtundere, ut in stuporem vertere totam videatur. Frustra, quod in re magna & mirabili Poetæ solent, centum lingvas & ora, ferreamque vocem optaveris. Nam si tota illa rerum natura, quæ verbo fundata est, in meram se vocem resolveret; si omnia sylvarum folia, omnium herbarum flores in lingvas abirent, vix summa ejus lineamenta ducerent. Juvet itaque, o Cives, cum beatis mentibus, saltem in illa, si licet, παρακύψαι, vel e longinquo speculari, quod oculis animisque totum complecti non possimus. Sequamur illa vestigia, per quæ nos Historia de Salvatore nostro circumducit: in hanc tanquam in speculum intueamur: & amoris characteres ubique impressos videbimus. Quam ille singularum propemodum horarum exspectatione angebatur, mortem pro humano genere oppetiturus? Quoties ille cum Discipulis de suppliciis, de cruciatibus, de morte sua, de transitu ad Patrem sermones miscuit? Qui horum mysteriorum rudes, non nisi regna & triumphos animo conceperant. Quam ille animo toto adversus Petrum excanduit, Satanæ illum convicio excipiens, cum de ratione salutis & vitæ suæ habenda moneret? At ille sup-

supplicio crucis quasi inhians: *clarifica me*, inquit, *Pater.* Nam in cruce Dominus gloriæ gloriam suam reponebat, hujus se ornari insignibus gestiebat; hinc illi gloriosum pulchrumque apud gentes nomen efflorescebat. His infinitam illam caritatis suæ vim declarabat; qui acerbissimos dolores, cruciatus, mortem denique pro nobis innocentissimam subiit. *Majorem* autem *dilectionem nemo habet, quam si quis animam ponat pro amicis suis*, quod ipsum vivi spirantisque Amoris oraculum est. Quare & in Cygnea illa cantione sua dulcissimus Salvator. amorem mutuum Pacemque in ultimum pignus Discipulis reliquit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.* Videamus ergo quomodo salutem vitamque nostram summo suo beneficio consummaverit. Nam cum sæpius ad Discipulos suos de redimendo per mortem suam humano genere verba fecisset, jamque ad extremum illum agonem omnia spectarent, quasi exemplum quoddam & specimen tanti operis in Lazaro resuscitato extare voluit: ut his quasi primitiis & auspiciis & suæ & nostræ resurrectionis imaginem repræsentaret. Nam ut diserte Salvator: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei & ut glorificetur Filius Dei per eam.* Morabatur Sororum vota, quæ ad ægrotantem invitaverant: quarum unica in illo spes reposita erat: Non respiciebat ad amicum cum morte conflictantem, cujus tamen memoriam

in animo & ore circumferebat. Morti denique ipsi permisit, cui vel eminus nutu uno, verbo uno mederi poterat, & *gaudebat, quod illic non fuerit, ut crederent Discipuli.* Funus inducitur, sepulchro componitur, jam conclamata omnia videbantur, jam cadaverosus fœtor corpus occupaverat: & ex insperato mœrore prostratis sororibus Salvator cum hoc εὐαγγελίῳ supervenit: *Resurget frater vester.* Quod cum de resurrectione novissima intelligeret Martha, dubitare amplius instituto fidei examine vetuit. Cujus aureola verba omni melle svaviora, quis non animo infixa teneat? *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* inquit ille ad Martham: cumque affirmaret, operi se ipsi accingit, miraculo fidem hanc quasi obsignaturus, abit ad tumulum, aperiri illum jubet, suspensis inter hæc spectantium animis, magnâ voce Lazarum sepulchro evocat. Surgit ille & in occursum fertur Domino, funerearum post se trahens vestium exuvias. In amplexus ruunt sorores, in stuporem rapiuntur spectatores, celebratur omnium sermonibus miraculum, ringuntur Sacerdotum Principes, tam vitæ restitutum Lazarum, quam ipsum Restitutorem vitâ exturbaturi: Cum populus in jubila solvitur, cum Mortis & Vitæ Domino palmas suspendit, vestimenta substernit, epinicia occentat, & ad urbem magnis plausi-

sibus & clamoribus comitatur. Agebat itaque post minorem cum Morte velitationem triumphos Victor in majoris victoriæ auspicium, cumque jam animo illius voluptatam præciperet, doloris illius sensum altius ad animum non admittebat. Quo magis lætari etiam nos in illa morte quæ vitam nobis peperit, debemus, quam lacrymis luctuque afflictari. Gaudeamus itaque potius & gratulemur nobis, ne in eandem cum gentibus reprehensionem incurramus. Hoc enim præcipuè religionem earum falsitatis argumento redarguit Julius Firmicus. *Si Dii sunt, quos colitis, cur eos annuis luctibus plangitis? si lacrymis & luctu digni sunt, cur eos annuis luctibus plangitis? si lacrymis & luctu digni sunt, cur eos divino honore cumulatis? Unum itaque è duobus facite, aut nolite eos lugere, si Dii sunt; aut si luctu eos dignos putatis ac lacrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lacrymis vestris majestas divini nominis polluatur.* Non est lacrymabilis pugna, quam tanta sequitur victoria. Blandiebantur sibi Terrarum Domini Gentiumque victores, Africani, Germanici, Parthici titulis, quibus parum rei sæpe subfuit. Sed Victori nostro tituli ultra omnes Terrarum Cœlorumque titulos, & cum ipsa potestate dati sunt, quorum gloria fructusque æternum durabit. Quantum est vivorum mortuorumque Dominum vocari! *In hoc enim*, teste Paulo, *Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur.* Quantum in

mor-

morte Christi gaudii, quantum gloriæ est! Quid ergo nos cruciet? qui in patrimonio ejus sumus, qui viventibus mortuisque imperat. Servi ejus sumus, imo fratres sumus, sangvine ejus redempti, qui carnem nostram, velut certissimam æternæ hereditatis arrham in cœlos intulit. Illic thesaurus, illic cor nostrum est. Illic jam tum vivimus, etiam in mortis faucibus positi, si Domino vivimus, neque nos ut membra ab illo sejungimus. Hæc nos spes sustentet, afflictos erigat, hæc gaudia omnem dolorem abstergant, omnem mortalitatis sensum exstingvant. Omnem hunc si qui superest nobis, veternum, omnem mortis metum dulcissima Pauli verba excutiunt: *Nullus nostrum sibi ipsi vivit, nullus sibi ipsi moritur. Nam sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus sive moriamur, Domini sumus.* Triumphemus hac clava nostra Hercules Christiani! quam nullus nobis Dæmon extorserit, qua mortis tela facile retundemus! Moriamur: Quid tum? Christus tota est ἀνάστασις, ipsa Resurrectio, ipsa Vita, Dominus mortuorum & viventium. In hoc Domino, in hac vita nostra, etiam cum morimur, vivimus: in hoc Triumphatore, etiam cum succumbimus, triumphamus! O inexhaustam divini Amoris abyssum, qui nos morte sua vitæ æternæ asseruit! Quare ita vitam instituamus, ne amore illo indignos ipsos reddamus, eaque hæredita-

te,

te, quam sangvine suo Deus nobis peperit, excidamus. Amemus illum, qui nos amavit: Volvamus nobiscum ac revolvamus quas benignissimus Salvator ad Patrem suum pro nobis preces fudit, cum mortis oppetendæ tempus instaret. Perpendite dulcissimas illas amoris voces, quibus tum Summus Pontifex consecrare Patri suo nos voluit. Quid vero? annon easdem cum ad dextram ejus sedet ingeminaturum creditis? *Pater sancte serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos, ut & ipsi in nobis unum sint.* Ad unitatem ut omnis, ita & divinus amor tendit. Discamus etiam hic, è Pythagoræ præcepto, maturè uni fieri: expediamus nos ab omni mundanâ multiplicitate, ut simplicitati divinæ propiores simus: rumpamus illa peccatorum, illa mortis vincula: distrahamur, surgamus à nobis ipsi: ut in Christo, & per illum in Patre, fide, veritate, charitate æternum coalescamus. Valete P. P. ipsis Pasch. Feriis An. cIↃ IↃc LXXXVI.

16.

QVæ hodie celebrantur Christiani Orbis solennia, Cives Academici, ea animos perfundere religione debent, ut totos se ad mysterii hujus contemplationem componant, ardentissimoque affectu gratiam Redemtoris exosculentur.

ni-

Nisi mortis ille claustra perrupisset, nisi pedibus suis Dæmonem subjecisset, nisi e tumulo victor in lucem rediisset; quæ de redemptione nostra nobis spes superfuisset? quid de æterna salute miseri homines exspectarent? Ipse tertii cœli hospes Apostolus oraculo suo hoc firmat; *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides nostra.* Quare mysteriorum hoc mysterium appellemus licet, quo totum hoc redemtionis nostræ arcanum obsignatur, & omnibus numeris absolvitur. Cumque de triumphatis hostibus gratulari terrarum Dominis soleamus: cum plausibus, jubilis, epiniciis eos excipiamus: quid non faciendum nunc nobis existimatis? cum ab inferorum sedibus, non Hercules monstrorum domitor, sed cœli orbisque universi Dominus victor rediit, totumque humanum genus sibi vindicavit. Excitemus animos in gaudia, & quanta possumus voce exclamemus: *Hæc est Dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea!* Vos vero, o Cives, intuemini paulisper animis omnem illam Christi resurgentis historiam, & vel in minimis rerum momentis latitare mysteria deprehendetis. Præcipue vero ad illos qui huic negotio testes adfuerunt attendite, & vel in illis, quod acerrima contemplatione dignum sit, invenietis. Triplici illi ordine se vobis sistunt. Sunt in illis Mulieres, sunt Milites, sunt Discipuli: qui ut vitæ genere, animi indole, moribus, consiliis & rationibus sunt

dis-

disjuncti; ita triplicem varie in res sacras animatorum hominum ordinem, quasi in speculo quodam proponunt.

Ac primum quidem, nam ab illis incipiemus, MULIERES producimus, quibus singularis quædam prærogativa hic indulgetur. Mater olim mortalium Eva fuit, atque mortem orbi intulit: nunc per mulieres vita nunciatur mortalibus. Illic a muliere generis humani lapsus: hic resurrectionis spes ostenditur. Præivit olim ad mortem in horto mulier: hic e tumulo ad vitam præire videmus. Illic a Diaboli colloquiis mendacia; hic ex Angeli sermonibus veritatem discunt mulieres. Incipit hic a mulieribus fides, quæ primum in muliere defecerat. Simplicitate, mansvetudine, bonitate, modestia commendari mulieres solent. Tales sibi Deus animos flagitat: atque hi sunt, qui προεδρείαν in pietate & religioso cultu obtinent: illos sibi & amicos & familiares cooptat: cum feroces milites, sepulchri custodes, procul hinc exesse jubet: Discipulos vero stultos & incredulos ad inferiora scholæ cœlestis subsellia ablegat.. Mulieres in primis subsistunt: Discipuli in secundis tertiisque: Milites nullo loco & numero sunt. Mulieres ajunt & sciunt: Milite negant: Discipuli deliberandum censent. Mulieres vivere Christum dicunt: Milites de furto discipulorum mentiuntur: Discipuli suum illud: *nos sperabamus*, occentant. Mulieres veraces animas; Milites venales; Disci-

pu-

puli disputaces habuerunt. Illæ rem & fidem; Isti rem sine fide; Hi fidem post rem tenuerunt. Quod illis ἐυαγγέλιον, & testimonium; istis somnium & commentum; his problema visum est. Mulieres hic Lynceæ sunt, & vident: Milites fulgore excœcantur: Discipuli lusciosi visum receperunt. Mulieres blanda salutatione excepti: *Avete!* Milites quasi fulmine prostrati, *ceciderunt velut mortui.* Discipuli objurgatione perstringuntur: *O Stulti & tardi ad credendum!* Mulieres plus quam Viri audent: Milites Diabolos calumniis æquant: Discipuli minus quam fœminæ sapiunt. Quare in mulierum castra concedamus, & puram illam ac intaminatam fidem, ringentibus nequicquam militibus ac fluctuantibus discipulis amplectamur. Non duris; sed mollibus ac depressis pectoribus cœlestis se gratia immergit. Cœli rore saturantur lilia & rosæ in vallibus: cum de montibus deturbantur cedri. Virgineas in sponsa sua animas, candidas, inermes, fide, amore plenas purpuratus ille sponsus exsculatur. In his velut speculis divinus se ipsum pingit radius: In his serenitas est, nam in cœlo habitant; cum milites turbinibus & procellis aguntur; Doctores opinionum nebulis sunt immersi. Quod si sub mulieris imagine, in eremum profugæ Ecclesia spectari velit; secedamus & nos in illam solitudinem, nunquam minus soli, quam cum sic soli, ut tumultuantium militum turbæ, & disputantium contentionibus nos subducamus. Suc-

Succedit secunda MILITUM classis, qui sepulchro additi custodes, id quod viderunt, testes quanquam αὐτοκατάκριτοι fateri noluerunt. Primus ordo ut simplicium est, & tertius stultorum; ita secundus furiosorum est, & ὁλοαῖς μανίαις omnia agit, quos vix salus ipsa, si velit, servaverit. Huc referri debent quotquot sua vel potentia vel sapientia confisi superos suas sibi res habere jubent, nisi plane sedibus suis deturbatum iverint. Quid enim non designent hi Gigantum fraterculi, ferreæ frontis, duræ cervicis, saxei pectoris homines? si homines vocandi sunt, qui Centaurorum instar plus belluæ quam hominis habent. Qui vi omnia agunt tyranni, pugnaces & atroces Harpyiæ, nulla sibi jura nata, nullas leges scriptas existimant. Ideoque nil illis sanctum & inviolabile est, nulla religio, nulla honesti cura, nulla fides, plusquam militaris, vel potius Cyclopica in omnibus licentia. Qua via illi grassantur, omnia cæsim punctim omnibusque machinis oppugnant, omnia rapiunt, tundunt, & prosternunt. Iidem si sapientiæ se fundo ingerent; si

Impius hæc tam culta novalia miles habebit;

nam & hic à militaribus omnia turbantur & miscentur ingeniis, quæ non hinc fundi nostri calamitas? Erunt in iis, qui cum Stoicis non solo Jove minores, sed cum Menecrate ipsi Joves haberi volent, dogmatum suorum quandam ἀποθέωσιν semper meditantes. Nihil

tam alte positum erit, quod illi non ratiunculis suis sollicitent; vel ipsum cœlo DEUM & superos excussuri, imo ipsum etiam Acheronta expugnaturi. Hæc scilicet fortitudinis suæ specimina militares illi animi, quos *spirituum fortium* nomine Gallica lingva appellamus, ostendunt. In illis triumphabunt Milites illi gloriosi; si veritatem tot seculorum testimoniis suffultam, tot divinis suffragiis firmatam, labefactent & convellant. Cumque maxime stulta sint, quæ jactitant; virtutes tamen & sapientias ebullire se existimant. Naturam scilicet illi ducem seqvuntur: sed brutam illam, quæ capite mentes minuit & infra bestias abjicit, per coalitionem cum illis potius Centauri; quam per conjunctionem cum DEO homines appellandi. Sub ejus Naturæ signis illi militant, quæ *bellum omnium in omnes* repræsentare quibusdam creditur; in illo bellico statu, dum ita sentiunt, relinquendi; nunquam bono pacis divinæ, *quæ omnem excedit intellectum*, fruituri. Nunquam talium hominum animis se sistet, quæ hodie mulieribus se redivivam obtulit, æterna Patris Sapientia. Nam quod molles animos liquabit gratiæ lumen, Pharaonum lutosa & saxea pectora obdurabit, in fulmen commutatum totos prosternet. Mature ergo, qui ita animati sunt, illorum castris se subducant. Subigendus in nobis militaris Deoque rebellis animus, si triumphos eti-

tiam in illo ducere velimus, qui de morte & inferis Victor hodie triumphavit.

Tertia, quæ quasi medio modo se gerere videtur, DISCIPULORUM, qui in Emauntico itinere deprehendebantur, classis est. Sub qua omnes illi Disputatores argutuli continentur, qui non nisi per τεκμήρια convinci volunt, & ad sensus ipsos cum Thoma provocant: cumque ne decipiantur metuant; omnia tentanda & exploranda arbitrantur. Quare imperfecta fide & voce *sperabamus, credebamus*, utuntur belli hi opinatores & sapientuli, quos recte stultorum titulo appellat Salvator. Qui enim prava imaginatione ducuntur φανταστικοὶ & stulti sunt. Adeo qui cedri in montibus sibi visi sunt, fluctuantes in eremo arundines fiunt. Omnia in illis imperfectam fidem arguunt. JESUM vocant *Nazarenum*, quo nomine illum per contemtum Judæi appellare solebant: *Virum* dicunt, non DEUM non Dei filium: *Prophetam*, non Messiam, nil nisi humilia & mediocria animo versantes. Hos tamen in via sua devios & errantes in ordinem summus ille Doctor redegit: qui dubitantibus ductor in tempore adfuit. Nimirum ut ægroti à Medico sanari: ita errantes à Magistro doceri possunt. Primum reprehensione; hinc informatione boni Magistri partes implevit. Nam Mosen & Prophetas explicans, suum illud: *Nonne sic oportuit?* subjunxit, quod vetere Scholarum formula ὅπερ ἔδει δεῖξαι nos ef-

ferremus. Ergo errorum lethargo quasi sepultos excitavit: neque oculis tantum illorum se spectandum præbuit; sed in animis eorum reviviscere cœpit: ut jam non amplius suum *sperabamus* ingeminarent, sed *Mane nobiscum Domine*, inclamarent. Monstravit se ipsum Discipulit JESUS, cum in medio illorum stans: *Ego sum*, insonaret. Qua illi voce erecti: cum eadem antea milites prosterneret. Erigamus animos nostros, ô Cives, & vel à Discipulis istis serò sapere, ut Phryges, discamus. Qui ut non nisi plagis emendantur; ita nos vel objurgatione spiritus, & plagis justorum in viam revocari patiamur: si cum mulieribus & virginibus prudentibus obviam sponso Dominoque nostro non iverimus. Valete, P. P. in ipsis Pasch. solennibus. Anno cIↃ IↃc LXXXVII.

17.

CElebramus, Cives Academici, diem, toti orbi Christiano inter triumphos & jubila, omnibus lætitiæ documentis exigendum. Quoniam enim expleto redemtionis humanæ opere, post acerbissimum crucis supplicium, & humani generis hostes atrocissimos triumphatos in vitam rediit Salvator dulcissimus; nostra jam in illo redivivo spes firmata non mortis amplius minas, non Dæmonis insidias extimescet. Quicunque ergo ve-

ro pietatis sensu ducitur, ad Christi resurgentis memoriam, siquidem sua sibi salus ac æterna vita cordi est, pia meditatione expendendam, & hoc & toto vitæ mortalis tempore animum suum instituat. Apostolus ita colligit: *Si Christus resurrexit, etiam nos resurgemus: Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio & fides nostra.* Ergo in hoc cardine salus nostra spesq; omnis vertitur, quo labefactato, omnis illa evertetur & in nihilum recidet. Quod cum satis intelligerent veritatis divinæ hostes, quibus non machinis illam agressi sunt, quibus non mendaciis oppugnarunt! Non hic cum insanientis sapientiæ doctoribus litigabimus, qui cum capitali supplicio etiam mentes nostras mulctarint, omnem hanc corporum nostrorum restaurationem svavibus somniis accensent. Quid enim facies homini extra divinæ gratiæ & veritatis fines posito? *jubeas miserum esse libenter, quatenus id facit*, aut ita sentit. Nihil ad nos *οἱ ἔξω* pertinent: modo non intra ipsa Christianæ Reipublicæ viscera pestis illa doctrinæ quosdam afflaverit, ut & de animarum inmortalitate & de corporum resurrectione tenuiter admodum sentiant, ut quas possunt nebulas illi offundant, dum e gentilium & quorundam sciolorum, qui ipsis gentilibus pejores, senticetis, profanas istas argutias in Christianæ veritatis perniciem conquirunt. Quod cum moliuntur, omnem operam impendunt, ut Historiam de Salvatoris nostri resurrectione

in falsi suspicionem adducant. In quibus principatum tenet Ethices ille profanæ scriptor, Spinosa, qui Epistola XXV. Christi passionem, mortem & sepulturam literali sensu accipit, ejus vero resurrectionem allegorice, quasi scilicet non vere illa facta, sed poetico quodam & rhetorico colore conficta, &, ut non verbo dicamus, tota fabula sit. Quis enim illa Satana calumniatore digna verba sine execratione legat? *Fateor quidem resurrectionem ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad cœlum ascendisse, ut ad dextram Dei sederet, & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit; in quo tamen, salva Evangelii doctrina, potuerunt decipi, ut aliis etiam prophetis contigit.* Hæc sunt illa ex Orco ipso producta philosophemata, quibus nihil tetrius & blasphemum magis excogitari possit, unde omnis illa fidei nostræ vis, tota nostra spes & salus ab ipsis fundamentis convellitur. Et tamen salvam Evangelii doctrinam vocare audet homo insanus, dicam an impius, quæ hac interpretatione tota concidit. Ergo Paulus ipsi deceptus videtur, cum inanem suam prædicationem & fidem sine Christi resurrectione vocat? Ergo fidem illam Apostolorum, qua Christi resurrectionem crediderunt, & qua Ecclesiæ Christianæ salus unice fundatur, nefarius homo in simplicitatis ludibrium convertit, ita ut ab illis de-

deceptis totus postea Christianus orbis (id enim hinc sequitur) deceptus sit? Quis deceperit Apostolos? an simplices mulierculæ ab omni fraude alienæ? an ipse Christus? qui se resurrectum tertio die prædixerat. Nihil ergo tumulus signatus, ac per vim humana majorem adapertus, nihil alia divinæ veritatis documenta ipsi probant, aut aliquem ei assensum extorquent? Tota scilicet historia de resurrectione Salvatoris nostri illi

Pergula pictorum est: veri nihil: omnia ficta.

Adeo nihil ille ac illi similes homines admittunt, nisi quod sensibus suis comprehendunt, nulli historiæ, tot licet testibus firmatæ, fidem habituri, vel saltem in Sceptica quadam ἀῤῥεψία perduraturi. Occuparat jam olim quoque iste ἀπορίας morbus Discipulorum pectora. Quam misere enim illi Emauntici viatores fluctuant! Fatentur illi quidem: *Abierunt quidam e nostris ad monumentum, & ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt.* Testes illi e visu & auditu allegant; sed timide tamen assensum præbent. Ajunt mulieres: fidem suam interponunt angeli: condiscipuli, ad explorandam veritatem missi, angelorum mulierumque verba confirmant. Quid amplius illi requirant? Sollicite illi omnibus vestigiis rem indagant, omnes vias perquirunt, ut e tenebris, quod anxie cupiebant, eruant: omnes illi aditus excutiunt & scrutantur; omnia illi argumenta ad lancem exigunt, ne temere famam arripiant, quam o-

omnibus tamen illi votis veram vellent. Scilicet, ut *res eſt ſolliciti plena timoris amor:* ita fides illis fuit inter ſpem metumque ſuſpenſa, ut credere non auderent, quod maxime tamen vellent, hac ſua imbecillitate eo magis excuſandi, quo plus amoris ille metus abſcondebat. Ac ſane quis credat? cum ipſum ſe diſcipulis congregatis redivivum ſiſteret Salvator, quo evidentiora ſui ſigna oſtenderet, eo minus in illis fidei inveniſſe. Primum enim *conturbati & conterriti ſpiritum ſe videre exiſtimabant.* Quo errore illos liberaturus cum manus pedesque perfoſſos oſtenderet, ne ſic quidem fidem ab illis *non credentibus & præ gaudio mirantibus* extorquere potuit. Novum hoc in affectuum characteribus παράδοξον, eodem tempore & gaudium de bono acquiſito & diffidentiam de non obtinendo oſtendere. Pulchre de hac diſcipulorum incredulitate Chryſologus ſerm. 81. *Votiva gaudia & cum data fuerint, vix creduntur, optata cum perveniant, dant ſtuporem. Hinc eſt quod Apoſtoli reſurrectionem Chriſti celeriorem quam ſperaverunt, admirentur, & quod credunt tardius, non eſt perfidiæ ſed amoris.* Et illa quidem his condonari incredulitas, ut quæ minus haberet reprehenſionis, poterat. Verum plane ad veritatis ſenſum occalluerat Thomas, usque adeo obnixus non credere, ni ipſe digitos ſuos illis manuum & pedum laterisque vulneribus immitteret. Non oculorum ille ſenſu contentus erat, qui faciem viventis toties viderat, ſed cer-

certiora veritatis documenta flagitat, vivam scilicet illam e clavorum in corpore vestigiis ἀπόδειξιν, interiora vulnerum, ne falli objecta specie possit, rimaturus, ut verum e sensibus philosophum se ostenderet. Hæc scilicet illi solida sapientia visa est: crassam nos dicemus: quæ non animo comprehendit, sed manibus ipsis verum palpat. Varie etiam in sanctiore Apostolorum senatu animatos videas. Fuit qui militari audacia Christi causam ageret Petrus, sed repentinus e Milite glorioso & Hyperaspiste Apostata. Fuit proditor Judas. Medio inter illos loco dubitator Thomas fuit; quem sequi signiferum videntur, qui in fidei mysteriis ad illam humanæ ἀποδείξεως amussim omnia exigunt, ac parum in eo a proditoribus & apostatis distare videntur. Quid vero ad hæc χαριέστατος ille Salvator noster? Bonus ille Pastor, ut stupidas ac deliras oves simplicitate sua devias in viam reducit; ita rationis cornibus petulcos capros, ac in se ipsum arietantes reluctantesque retundit & aversatur. Dubitantibus ille, ut ἐπιδεικτικοῖς argumentis agat, se ipsum demonstrat, in se & in τεκμήρια illa sua digitum intendens. Αὐτὸς ἔφα, *Ego sum*. Qui jam ante dixerat: *Ego sum resurrectio & vita*, is nunc se ipsum redivivum suisque characteribus noscendum ostendit. Demonstratio hæc Gratiæ est, cum notas illas ac stigmata, quæ nostri amor ipsi impresserat, palpanda electis sanctisque suis exhibet. Respiciamus

ad hæc vulnera, o Cives, & ex illis cognoſcamus redivivum noſtrum Salvatorem. Quot hic vulnerum oſcula patuere, tot divini amoris ubera ſangvinis ſui rivos in tabeſcentes animas infuderunt. Hæc Σωτῆρος noſtri vulnera ſunt, quæ ille ab ægroto orbe retulit, noſtris vulneribus medelam paratura. Nam per ejus vulnera ſanati ſumus. Hæc humano generi promptuaria panduntur nullis ſeris occluſa. Hi mortis in Vita ipſa characteres ſunt, quondam infamiæ notæ, nunc æternæ gloriæ inſignia, & quædam Amoris ſignacula & tropæa. In his fodinis theſauri noſtri, in hoc latere, ac prope cor noſtri Salvatoris. Ergo & illic ubi theſauri noſtri ſunt, cor noſtrum ſit. Patent illic viſcera miſericordiæ ejus & per hæc foramina nobis affluent. In his alvearibus mella latent, in quibus guſtamus, quam ſvavis ſit Dominus. Ex hoc quaſi balſami ligno lancea compuncto ſangvis & aqua effluxit omni ungvento ſvavior, per totum orbem odorem ſanctificationis effundens. Quinque hæc ſtigmata ſunt, nec fortaſſis ſine cauſa. Nam quia nos quinque ſenſuum vulneribus ſauciati, per has quinque plagas ſaluti ſumus æternæ reſtituti. Hoc Pentagonum, hoc Penthalpha, felicius, quam illi è Magorum ſchola πεντάγωνα ſeu amuleta ſua, adverſus omnes Diaboli Orbisque injurias nobis ſuſpendemus. Ingenioſus hic Pierius Valerianus eſt, qui ſub finem lib. 47. Hieroglyphicorum, ex ipſa Salva-

to-

ris crucifixi figura, per lineas à ſtigmatibus ſingulis deductas, πεντάγωνον iſtam ὑγείας figuram; cujus Phythagoræi quondam in epiſtolis ſymbolo uſi ſunt, in veræ ſalutis ſignificationem depingit. Demonſtratio hæc, ut diximus, gratiæ eſt, ab ipſo noſtro Salvatore inſtituta, qui, ut aureolum Poëtæ cujusdam cultisſimi epigramma huc adducam, ita nos compellare videtur.

Fecit amor, caput ut ſpinarum ſcinderet orbis,
Pectus ut hauriret lancea, fecit amor.
Solus amor de me potuit perferre triumphum:
Ille pedes clavis fixit, & ille manus.
Sic cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige: pro tantis ſat mihi ſolus amor.

Amemus ergo Triumphatorem noſtrum, ab ipſo Amore triumphatum: idque demus operam, ut & de nobis ille triumphos agat, ac Triumphatori nos jungat. Verſentur hi nobis ob oculos & per omnem vitam, & in ipſo mortis limine, amoris characteres, qui aliquando, cum ille Judex venturus eſt, ut pulcherrima ſidera nos in ſui contemplationem abducent. Tum vero Demonſtratio illa iræ in impiis manifeſtabitur, *cum videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt, & ululabunt omnes gentes terræ.* Et tum quidem ſero hi Phryges ſapient & credent, quæ pervicaci ſua ſapientia olim inpugnarunt. Vos vero, o Cives Academici, ita ſapite, ita agite ut crucifixi Salvatores characteres animo impreſſos vivi ſemper circumfe-

feratis, idemque qui clavis ligno affixus fuit, animis fidei clavis affixus hæreat. Sic aliquando redemptionis veſtræ teſſeras & ſigna in illis Characteribus agnoſcetis, Judicem vero non expaveſcetis. Valete, P. P. ipſo Paſchatos Feſto Anno clↄ Iↄc LXXXVIII.

18.

QUando ad dies feſtos pio cultu celebrandos noſtra vos invitat Oratio, id præcipue eam ob cauſam fit, ut divinorum beneficiorum ἔναυλον μνήμην, quemadmodum Iſidorus Peluſiota loquitur, *memoriam velut auribus reſonantem* habeatis. Sunt enim divina Salvatoris noſtri facinora ad ſalutem humani generis confecta, certis quibusdã diebus quaſi concluſa, ne tantorum memoria myſteriorum ullo tempore animis noſtris excideret, ſed religioſa quadam diſciplina ſingulis annis in orbem rediret, piisque ritibus celebraretur. Ac ſanè qui divino honori conſecrati dies ſunt, ipſum beneficentisſimum Numen in hæc ſacra noſtra quaſi evocant, ut cum ipſis hominibus quodammodo feſtum agere diem videatur, ſiquidem nos è piorum hominum genere ſumus, qui quotidianas intra ſè Deo ferias agant, quales DEO caros, probisque moribus laudabiles πάντα τὸν βίον ἑορτὴν ἄγειν, *tota vita feſtos dies celebrare*, Clemens Alexandrinus dicebat, ut omnem

vi-

vitæ illorum curſum πανήγυρıν ἁγίαν appellat. Nunc quidem Paſchatos ſolennia, cujus diem bonorum cœleſtium μυςαγωγίαν vocabat Gregorius Nazianzenus, eo ſanctius tranſigemus, ſi cum reſurgente Salvatore vera animorum in fermento jacentium ἀνάςασις è D. Pauli præſcripto nobis inſtituatur. Hi nobis veri erunt azymorum dies, ſi non malorum morum fermento contaminata pectora ad hæc ſacra adferamus. Hæc everrere è nobis fermenta jubet Apoſtolus, eoque magis hic vobis laborandum eſt, ô Juvenes, quo majorem & promptiorem naturalibus ætatis veſtræ fermentis moralibus illis fomitem ſubminiſtratis. In memoriam vobis revocate, quid Polemoni acciderit, juveni ex Athenenſibus ditiſſimo. Hic cum vino gravis, ac ſertis redimitus, matutino tempore e convivio domum reverteretur, homo omnium voluptatum illecebris immerſus, ac Xenocratis Philoſophi, Scholam tum publicam habentis, fores apertas videret: illi ſe doctorum turbæ temulentus ingeſſit, ut ſaluberrimis Philoſophi doctrinis temerarie inſultaret. Xenocrates converſa ſtatim oratione de modeſtia ac temperantia verba facere cœpit, quæ ebrii hominis animum ita expugnarunt, ut coronam capiti detractam primum projiceret, brachiumque intra pallium reducens, compoſito ad attentam auſcultationem animo ſederet: quo effectum eſt, ut damnata vitæ prioris turpiſſima conſvetudine, eo ardore

re philoſophiæ ſtudia complexus fuerit, ut Xenocrati Magiſtro poſtea ſuccederet. Hæc in homine temulento humana ſapientia potuit, quid non divinæ in vos animosque veſtros licere velitis, o Cives? Permittite ut motos in vobis pravarum cupiditatum fluctus illa componat, & vetera illa malitiæ in vobis fermenta, ejus quaſi repagulis repreſſa, ſubſidant. Polemon per Philoſophi orationem voluptatum fermento eripi potuit; vos Numinis evocantis dicto non parebitis? Adeone ægre ſordes veſtras dimittetis, ut cum ſcarabæis in ſterquilinio ſemper habitantes mellificæ apis induere naturam nolitis. Quin potius meliora de vobis ſperamus, o Cives, & hæc vobis fermenta ſollicitius excutienda proponimus. Noſſe enim vos intus & in cute debetis, & latitantia illic fermenta, variorum vitiorum ſemina, ad ipſas usque minutias accuratius venari. Primum itaque de Fermento; hinc de Minimo fermenti ejiciendo vos monebimus. Sunt vero illa non unius generis fermenta. Quædam intra nos alimus, in ſinu noſtro, in ſangvine, in medullis ipſis fovemus: alia extrinſecus adveniunt, variisque ſenſuum & affectuum portis admiſſa, quaſi per cuniculos menti noſtræ adrepunt, deque illa triumphos agent, niſi majore ſpiritu repellantur. Intra nos quæ intelligendi facultatem corrumpunt fermenta ſunt, quorum præcipuum ſuperbia eſt: qua unica, ita mentes noſtræ dementari poſ-

possunt, ut ne salus quidem ipsa, si velit, servaverit. Nam quo excellentiorem ad gradum ea mentis vis evecta est, eo periculosiore vitio impugnatur, quod & Angelis & toti humano generi exitiale fuit: eoque firmiores illud radices agit, quo magis ex ipso animi fundo propullulat, nec externa quadam impressione insedit. Nullo ὁϱγασμῷ potentius animus quam illo movetur, ut fluminis hiberni instar per omnia ruat; omnia prosternat, ac tumori suo subjiciat. Hinc in Rempublicam perduelliones, in Ecclesiam hæreses, in Scholas pravæ opiniones invectæ: Hinc virtuti omni, hinc pietati certa pernicies obrepit, ut nihil magis cum omni ætati, tum præcipue juventuti cavendum sit: cujus mentem ubi semel ista pestis afflaverit, toto illo vitæ suæ cursu quasi turbine quodam in transversum rapietur. Hinc tot non solum in pietatis & religionis sed & literarum negotio Suffeni,

— qui longos imitantur, ab imo
ad summum toti moduli bipedalis,

ac gigantæo illo spiritu turgidi, ne pygmæi quidem vires æquaverint. Alterum fermenti genus ad Voluntatem refertur, quæ vel a se ipsa excitata, vel externa specie lacessita pravam intra se cupiditatem concipit, pessimorum flagitiorum semen, fomitem ac fermentum. Cui etsi contrario fermento Virtus occurrit, pudore scilicet, qui frena cupidati injicit; tamen ita cupiditas sæpe exardescit, ut omnis ille pudor

dor deflagret, ac inimico æstu absorbeatur. Nihil attinet hic recoquere illam nonnullorum disputationem: *An homo bonus vel malus volens fiat:* cui cum se singulari libro immersit Simon Porcius, non satis religiosæ Philosophiæ homo, ita rem omnem miscuit, ut nihil expediens omnia incerta reliquerit. Ex illo certe Philosophorum ille genere est, qui sincerum cupiunt vas incrustare, & salutarem divinæ veritatis doctrinam profanæ ἑτεροδοξίας fermento inficiunt. Frustra esset omnis ille de fermento expurgando conatus, frustra divina illa præcepta, si nihil potestati nostræ relinqneretur, si malitiam nulla nostra opera exuere possemus. Cui bono illa de purganda voluntate doctrina foret, si naturæ avertere impetus non licet? Cur denique

— — vitium vitaveris unum,
Si te alio pravus detorseris?

aut si potius ferrea quædam Te necessitas in omnis generis vitia detruserit. In animo nostro velut quodam fundo radices agunt illa fermenta, quas nisi omni conatu evellas,

Neglectis urenda filix innascitur agris,

bonamque sementem plane suffocat. Concupiscentiæ igitur & pravæ cupiditati obex ponendus est, qui per sensuum & affectuum faces accenditur. Hæc est illa, quæ ut Jacobus ait, in membris nostris militat, aciem instruit, bella intestina molitur, a qua in triumpho duci & captivari se Divus Paulus queritur. Omnis

mnis scilicet fermenti vis in pugna & lucta cum heterogeneis partibus conspicitur, quare commodiore voce illa concupiscentiæ operatio exprimi nequit, quam cum militare illa in nobis dicitur. Extra nos quidem illi sunt, qui cupiditatem nostram alliciunt, magnetismi, ac domestica in nobis cient fermenta; sed illis impulsi celerrime, quasi *αὐτόματα* quædam, moventur animi, & in occursum ruunt. Subtile hoc venenum est, quod vel odore ac halitu, imo ipsa luce inficit. Simulac radiis oculi miscetur à pulchra specie fulgor, statim in fermentum mens abit. Illa ut vidit! ut periit! ut misera cupidine pectus æstuat! ut assiduo pruritu & titillatione vellicatur! Accedit voluptatis illa sedes caro nostra; quæ fomitem cupiditati substernit, & φωτὶ ἀντιφράττειν, *lumini mentis obstruere*, Gregorio Nazianzeno dicitur. Nunquam luce sua animus pascitur, cum tenebras pravæ cupiditates offundunt. nunquam mens quieta esse potest, ubi sensuum vicinia tumultuatur, quos Basilius eleganter *κυμαίνειν*, id est, *perenni agitari fluctu* dicit, ut quasi ad ventorum nutus rapiantur, neque apud se consistant. Dum extra peccandi occasionem constituti sunt, multi probi sunt & philosopha sententia, mirifice de bona conscientia animique rectitudine diserti & canori: offer illis talenta, & fidem fallent, quamprimum illlis dolosæ fermenta lucis, auro vibratæ, oculos animumque subierint: ac intacta

illa quondam & illibitata fidei & justitiæ virginitas tanto pondere misere comprimetur. E Perturbationibus, quanta animo fermenta accedunt! illæ enim ut Tullius ait, quasi furias quasdam nobis immittunt. Illas scilicet, quas Græci πάθη, hoc est morbos dixere, toto vitæ cursu multi sæpe circumducunt, neque prius, quam in tumulo deponunt. Perpetua illi in contentione vivunt, sua bile, libidine, velut salamandra ignibus, pasti. Nunquam illi apud se sunt, nunquam soli, etiamsi in solitudine versentur; ipsi sibi theatrum in turbulento pectore fingunt, ut gratis insaniant, & furiosæ mentis agitatione extra se ferantur. Quare laborandum nobis est, ut illum, quem Democritus sapientiæ finem ponebat, ἐυθυμίαν, animi tranqullitatem, non tam per philosophiam, quam per pietatem assequamur, & vivos illos affectuum nostrorum fœtus, κακοῦ κόρακος κακὰ ὦα, pio parricidio interficiamus. Quæ extra nos fermenta sunt, in mala conversatione sunt, quam sedulo ut omnes, ita vos præcipue, ô Juvenes, vitare debetis, ne qui per vos boni estis, alieno contagio pereatis. Quare & Apostolus, ubi de fermento expurgando ad Corinthios suos scribit, ut ab illis, qui incestus crimine contaminati erant, discedant, monet: ne illorum consortio misceantur, & aliquid mali à vicino malo in se derivent. Nimirum Φθειροῦσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαὶ, & ab una sæpe ove in totum gregem scabies diffun-

funditur. A malo exemplo mala cogitationibus fermenta inferuntur, quæ ſenſim in totam maſſam abeunt & occultis contagiis propagantur. Qui rerum naturalium indolem altius ſcrutantur, in fermentatione quandam verminationem, & ut ita dicam φθειρίασιν ſibi deprehendere viſi ſunt; ac animi ſane noſtri fermentis ſuis, quaſi tineis & ſerpentibus minutatim corroduntur. Fuga à malis, prima ad ſalutem via eſt. Virginem ſervemus mentem à fermentis mundi meretriciis intactam. Virginem ſibi mentem poſtulat Deus. Nam ut Hebræis Virgo ab occludendo dicitur, ita occluſam etiam mentem noſtram ſervemus. Cuſtodiatur ergo noſtra illa Virgo,

Ut flos qui in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori; nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,

ne in proſtibulum per pravos aliorum mores degeneret. Si Flamini Diali apud Romanos, Plutarcho teſte, attingere fermentum non licuit, nos qui ſummo Numini nos conſecravimus, illa fermenta, vel potius fermentis malæ libidinis agitata pectora non tangamus. Illud denique agamus ut noſtra fermenta excutiamus, aliena non admittamus. Non excidemus pio coſilio, ſi ne minimas quidem fermenti reliquias in nobis ſupereſſe patiamur. Nam ut vel à minimo fermenti nobis caveamus monet Apoſtolus. Videndum ſcilicet eſt, ne nos in fermento ſimus & habitemus, aut il-

lud nobis dominetur: ita enim illo toti tandem abſorbebimur: ſed in nobis fermentum eſt, ſpes expurgandi nobis relinquitur. Incipienti gangrænæ facile obviam eunt Medici: ubi paulum proceſſerit, membri mutilatione tolletur: letalis illa erit, ſi ſibi relicta in viſcera, in viſcera ſævire inceperit. Non poſſumus quidem illa fermentorum minima plane excutere, illas, quas Græci eleganti voce προπαθείας, perturbationum initia, dicunt: ſed obniti tamen illis generoſeque obſiſtere debemus, ne per conniventiam & indulgentiam noſtram nobis ipſis ignoſcentes hoſti tandem ſuccumbamus. Quis enim inter homines adeò vitæ integer, adeò ab omni labe immunis ſit, ut nihil in illo reprehendi poſſe videatur. Tuberibus ſi non offendamus, verrucis ignoſcendum eſt, quas facile, ne in tubera excreſcant, prohibebimus. Etiam in pietatis ſcholâ optimus ille eſt, qui minimis urgetur vitiis, quæ ita tamen cohibenda ſunt, ſi extirpari plane non poſſunt, ne in molem excreſcant. Ut è pulchrarum conſortio non excludimus virginem cœtera formoſam,

dente ſi nigro fieret, vel uno
Turpior ungui:

ita e piorum hominum cœtu ſegregandus non eſt, qui levi quodam errore impingit: quanquam ita comparatum plerumque eſt, ut major inſanus ægre minori; minor facile majori parcat; ut feſtucas aliorum lynceis oculis intuea-

eamur, in trabibus nostris cœcutientes. Ne gemmas quidem & uniones sine sordibus invenimus: nec aurum sine recrementis: nam ut pura illa habeamus, igne, aqua, politura opus est, unde splendori suo reddantur. Vos vero, o Cives, ad summum virtutum & pietatis fastigium enitemini, si ne in minimis quidem erroribus vos venia dignos existimaveritis. Agite ergo, o Juvenes, (nam ad vos nostra hæc instituta est Oratio,) vel hoc festo die, quo fermentum vetus evertere jubet Apostolus θυσιῶν δίκην pectora vestra purissimæ menti offerte, quo nullum gratius sacrificium etiam gentiles Philosophi agnoscebant. Videte ut illi malitiæ fermento illud virtutis pietatisque fermentum ἐνεργητικὸν opponatis, quod in vobis iræ, libidinis, invidiæ, φιλαυτίας æstus exstingvat: illum vero sincerum Dei amorem, in quo unice mentis nostræ puritas consistit, accendat. Exuite illarum rerum desiderium, quæ ipsæ perpetuo fermento agitantur, suisq; obnoxiæ vicissitudinibus nihil in se puri & sacri habent. Vanæ sunt omnes mundi opes, & quicquid ex humanis æstimare solemus mortales. Ne ipsæ quidem fermentorum reliquiæ in hoc concupiscentiæ regno vobis prætermittendæ: adversus quas ita vobis pugnandum est, ut primæ spiritus in illa pugna partes sint; neque bonum quod in vobis semen est, spinis & sentibus voluptatum suffocetur. Videte ne in iras effervescat, in libidines despumet, quin

potius in conatus generosos, ingenuo ac sapienti homine dignos ille ætatis juvenilis fervor ebulliat. Ne qua foris irrepant fermenta, ante portas custos in vobis spiritus excubet, qui à limine ipso mature submoveat ac propellat. Opponite mali fermenti minimo veræ fidei fermentum, quæ licet sinapis tantum granum æquaverit, in arborem cum tempore excrescet. Implete charitatis oleo & fermento lampades vestras, quo illæ splendeant & exardescant. Quod si vetera vestra non expurgaveritis, nova Reipublicæ & Ecclesiæ ipsi fermenta accedetis, ubi ambitione, avaritia, invidia, tumultibus omnia miscebitis: Ipsi in ovile Christi, quæ nunc non extremum occupat, scabiem Pastores inferetis. Quot fiet, ut cum malis exemplis ad peccandum incitantur alii, mala exempla in consvetudinem, consvetudo in jus abeat, & nonnunquam justitiæ & pietatis larva simplicioribus imponat. Addat potius divinus amor menti vestræ alas, quales etiam animæ Plato apponit, ut e fermento, cui immersi estis, erepti mature ad beata illa regna etiam in his terris evoletis, ac verum illud Pascha perpetuo mentis ad Deum transitu celebretis. Valete. P. P. KiloniI. in Ipso Paschatis festo. Anno cIↃ IↃc LXXXIX.

19.

19.

QVi hodie anniversaria religione in populo DEI celebratur dies festus, Cives optimi, omnium ad veram pietatem animos excitare debet: cujus jucundas utilesque recordationes nostra quoque oratione vobis, ut sæpe dedimus, ita nunc quoque daturi sumus. Quid enim ad hanc felicitatem nostram addi possit? qui per mortem Salvatoris nostri JESU CHRISTI, ejusque in vitam reditum nostræ morti eripimur, & vitæ æternæ heredes designamur. Hæc illa spes est, quæ nos in his vitæ ærumnis unice solatur: hæc jacentes erigit: hæc animo semper præfigenda est, ut in illam intenti nunquam a meta dejiciamus oculos, sed ad DEUM conversi, ejusque spiritu animati, ita hic vivamus, ne ulla nobis mors gravis incubet: ita hic mature resurgamus, ne æterna nobis morte pereundum sit. Vivimus in hoc terrarum orbe, non tanquam Domini in ejus possessionem missi, sed hujus velut machinæ quædam appendices, aut inutilia pondera: spiritum trahimus, variis motibus impellimur, ut vivere nos ostendamus, qui tamen elementis nostris tanquam sepulchro immersi, cadavera nostra circumducimus. Vos inprimis, o Cives, qui in ea ætate estis constituti, cui virent genua, rubent genæ, robur & æs triplex circa pectus est, ne in vita illa vestra, in robore, in lacertis & nervis confidite. Non enim illa vera vita est,

quam cum brutis animantibus communem, habemus, quam aëris haustu metimur, quam cibo & potu fulcimus; sed si mentes nostræ in illo, qui ipsa vita, veritas & Lux est, velut in sinu suo conquiescunt. Utinam viveretis omnes! atque ita viveretis, ut ille vitæ sensus veræ fidei pietatisque calore se proderet, neq; mortui inter vivos deprehenderentur. Sunt ex illo hominum genere, quos atra bilis vexat, qui mortuos se esse credunt, & pro iis haberi volunt, cum tamen vivant, vitæque signa edant: at gravior eorum insania est, qui cum ipsi mortui sint, pro vivis tamen maxime haberi cupiunt. Nemo non vivere se credit, cum tamen palatia, urbes, fora, collegia cadaverum plena sint, passimque lemures & larvæ & *simulacra modis pallentia miris* occurrant. Vivere illi videntur, non vivunt, ut de Claudio Imperatore, sed stolidissimo mortalium, exstincto Seneca dicebat: *desiisse ipsum vivere videri.* Vidistis forte homines singulari phantasiæ morbo laborantes, qui cum sensus omnes somno sepultos habeant, vigilantium tamen munia obeant, per domos discurrant, scalas ascendant, ad ipsa fastigia sæpe enitantur, armis alios lacessant: quorum tamen non meminere, ubi e somno evigilaverint. His omnino similes sunt, qui vivere videntur, cum non vivant: ut illi vigilare, qui tamen altum dormiunt. Ille scilicet somnus gelidæ mortis imago est, ille lethargus Noctambulones istos,

qui

qui non in luce sed in tenebris ambulant, & tenebrarum opera amant, occupat mortique suæ tradit. Inter hos Noctambulones ne & vos deprehendamini, omni vobis opera cavendum est. Vigiles vos esse & circumspectos oportet, ne in præcipitia feramini. Vivendum vobis est, ne in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ ducatis. Animæ anima DEUS est, unde omnis vita, omnis motus est. Ab eo qui sejungitur, mori incipit. Sejungitur autem, quisquis voluptatum illecebris, libidinibus, furiisque degenerem animum mancipavit. Quibus cum vitiis vestra ætas maxime tentari soleat, videndum vobis est, ne in ipso vitæ exordio, vita vestra periclitetur. Accedunt (quis enim neget?) multi ad Academias, non tanquam Athenis Musas, sed Corintho Laidas amplexuri: qui cum pietati, bonæ menti, bonis artibus consecrata pectora habere debebant, in nugis, in ineptiis, in voluptatibus velut scopulis toti hærent, iisque immoriuntur. Ac fit nonnunquam, ut qui vel sero cum Phrygibus sapere debebant, cum ætate magis desipiant, aut a virtutis via, quam olim ingressi fuerant, turpiter deflectant, ipsique Reipublicæ & Ecclesiæ adulta & inveterata vitia inferant. Adeo ut cum prudentes in vita non essent Promethei, ne præteritorum quidem annorum vitam deplorent Epimethei. Nonnulli eo vesaniæ procedunt, ut cum semel pudorem decoxere, aut frontem præfricuere,

cauteriatæ conſcientiæ philoſophemata, inſanientem & flagitioſam ſapientiam in malitiæ ſuæ ſubſidium amplectantur, ex oviculis in hircos & vulpeculas, e columbis in milvos & corvos abituri. Hi jam dudum e terra viventium exceſſere, toti mortui, & qui ipſi mortuos ſepeliunt, & in idem mortis conſortium trahunt, imo vero plus quam mortui: quandoquidem, ut Chryſoſtomus ait, mortuis multo deteriores ſunt, qui vitiis ſuis immortui ſunt. Cum enim in morte naturali anima ſeparetur a corpore: in hac peccatorum morte anima ſeparatur a DEO. Illa mors ſomno propior eſt, cum ipſe Salvator Lazari mortem eo nomine appellet: ſed altera illa, omni morte, quocunque illa nomine veniat, omni ſupplicio & cruce pejor eſt. Parum eſt capite minui, libertatem amittere, in inſulas deportari, ad metalla damnari, & ſimilia, quibus mors induci civilis ſolet: Hac morte non tam capite, quam ipſa mente minuimur, æternum ſumus pœnæ ſervi, non in inſulas, ſed in Tartara deportamur, ad inferorum conſortia detrudimur. Verſamur hic in Theatro ac palæſtra, a ſummo illo Motore hic collocati, non ut fruges conſumamus, ſed ut continuo virtutum exercitio nos vivere oſtendamus. Non vivit, qui vitæ nulla ſigna oſtendit, aut nullos ad motum lacertos ac ſpiritus componit. *Univerſa hominum vita;* inquit Baſilius, *virtutis paleſtra eſt, ut vivere non videatur, qui ſe in virtutum palæſtra non exercuit.*

Cum

Cum vero a vitiis abscedit & virtutibus operatur animus, *tunc ille*, ut Plato quoque judicabat, *vivit & viget: tunc officio suo fungitur, tunc sincerus & integer esse incipit, seque imagine divina, quam gerit, dignum exhibet.* Quare vel hodie nobis vivendum, o Cives, vel in vitam redeundum est, si in viventium numero esse desierimus. Neque enim illa, cujus memoria celebratur, Salvatoris nostri ἀνάστασις, ullo nos fructu beabit, nisi hic ita vixerimus, ut nihil in nos juris mors habeat, aut à morte nostra in vitam reversi fuerimus. Multa de vita cœlitus comparanda nonnulli è Platonicorum Scholis nos docuerunt, quomodo scilicet astrorum vires in corpora nostra evocandæ, eorumque beneficio per bene multos annos vita proroganda: sed nos potius de vita divinitus comparanda solliciti simus, quæ non annorum longitudine, non seculorum successione, sed ipsa æternitate continetur. Ad hanc vitam omnis illa vita nostra tendit, qua si illa meta excidit, in devia & divortia dilabens, nulla est via qua tendimus, sed errorum caligine obsepti sine duce, sine scopo vagamur:

Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique
Error, sed variis illudit partibus.

Quare ut in viam & in vitam redeamus, ad carceres ipsos reverti debemus & novæ illius vitæ primordia, quæ non è terra sed è cœlo ducitur. Hanc

Hanc perpetua illa contemplatione foveamus & pietatis exercitio ad maturitatem perducamus. Perducemus autem, si sensuum furori paulatim rationem subduxerimus, ne illis in prædam cedat, aut velut sicariis quibusdam succumbat, si terrestri huic carnis moli cœlestes motus imprimamus. *Qui latitant & torpent* (Seneca ait) *sic sunt in domo quasi in conditorio. Horum licet in limine nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Quæ se in sensus efficaciter non diffundit vita morti propior est, homineque Christiano indigna: cujus & vita & lux lucere debet coram hominibus. Adeo qui hic latuit male vixit, suamque mortem antecessit. Sed tamen & hic verum est illud: Bene qui latuit bene vixit, si illa parte latere maluit, qua alii inanem voluptatum & deliciarum orbis speciem ostentare solent. Quare si se extra non quæsiverit, sed in se ipsum recesserit, & illic DEO regna sua exstruxerit, ejectis vitiorum sordibus & quasi tumulo quodam compositis, in ipsa illa morte vitam præcipiet. Tumulemus in nobis illas veteris Adami reliquias, voluptates, libidines, furiarum stimulos, ut ipse in in nobis Salvator nascatur; excitemus nos ipsos à morte, ut & ille in nobis resurgat. Quod si fecerimus, ita in his terris vivemus, ut hæc vita nobis mortalis minime futura sit; sed per mortem nobis ad æternam illam vitam aditum ipsi recludemus, ubi Triumphatori Mortis JESU CHRISTO, inter per-

pe-

etua beatarum mentium jubila, æternum hymnos & epinicia occinemus. Valete P. P. pso Paschatos festo Anno cIↄ Iↄc XCI.

IN FESTUM PENTECOSTES.

20.

QVod rerum vobis divinarum ex hoc loco nonnunquam inculcatur memoria, graviter sanctissimeque, Cives Academici, est constitutum. Cum enim omnibus; tum vobis præcipue opera princeps & pene omnis in pietate insumenda est, quæ unica veræ sapientiæ substernit fundamenta. Compellare autem hac inprimis luce vos oportuit, qua magnæ hujus Universitatis Doctor Sanctus Spiritus, sub ignearum specie lingvarum, per Apostolorum vertices diffusus menti eorum se ingerit, & omnium gentium lingvis perorat. Novum hoc Doctrinæ genus, nova docendi ratio, qua divino adflatu serpit in animos sapientia, & in luce circumfusa omnia sistuntur intellectui, quæ literæ & lingvæ hominum e longinquo oculis auribusque nostris ægre instillant. Insidetur a Præceptore suo animus, habitatque in Discipulis suis Doctor, qui cum in se thesauros doctrinæ habeat re-

con-

conditos, imo ipſa ſit ſapientia; non niſi ſe ipſo illos informat. Indocti erant, rudes, ſimplices, e Piſcatorum plerique familia, quos Apoſtolos ſuos Salvator noſter delegerat. Simulac vero Spiritus Domini eos adflavit, vidiſſes Theologos, qui divina loquerentur myſteria, docente eos Spiritu, qui omnia etiam profunda DEI ſcrutatur: Jurisconſultos, qui juſtitiam nunciarent populis, orbem terrarum aliquando judicaturi: Medicos, qui vel tactu ſolo morbis mederentur: Philoſophos, qui docerent ſapientiam, non turgidam illam & inanem (neque enim inflat, quæ ex afflatu divino eſt ſcientia) ſed æternam, quæ mundo eſt ſtultitia: Oratores non una vel altera tantum, ſed omnium gentium lingvis diſertos: Poëtas, qui in laudes DEI jubila cantarent: Politicos, qui ad magnam illam DEI civitatem formandam mitterentur. Videtis quæ compendio docere poſſit Schola DEI Præceptore DEO, quæ non olim tantum in Apoſtolis, ſed & nunc quoque intra ipſa præcordia veſtra aperitur, o Juvenes; ad quam noſtra vos invitat Oratio, ſi a vobis impetrare poteſtis, ut in vos ipſos deſcendatis. Vocat ecce vos, & luculentas hodie faculas præfert ipſe Spiritus, qui animæ veſtræ mens eſt, ſine qua ille in ignorantiæ tenebris habitat, & ſua quadam morte perit nunquam in vitam reducendus. In illo vivimus, æterno mentium pabulo, & aura hac ætherea veſcimur. In illo movemur,
cum

um ad pietatis officia impellimur; quieſcimus, cum a turbis circumſtrepentibus in bene compoſitam mentem ſecedimus, divina pace fruituri. Sedet in nobis ille pro tribunali judex, adſtat teſtis, intervenit advocatus: Cauſas noſtras orat & decidit, tam gratioſus præſidio, quam rigidus judicio. Quanto rectius nos meliora moniti dicemus, quod olim Seneca: *Sacer intra nos Spiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos: hic prout a nobis tractatus eſt, nos ipſos tractat:* Quid enim divinius ipſum Chriſtianum os dixerit, o Juvenes? Scilicet iſtum Genium & Deum animis noſtris adſiſtentem meliori quidem jure dicemus, quam Gentium Philoſophi, qui Dei inhabitatione & impulſu Virum bonum definiebant. Hunc intra nos DEUM habeamus, ô Cives, ſi boni eſſe velimus, ſeduloque operam demus,

— *ne ſua cuique Deus ſit dira Cupido,*

& immundus iracundiæ & libidinis Spiritus, excuſſo divino, dominetur. Suſcipite ergo & vos cum Apoſtolis magnum illum hoſpitem, qui, dum ultra cœlum empyreum abit Sol noſter Salvator, ſub ignearum lingvarum ſpecie in Apoſtolos, ceu nova quædam orbis Chriſtiani ſidera, & ſine ſuperſtitione iſto omine præſignificatos Reges, delabitur. Cordi flammulam ſuam eſſe vitæ nutricem tradunt Medicorum filii: at vos ſanctiſſimum hunc cordibus veſtris, ignem concipite, gratasque

vos

vos ignei amoris victimas, templa, aras, sacerdotes gerite. Nec Promethei furtis hic opus est; cum preces & suspiria illi sint fomites, qui spiritum hunc igneum rapiant. Quin sponte sua illabetur ille, si vacua habeatis à furoris æstu & rerum vanissimarum fumis pectora, ad cœlestia, tarda licet, & mole sua reluctantia illa evecturus. Namque & in natura, ut impleatur vacuum, descendere levia, ascendere gravia videmus. Quanta hæc Dei clementia est! Cum habitet in luce inaccessa, ὁ πατὴρ τῶν φώτων, lumen suum ad terræ & tenebrarum filios, quo lucis fiant filii, dimittit; igne suo accendit, non illo iracundiæ indice, quo consumpsit quondam profani ignis oblatores, sed blando, gratioso, vivoque emblemate charitatis. Suscipite, denuo vos compello, suscipite hunc Spiritum in filios Dei vos adoptaturum: susceptum ita fovete, ut sub Spiritus hujus, disciplina non in tenebris, non in scelerum sordibus, sed in ipsa veritatis, justitiæ, modestiæ virtutumque omnium luce vos vivere videamus. Quod si vero monita ejus spernitis, impulsibus resistis, exemplo furentis nunc seculi in omnem insaniendi licentiam abrepti; adsidebit ille vobis inter tot apparitores & testes Agelos Judex & Vindex: cum vos illud Davidicum: *Quo fugiemus, Domine, a Spiritu tuo, quo ibimus?* ingeminabitis. Si a DEI, legum, Magistratus abitis reverentia; *quorsum ibitis a Spiritu Domini?* Si ad jurgia, lites,

es, pugnas? quam vos fugiet Spiritus iſte, acis, & *quorſum vos ibitis à Spiritu Domini*, qui idet hæc, quotidie aurem vellicat, & de voismet intra vos teſtatur? Quin abite potius à nundo, ab ineptiis ſeculi, deſcendite in vos & Spiritum illum, ſublimiumque horum myteriorum admiratione excitati, conſcientias excutite, ſcelerum ſordibus animos purgate, ut ſvaviſſimus denique ille hoſpes pleno vos jure poſſideat, aliquando in æternum gloræ divinæ regnum deducturus. P. P. KiloniI ipſis Spiritus S. feriis Anno cIɔ Iɔc LXIX.

20.

SI quæ unquam ſerena orbi terrarum dies illuxit, ea eſt, *Cives Academici*, cujus hodie celebramus memoriam; longe illa felicior, qua prima rudi huic moli lux immiſſa, ſuo ſingula ordine & colore diſtinxit. Nunc enim non corporibus, ſed mentibus multo illa ſerenior affulſit, ſeque ipſis totam immerſit, cum ſuper Apoſtolorum vertice, velut in cœlo ſuo, oriens novum in illis diem, diſpulſis animi tenebris, ordiretur. Venerentur JOVEM ſuum SERENATOREM profani idololatræ; nos SERENATOREM SPIRITUM non fronte tantum ſerena, ſed & pectore ardentiſſimo excipiamus; cujus hodie Φωτοχυσία ab Apoſtolis in omnes, quotquot

capaces ignis illius fomites in nobis alimus, velut ſpeculis lucidiſſimis diffunditur. Procul hinc faceſſe, qui libidinis œſtro, invidiæ, iræ æſtu accenderis, *digne puer meliore flamma:* non niſi in puras illa animas è cœlo, velut in victimas & holocauſta DEO offerenda, deſcendit. Abeſte vanis opinionum fumis & nebulis inflata pectora, alio animanda afflatu ſunt, quæ ſapientiæ divinæ, pietati, Virtuti ſe conſecrabunt. Quam miſerè humani ingenii ſcintillis & igniculis, ſed cineri interdum doloſo ſuppoſitis, ſe jactitant tenebricoſi Sophiſtæ! Non niſi nubecula eſt ſoli oppoſita facula, aut ſi quid è vero trahit, ὄρθρον eſt, diluculum, ex Eccleſiaſtæ ſententia, tenuis ac crepera lux, præ illo æternæ veritatis ſolſtitio. Stulta olim erat Heracliti ſententia, decidere in terram de beatorum ſedibus animas: quarum, velut alitum, quibus pennæ præ ſenio defluxere, lapſus vidiſſe ſe teſtabatur in Phædone Platonis Socrates. Sed & mirabilius & verius eſt deſcendere de cœlo in animas DEUM, ſuperfundi Doctoribus divinam ſpecie viſibili lucem, quæ mentis in illis oculos illuſtret, præ quibus ne Argi quidem ſatis ſint oculati: quæ faces ad cœli viam accendat: quæ ſegniores in illis igniculos excitet, & ad ſublimiora, ætherea, ad ipſum τὸν πατέρα τῶν φώτων & ad lucem, in qua ille habitat, inacceſſam, quantum per humanæ indolis caliginem licet, abducat. Intuemini, ô Juvenes, vivam hujus myſterii ima-

maginem, excitate animos, tollite oculos, ut & hodie, ex voto coronati illius Poëtæ, *signet super vos lumen vultus sui Dominus*. Quæ cum S. Gregorius Nyssenus explicat verba, virtutes per illam DEI faciem intelligit, quibus, ut inquit τὸ θεῖον εἶδος χαρακτηρίζεται. Earum in Salvatoris nostri discipulis, nunc per ignem spectatis Philosophis, & flammea ornatis coronâ Magistris, longe lateque resplendent exempla. Videtis Soles tot, Soli illi Pythagorico non absimiles, qui vitreæ naturæ, quos hausit ignis cœlestis radios, in inferiora refundere fingitur. Si Philosophum è Gentilibus sapientissimum audimus: πάντα φύσει ἔχει τὸ θεῖον, inest quiddam omnibus divini, & nobis ipsis, prima Opificis nostri lineamenta, studio nostro in DEI Officina expolienda. Igniculos illos vocabat Tullius, in quibus ventilandis divinus operam ponit Spiritus. Si semina & ζώπυρα cum Philone appelles,

Igneus est ollis vigor & cælestis origo
Seminibus,

quæ igne suo lacessita in solidas fruges ac ὁλοκαρπώματα tandem adolescant, & homines beatis Geniis similes forment, qui ὥσπερ φωστῆρες, inter seculi tenebras, omnium in se oculos convertant, Divine, ut multa, argutissimus Seneca: *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus!* Estote vos, simus omnes Boni, qui, ut idem Seneca, *nunquam sine DEO sunt*, sparguntque per orbem terrarum

virtutum radios, præ quibus, ut de juſtitia, quæ ſuo modo omnes comprehendit, Stagirita: οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. Ut uno verbo dicamus: Filii Lucis ſimus, εὐγενεῖς illi, & vere, quia ex DEO regeniti, Generoſi. Nam & ſuis ille elementis nos refingit. Terræ filii ſumus, & tenebrarum, e terra prognati, in illam redituri, ignava ejus pondera. Ne humi affixi æternum jaceamus, aqua, quæ ad gignendum a natura deſtinata eſt, ad tardiores primum motus per παλιγγενεσίαν nos ſollicitat. Subit hinc, ſegnioresque animos rapit Spiritus, ac circumpoſitis columbæ pennis in ſublime provehit. Ut ad ſumma tandem evolemus, ultra Solis Lunæque vias, ſanctiſſimo igne propellimur, non jam amplius mortales & homines, ſed θεοειδεῖς & æterni cœlorum hoſpites. Hæc illa non per Poëtarum Pegaſos & Cyllaros, non per Platonis volatiles currus, ſed per virtutes a DEO in nobis propagatas emergendi ad cœlus via eſt. Quæ & apud Græcos, ſi Philoni credimus, ab extollendo & erigendo nomen invenerunt. Anaxagoræ commentum ridetis, qui ætheris ambientis motu igneo, raptos de terra lapides, in ſtellas, per mirabilem & inauditam μεταμόρφωσιν commutari ſtatuit. Sed miſeros e ſaxo, e luto homines ultra ſidera abripi, & plusquam ſiderea luce fulgere, annon fidem omnem ſuperat? Et vos tamen, o curvæ in terras animæ ad iſta non reſpicitis, qui ſero cum Phrygibus ſapitis, me-

meliorum gnari quidem, ſed deteriora ſecuti, Mileſiis ſimiles, quos non ſtultos eſſe, ſed facere tamen ſtulta judicabat Ariſtoteles. SURSUM CORDA, lingvis igneis e cœlo animanda! Quæ ſi inter ſe conſpirant, ut conſpirare in corpore noſtro natura jubet: o quis ex iſta conciliatione concentus! Vos videritis, ut cœleſtes illæ lingvæ cordatos vel inveniant vel faciant, ac indiſſolubilem in vobis cordis & lingvarum nexum conſervent. Nam, ut Petrus Chryſologus præclare ait: *Inter cor & lingvam totum ſalutis humanæ verſatur & geritur Sacramentum.* Quod ut rectius teneatis, declarat Apoſtolus ad Romanos ſcribens: *καρδίᾳ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν.* His velut cardinibus fides caritasque volvitur. Cor DEO ſoli pervium vel ipſo ſilentio loquitur: Lingva hominibus cordis occulta exponit. Utriusque ad DEUM feliciſſima conſpiratio eſt, ſi animus illo plenus lingvam in hymnos ſolvat, & ad jubila propellat. Invitat & vos ad illa cantanda, qui hodie ſub Lingvarum ignearum ſpecie apparet Spiritus, ac ipſas Præconum divinorum lingvas facit diſertas. De igne quodam loquente, qui e terra proſiliens Faum Regem præceſſerit, vocemque ediderit imperii tranquilli nunciam, Chinenſium an hiſtoriis, an fabulis proditum eſt. At noſter ille non e terræ cavernis progreſſus, ſed e cœlo in Apoſtolos delapſus ignis, melioribus auſpiciis, quam olim Servius Tullius,

præsignificatos in DEI civitate Reges, ipsos ut ut indoctos, ut ut infantes, ultra hominum fidem omnibus reddidit lingvis facundos. Novus hic divinæ Eloquentiæ ludus, Doctore DEO, ipsis lingvis igneis Magistris panditur, o juvenes! Argumenta si quæritis, ipse se Spiritus & capiti & pectori ingerit ἐνθύμημα: Si λόγȣς dispicietis; ad æternum illum λόγον horum fontem respicite: Si ἤθη: non alio, quam illo gratiarum promicondo inexhausto, ac animorum conciliatore, Oratores gratiosi eritis: Si πάθη; hic plus quam Demosthenis fulmina sunt, & longe divinius πῦρ ac θέρμη (illis sc. orationis ardorem vocibus exprimit Aristides) quæ υἱȣ̀ς illos βροντῆς nobis gignat, quo S. Johannes olim ornabatur elogio. De memoria si estis solliciti; loquemini quæ nunquam didicistis, statim ab ipso tyrocinio Magistri. Ut pronuncietis commode; ipsæ vos juvant lingvæ. Omnia ad FIDEM faciendam, summum hujus svadæ finem, divino apparatu instructa. Consultaturi hunc & πάρεδρον & συνεργὸν habebitis Spiritum. Si reos vos defendetis; aderit ille παράκλητος. Si in divinas laudes exardescetis; hoc optimi Doctore panegyristæ, pleno ore, omnibus lingvis τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ θεȣ̃, non Solis, ut proverbio dicitur, radiis, sed ipso DEi digito, ipsis lingvis igneis scripta & demonstrabitis & celebrabitis. Quæ cum nox nocti, dies diei nunciet, cœli, ut semper, ita nunc tot lingvis enarrent;

vos

vos aliquam ex illis, bonæ mentis fomite, quasi pio Promethei furto rapite: quæ causam in vobis vestram apud judicem oret: quæ inter Astrorum matutinorum, inter beatarum mentium choros, inter ipsa illa ῥήματα ἄῤῥητα, vestras quoque voces & jubila, nullis seculis finienda, expromat. Valete P.P. KiloniI d. XXX. Maji Anno cIɔ Iɔc LXXX.

22.

QUod rerum vobis divinarum ex hoc loco nonnunquam inculcatur memoria, graviter sanctissimeque, Cives Academici, est constitutum. Cum enim omnibus; tum vobis præcipuè opera princeps & pene omnis in pietate insumenda est, quæ unica veræ sapientiæ substernit fundamenta. Compellare autem hac inprimis luce vos oportuit, qua magnæ hujus Universitatis Doctor Sanctus Spiritus, sub ignearum specie lingvarum, per Apostolorum vertices diffusus, menti eorum se ingerit, & omnium gentium lingvis perorat. Novum hoc doctrinæ genus, nova docendi ratio, qua divino adflatu serpit in animos sapientia, & in luce circumfusa omnia sistuntur intellectui, quæ literæ & linguæ hominum è longinquo oculis auribusque nostris ægre instillant. Insidetur à Præceptore suo animus, habitatque in Disci-

pulis suis Doctor, qui cum in se thesauros doctrinæ habeat reconditos, imo ipsa sit sapientia, non nisi se ipso illos informat. Indocti erant, rudes, simplices, è Piscatorum plerique familia, quos Apostolos suos Salvator noster delegerat. Simulac vero Spiritus Domini eos adflavit, vidisses Theologos, qui divina loquerentur mysteria, docente eos Spiritu, qui omnia etiam profunda DEI scrutatur: Jurisconsultos, qui justitiam nunciarent populis, orbem terrarum aliquando judicaturi: Medicos, qui vel tactu solo morbis mederentur: Philosophos, qui docerent sapientiam, non turgidam illam & inanem (neque enim inflat, quæ ex afflatu divino est scientia) sed æternam, quæ mundo est stultitia: Oratores non unâ vel altera tantum, sed omnium gentium lingvis disertos: Poëtas, qui in laudes DEI jubila cantarent: Politicos, qui ad magnam illam DEI civitatem formandam mitterentur. Videtis quæ compendio docere possit Schola DEI, Præceptore Deo, quæ non olim tantum in Apostolis, sed nunc quoque intra ipsa præcordia vestra aperitur, ô Juvenes: ad quam nostra vos invitat Oratio, si à vobis impetrare potestis, ut in vos ipsos descendatis. Vocat ecce vos, & luculentas hodie faculas præfert ipse Spiritus, qui animi vestri mens est, sine qua ille in ignorantiæ tenebris habitat, & sua quadam morte perit nunquam in vitam reducendus. In illo vivimus, æterno menti-

ti-

tium pabulo, & aura hac ætherea veſcimur. In illo movemur, cum ad pietatis officia impellimur; quieſcimus, cum a turbis circumſtrepentibus in bene compoſitam mentem ſecedimus, divina pace fruituri. Sedet in nobis ille pro tribunali judex, adſtat teſtis, intervenit advocatus. Cauſas noſtras orat & decidit, tam benignus præſidio, quam rigidus judicio. Quanto rectius nos meliora moniti dicemus, quod olim Seneca: *Sacer intra nos Spiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos: hic prout a nobis tractatus eſt, nos ipſos tractat*: Quid enim divinius ipſum Chriſtianum os dixerit, o Juvenes? Scilicet iſtum Genium ac DEUM animis noſtris adſiſtentem meliori quidem jure dicemus, quam Gentium Philoſophi, qui DEI inhabitatione & impulſu Virum bonum definiebant. Hunc intra nos DEUM habeamus, o Cives, ſi boni eſſe velimus, ſeduloque operam demus,

— *ne ſua cuiq; Deus ſit dira Cupido*

& immundus iracundiæ & libidinis Spiritus, excuſſo divino, dominetur. Suſcipite ergo & vos cum Apoſtolis magnum illum hoſpitem, qui, dum ultra cœlum empyreum abit Sol noſter Salvator, ſub ignearum lingvarum ſpecie in Apoſtolos, ceu nova quædam orbis Chriſtiani ſidera, & ſine ſuperſtitione iſto omine præſignificatos Reges, delabitur. Cordi flammulam ſuam eſſe vitæ nutricem tradunt Medicorum filii: at vos ſanctiſſimum hunc cordibus

vestris ignem concipite, gratasque vos ignei amoris victimas, templa, aras, sacerdotes gerite. Nec Promethei furtis hic opus est: cum preces & suspiria illi sint fomites, qui spiritum hunc igneum rapiant. Quin sponte sua illabetur ille, si vacua habeatis a furoris æstu & rerum vanissimarum fumis pectora, ad cœlestia, tarda licet, & mole sua reluctantia illa, evecturus. Namque & in natura, ut impleatur vacuum, descendere levia, ascendere gravia videmus. Quanta hæc DEI clementia est! Cum habitet in luce inaccessa ὁ πατὴρ τῶν φώτων, lumen suum ad terræ ac tenebrarum filios, quo lucis fiant filii, dimittit; igne suo accendit, non illo iracundiæ indice, quo consumpsit quondam profani ignis administros, sed blando, salutari, vivoque emblemate charitatis. Suscipite, denuo vos compellamus, suscipite hunc Spiritum in filios DEI vos adoptaturum: susceptum ita fovete, ut sub Spiritus hujus disciplina, non in tenebris, non in scelerum sordibus, sed in ipsa veritatis, justitiæ, modestiæ virtutumque omnium luce vos vivere videamus. Quodsi vero monita ejus spernitis, impulsibus resistis, exemplo furentis nunc seculi in omnem insaniendi licentiam abrepti; adsidebit ille vobis inter tot apparitores & testes Angelos Judex & Vindex: quando vos illud Davidicum: *Quo fugiemus, Domine, a Spiritu tuo, quo ibimus?* ingeminabitis. Si a DEI, legum, Magistratus abitis reverentia;

quor-

uorsum ibitis a Spiritu Domini? Si in lites, pugnas, cædes ruitis? quam vos fugiet Spiritus iste Pacis! & *quorsum vos ibitis a Spiritu Domini?* qui videt hæc, quotidie aurem vellicat, & de vobismet intra vos testatur? Quin abite potius a mundo, ab ineptiis seculi, descendite in vos & Spiritum illum, sublimiumque horum mysteriorum admiratione excitati, conscientias excutite, scelerum sordibus animos purgate, ut svavissimus denique ille hospes pleno vos jure possideat, aliquando in æternum gloriæ divinæ regnum deducturus. P.P. KiloniI. ipsis Spiritus S. feriis Anno cIↄ Iↄc LXXXI.

23.

QVando in hoc sanctissimo die, quo Spiritus Dei animis discipulorum Christi infusus, doctores gentium eos constituit, nostra ad vos instituitur oratio: meminisse debetis, Cives Academici, ad aliam vos Scholam, quam quæ hactenus vobis panditur, evocari. Quotquot in orbem hunc missi sumus, quasi in ludo quodam versamur sapientiæ præceptis imbuendi. Quam ut assequamur, mature discendum est, quantum cuique credendum, quibus nos committere, a quibus cavere debeamus, ne in perpetuam quandam ἀπορίαν conjecti sine duce sine lege feramur, ac, quod proverbio dicitur, nu-

nubem pro Junone amplectamur. Triplex enim nobis aperitur Schola, eoque circumſpectius nobis agendum eſt, ne per viarum divortia diſtracti, in eos caſſes, quibus vel ipſa ſalus nos non expediverit, incidamus. Prima eſt MENDACIORUM Schola, ab illo inſtituta, qui mendaciorum Pater ab initio fuit, tam late per orbem ſparſa, ut potentiſſimos quosvis & numero propemodum infinitos, in diſciplinam ſuam collegerit. Hæc eſt iniquitatis illa & peſtilentiæ cathedra, à Rege Propheta tam atro carbone notata, quam inter homines erexit veterator ille Spiritus, cujus oracula dementarunt gentes, unde pravarum opinionum venena animos hominum contaminarunt. Ut enim in corpora ſævit peſtis, eaque internecino morbi genere depopulatur: ita continua mentes contage conficit quavis peſte virulentior falſa doctrina. Magna eſt lateque diffunditur illa τοῦ σκότους ἐξουσία. Prodeunt ex hoc nequitiæ ludo ἐμπαῖκται, irriſores, *ſtulti corde, qui dicunt non eſt Deus.* Propullulant hinc Pietatem everſuræ, Idololatria, Hæreſis, Superſtitio. Ponat tibi ob oculos Sapientia mirificam Orbis hujus compagem, demonſtret architectum DEUM, ducat evidentiſſimas Providentiæ divinæ lineas: veniet ex illa Schola aliquis Epicuri filius, ac omnes turbabit tibi circulos: nam fortuito particularum fluxu hæc omnia coaluiſſe, nulloque ut olim compacta, ita hodie regi conſilio ar-

argutabitur. Laudet ſanctior diſciplina illos, qui ſeculo & mundo ſunt diſſimilimi; producet hæc Schola ſuos, omnis quos decet & color & res, Ariſtippos. In Deo, pietate, virtute felicitatem quærunt ſanctiores philoſophi? Hi in voluptatibus, in opibus, in honoribus unice acquieſcendum docent. Cum beatos Salvator noſter pronunciat pauperes, pacificos, humiles: hic omne punctum ferent potentes, factioſi, nobiles, Deo bonisque rebelles. Cum meliorem in nobis naturam recti honeſtique normam facit recte ſentientium pietas; hæc Schola omnis licentiæ nequitiæque coloribus infamabit, & in omnium adverſus omnes bello reponet. Fugiamus ô Cives, cane peius & angve, tam infamem & flagitioſam ſapientiam, quæ intelligendo facit ut nihil intelligat, quæ omnem doctrinæ vim corrumpit, ſenſus pervertit, homines denique non in beſtias Circæà μεταμορφώσει, ſed in ipſos Dæmonas convertit. Nam, ut Cicero, ait: Nihil ſentire melius eſt quam tam prava ſentire. Excipit hanc altera OPINIONUM Schola, in qua miſeri deſudamus mortales, ſententiarum fluctibus huc illuc agitati, ut incerti ſimus ſemper, quo in ſolo pedem figamus. Illa quaſi in bivio poſita ambigua habet è vicina Mendaciorum & Veritatis Schola fata; prout utriusque fines miſcentur. Ex quo enim Deus mundum, qui opinionibus maxime regitur, mortalium diſpu-

sputationi tradidit, quid muniri adeo rationum robore potest, quod non vis aliqua ingenii enervet ac infringat? Præterquam enim, quod, ut Seneca ait, *inter cætera mortalitatis incommoda caligo etiam mentium sit, nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor*; in omnia momenta evigilat antiqvus ille Draco, gentium Impostor, mentium nostrarum corruptor, qui vel τοῖς ἀπροσδοκήτοις se ingerit, etiam cum nihil adversi suspicamur. Si pauca exceperis, in quibus magistros ducesque sensus habemus, in plerisque non nisi belli Opinatores & Conjectores sumus. Quis nescit quando studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit? Inquiramus apud illos, qui placitorum antiquorum historiam texuere: quot hic tricas inveniemus, quibus se mortalium sagacissimus non expediverit? Si Pythagoram interrogabimus, numeros, ideas meraque ænigmata audiemus. Si Socratem; ita ille, Cicerone teste, disputat, ut affirmet nihil, alios refellat. In Platonis libris, ut idem Cicero ait, nihil affirmatur, in utramque partem multa disseruntur. Vicerit Aristoteles sagacitate sua reliquos, sed & ipsa ejus subtilitas veritati nonnunquam infesta est, ac solida esse desinit, cum se in formas suas abstrahit, ac veterem illam succiplenam doctrinam curatura sua reddit junceam. E novatoribus si qui sunt ad aliquam sententiam quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adhærescunt & ostentationi potius ac am-

ambitioni ſuæ, quam rei ipſi ſerviunt. Singula denique in hac rerum natura ſi excuſſeris, quotidiana etiam & quæ ante pedes ſunt, ubi omnia rimatus ſollicitiſſime fueris, plura fidei & ſuſpicioni quam demonſtrationi relinqui animadvertes. Relinquamus itaque hanc opinionum Scholam, quæ hominum eſt,& ad tertiam illam quæ Dei eſt, SCHOLAM ſcilicet VERITATIS nos recipiamus. Quod ſi enim & Cicero maxime ſapientis eſſe dicebat, veritatem ab opinione ſejungere; multo ſublimius nos ſapere debemus, quibus præclaræ illæ faces prælucent. Hæc illa eſt, quam hodie Spiritus Dei aperit in animis fidelium, qui nos in omnem veritatem ducit, qui teſtimonium perhibet de JESU CHRISTO, per quem veritas, quique ipſe eſt via, veritas & vita. De Sapientiæ ergo methodo fruſtra ſumus ſolliciti: Hanc facile ipſa Via præſcribit & in ſcripturis oſtendit. Lux illa quæ venit in mundum, ut illuſtraret omnem intellectum, mentem etiam noſtram, quæ lucerna domini eſt, ut æternæ lucis fomes inexſtinctus ſit, illuſtrabit. Permittite huic vos Doctori, o Cives,& illam quæ vobis panditur Scholam etiam intra animos veſtros erigite. In illos enim deſcendit, illis ſe magiſter ille, qui ipſa veritas eſt, immergit. Plus eſſe in Veritate quam opinione Juriſconſulti ajunt: imo omnia habet, qui hujus veritatis particeps eſt, cui ſupercilium etiam ſuum olim ſubmiſere, qui præ reliquis populis ſapere-

re-

re sibi videbantur Græci & Romani. Illi, præsertim Stoici, quanquam in Paradoxis suis multa ponebant, quæ cum Christiana Philosophia convenirent, nihil tamen profecerunt, cum intra verba tantum omnis eorum sapientia subsisteret. Nunc vero cum Paracletus ille venit, qui testimonium de Christo perhibuit, vera illum docuisse, nos autem cum omni sapientia nostra misere insanire deprehendimus. Alia itaque via nobis incedendum est, si sapere vere velimus. Beatos alii pronunciant, qui opibus, divitiis, honoribus affluunt: Nos e Salvatoris doctrina illos beatos novimus, qui pauperes sunt & abjecti, qui contumeliis impetuntur, qui honores contemnunt. Exstirpemus in nobis profanam hanc sapientiam, ut repullulet, quam nemo principum hujus seculi novit, divina sapientia. Res suas sibi habere jubeamus Mendaciorum & Opinionum Scholas, in quibus ad vanissimas tricas, ad ambitionem, ferociam, injustitiam instituti fuimus. Plura nos sola fide, quam sexcentis conclusionibus Doctores Angelici & irrefragabiles, comprehendemus. Et ut tamen interdum in hoc mari opinionum fluctibus agitemur: videndum est ut in hoc fidei fundo figamur, nec in vortices & Syrtes abripiamur. Eveniet tandem, ut hujus Scholæ discipuli indies longius discendo exercendoque nos procedamus, atque in illos tandem Justitiæ Doctores, qui olim velut sidera fulgebunt, evehamur.

Va-

Valete. P.P. KiloniI ipſis Pentecoſtes feriis Anno cIↄ Iↄc LXXXII.

24.

INter præclariſſima divinæ ἐπιφανείας exempla, quæ ſacris conſignata monumentis ſunt, quam illuſtre eſt, quod hodie in Spiritu ſancto ſub igneis lingvis effuſo oſtenditur! Exſurgite, ô Cives Academici, & divinum hoc animi oculis capeſſite ſpectaculum. Novas vobis cœlo faces accenſas videtis, veſtros etiam animos ſanctiſſimo igne colluſtraturas, niſi à tenebris, quibus immerſi eſtis, diſcedere ipſi nolitis. Evigilate ad hoc, quo Deus orbem donat, ſolſtitium. Si Solem orientem adorarunt homines impie ſuperſtitioſi, quam vos ſanctius, & evectum cœlo Juſtitiæ Solem, & has ejus cœlo in diſcipulorum capita lapſos radios, in capita, in pectora veſtra, precibus hymnisque evocabitis. Non eſt illa Diogenis lucerna ad homines quærendos opus. Accenditur in vobis lucerna Domini, mens veſtra: ita enim Regum Sapientiſſimus Salomon illam vocavit: hâc viam monſtrante, vos intra vos quærite: ſed illam bonæ mentis flammulam, ut divini hujus ignis, quem Spiritus ſanctus hodie effundit, fomes eſſe poſſit, excitate. Ille, ſi quis eſt è Philoſophorum nonnullorum ſententia, intellectus

 ve-

vester agens sit, quo agitante in amorem Dei hominumque & virtutes incalescatis. Neque enim hac sibi prærogativa, & inter cæteras gentes προεδρεία blandiri Judæos fas est, qui suæ nationis homines solo Deo, ut intellectu agente, impelli; gentiles vero tantum Geniis quibusdam illuminari, inepte gloriantur: Profanam vero Cardani sententiam procul hinc abesse jubebimus, qui in societatem hanc etiam belluas trahit: quibus imminere, quasque ambire eundem intellectum ille tradit, sed materiæ inhabilitate ab ingressu excludi, cum hominem intus irradiare possit. Hanc in se Dei lucernam, etiam è Gentium philosophis nonnulli, sed è longinquo, & ex altissimis tenebris, sub crepera luce viderunt. Quare & συγγενεῖς τοῦ θεοῦ, dixerunt homines Stoici, & oracula illa, quæ Zoroastri adscribuntur, ignem vocant animum à Patre luminum in nos derivatum: in quibus multa sunt, quæ præclaram hanc doctrinam mirifice illustrant. Neque enim supposita illa omnia temere quis dixerit, cum à Platonicis etiam Christianismi hostibus hæc notata sciamus. Eos in nobis dispersos radios, per crebra θεωρήματα, quasi speculo quodam colligamus & in penetrantius lumen compingamus: ut ad Deum τὸ φῶς ἀπέραστον, τὸν πατέρα τῶν φώτων, ad ignem suum accedat propius, eo calescat, eo illustretur. Ille ut mundum superiorem implevit, primæ magnitudinis stellis, Phosphoris suis,

san-

ſanctiſſimis geniis; ita mundum hunc inferiorem, qua humanus eſt, implevit lucernis tenuem quidem fulgorem ſparſuris, ſed ubi fonti ſuo junguntur novum divinumque ſplendorem evibraturis, & poſtquam è corporis tenebris diſceſſerint, ſtellarum etiam puriſſimos ignes luminis claritate longe ſuperaturis. Quod ſi ſibi relinquitur iſta, quæ in nobis eſt lucerna, tenue & exile ejus lumen eſt. Qua enim ſollicitudine cuſtodiendi illi igniculi ſunt? ne quæ à Deo, à Parentibus, à Præceptoribus nobis tradita lampas eſt, extingvatur: ne fatuarum Virginum inſtar, oleo illo, quibus alenda illa flammula eſt, careamus. Finitum nobis diminutumque lumen dedit Deus, limitibusque, intra quos radios ſuos ſpargit, illud circumſcripſit. Non ſolis aut aſtrorum luce, qua cœlum perfunderet, fulgere noſtra lucerna, ſed corpore hoc tenebroſo includi debebat. Congeramus omnes omnium lucernas, conſtipemus quicquid radiorum & luminum eſt: nihil illa omnia ad divinam & cæleſtem lucem conferent, nullum illa diem, & ne diei quidem momentum conficient. Quam cum affectaret pulcherrimus olim Geniorum Lucifer, ſua luce adverſus divinam elatus, de cœlo cecidit in perpetuas tenebras conjectus. Quantum virgineæ puræque lucis hæc in nobis lucerna deperdidit! ex quo ultra radiationis ſuæ ſphæram efferre illam Adamus cogitavit. Hinc ſcintillæ tan-

tum in gentilium doctrinis superstites ægre in solidum clarumque fulgorem enitescunt; vel si ignes sunt, fatui sunt, atque in ortu suo ut μετέωρα exstingvuntur. Illa ipsa anima, quæ inter stellas olim nidulabatur, nunc ægre in ipso terræ pulvere hospitatur. Omnia opinionum umbris nebulisque obsepta, neque rerum formas oculus puriore radio intuetur. Socrates in crepusculo totus jacet, neque lucerna ipsi sua quicquam præter tenebras ostendit. Id enim se scire, quod nihil sciret, ajebat. Plato ad Lethes fluvium sedet, ac pristinarum notionum suarum oblivia deplorat: Aristoteles in tabula sua rasa meras umbras captat: Imo ipsa tanto pretio empta Epicteti lampas, oleum illum operamque sæpe perdidisse testabitur. Quam exigvum illud spatium est, quo lucernæ hujus radius pertingit? Solis & astrorum vastitas illum extingvit, ut minora lumina à majoribus absorbentur. Neque illa, quæ maxima sunt, assequitur; nec illa, quæ minima, comprehendit. Quis ad lychni alicujus flammulam atomos se visurum sperat, quarum corpuscula solari radio deteguntur? Geniorum naturas, non nisi laternæ suæ exempta, id est corpore suo avulsa recte speculabitur. Sit vero illa tenuis, dubiumque lumen spargat; injurii tamen in Deum hominesque sunt, qui hanc lucernam exstingvunt, oculos sibi eruunt, ut cæcam quandam ignorantiam profiteantur Sceptici, non homines (sensum enim ex-

exuerunt) ſed hominum larvæ & umbræ, qui etiam vivi ſuos pati manes non detrectent. Tanta eſt characterum huic naturæ libro impreſſorum evidentia, ut vel ad lychni lumen patefcant. Quod quanquam ſolem lunamque non æquat, vel diem infert cœlo, à vicinia tamen ſuâ aſtrorum ſuperans lucem, noctem nebulasque diſpellit. Qui horum nebulonum, (quo enim alio nomine luſcitioſas noctuas appellemus?) vel tenebrionum Princeps fuit, Pyrrhon, Pictor, è pergula ſua dogmata, in quibus veri nihil omina ficta, in philoſophiam intulit. Neque enim vel in philoſophiis ſuis ab arte ſua voluit recedere, res & corpora, velut inanes eorum picturas, nihilque ſolidi habentes ſibi aliisque repræſentans. Scilicet cum Argi illi eſſe non poſſint, Cyclopem illum

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum

omni ſuâ doctrina vitaque tota exprimere malunt. Quid vero faciamus hominibus illis? An libenter miſeros, quatenus ita ſapiunt, esſe jubeamus? Non digni ſunt luce, qui tenebras amant & lucem oderunt. Cum in decolores & Æthiopicos illos animos incidet lux, tantum abeſt, ut albi illi fiant vel eſſe velint, ut nigriori ſibi facie plaudant. Suas ſibi illi res habeant, & inter chaos ſuum ſe conſtringant, non lucerna illa Domini, ſed furiarum facibus agitati. Vos vero, meliora moniti, Juvenes colligite, quicquid intra vos ignicu-

lorum est, excitate illam Domini lucernam, spiritusq; divini lingvis igneis, in amoris sanctissimi incendia diffundite. Quietum hoc, non tonitribus nonprocellis armatum lumen est, quod tum demum, cum ad fontem suum redibit, perfectum erit. *Hoc habet animus, argumentum divinitatis*, inquit Seneca, *cum divina eum delectant*: Agite itaque, & illam divinitatis speciem ipso opere ostendite. Date operam, ut siquid in vobis lucernam Domini non olet, aboleatur, nec fumis terrestribus illa suffocetur. Immergite huic vos divini amoris Euripo, ut quoniam ipsi illum comprehendere non potestis, ille vos comprehendat. Si enim quod Platonici ajunt, *voluptatis generatio est ex finiti & finiti copulatione*, quam æternarum deliciarum illecebris deliniti vitam inter mortales beatam agitabitis. Quod si Dei spiritus voluntatem sibi vestram subjecerit, refractarium illum animum in propensissimum mutaverit: Si intellectum sibi vestrum subegerit, vel τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ illo Duce comprehenderitis. Redeat tandem ad Dominum suum illa lucerna Domini; tendat ad sedes æthereas, unde in corpora vestra descendit: huc, quemadmodum διόσκουροι illi, marini ignes, in portum perducat. Non in luto defiguntur, quos Sol spargit, radii, sed cœlo suo resorbentur. Intuemini ipsius lucernæ pyramidem, quam illa fundo quidem fæculentior ampliorque videatur, perniciori tamen circa apicem motu, sursum semper e-

ni-

niti laboret. Paſcant alii lucernas ſuas curarum, & ineptarum opinionum fumis: illudant hæ illis ſpecie aliqua luminis, & vana boni imagine; facem tamen non præferent ad ambulandum vias Domini. Alii in terræ viſceribus aurum & argentum lucerna ſua inveſtigent: Alii populari illam aura inflare contendant: Alii voluptatum oleo inflamment: Vos divino ſpiritu illam animate, ut in amorem Dei tota exardeſcat, ut ita luceat lux veſtra coram hominibus, quò *in lumine Dei videat aliquando lumen*, veram illam beatitudinem τὴν ϛάσιν ἐν θείῳ φωτὶ, ut Dionyſius loloquitur, occupatura. Adſpiremus, Duce, qui in igneis lingvis hodie apparuit, Spiritu, Adſpiremus ad illam luminum patriam: ubi, ut divinus vates Eſaias quaſi in ſpeculo prævidit, *non occidet ultra ſol noſter, luna non minuetur, quia Dominus erit in lucem ſempiternam & Deus in gloriam noſtram.* Valete P.P. ipſis Pentecoſtes feriis Anni cIɔ Iɔc LXXXIII.

25.

QVod ſi de Deo non ſine lumine loquendum, CIVES ACADEMICI; hoc præcipue die, monitum Gentilis Philoſophi, ad ſanctiſſima religionis noſtræ myſteria non incommode, neque profano ſenſu applicabimus: quo ipſe ſe Deus

in ignearum lingvarum luce orbi spectandum exhibuit, ipsique Apostoli τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ toto & numine & lumine circumfusi decantarunt. Ad animum itaque & nos hoc admittere præceptum fas est, ne sine lumine, jam de Deo loquamur, sed ita & sentiamus & dicamus, ita animum & lingvam instituamus, ut lucem illam divini Spiritus etiam intra nos, intra præcordia suscitatam, per labia ardentissimis precibus evibratam ostendamus. Quod si nobis tenebrisque nostris relinquimur, in chaos merum abimus, perpetua nocte damnandi; nisi lux divinæ vocis, & vox divinæ lucis illud יהי אור intra nos diffundat, & e tenebrarum filiis, lucis filios generet. Acclamemus itaque divino huic lumini: χαῖρε φίλον φῶς! Veni sanctissima lux, & nobis te tuosque radios infunde, quibus ad virtutes, ad pietatis ardorem, ad amoris mutui flammas, ad divina officia excitemur. Illabere sensibus Principum, ut tuo igne quicquid est flagrantium odiorum & simultatum exstingvatur, ac in pacis æternæ fœdera animi coalescant. Fatali enim bellorum incendio omnia correpta non tantum, sed propemodum consumpta videmus. Dum igneæ Apostolorum verticibus lingvæ insident; in Christiano orbe sulphurei ignes, & quis credat? Christiani, in vertices fratrum deflagrant. Blanda illic flammula & innoxia capita mulcebat divinas laudes celebrantium: Hic globi flammivomi capita ipsa demetunt,

mu-

muros ſubruunt, domos evertunt, ſtragibus omnia implent, & ejulantium lamentis. Illa cœlo in Diſcipulorum capita deſcendit; Hi ignes furiarum facibus incenſi, neque cœlo, unde depluunt, oriundi in miſerorum cervices projiciuntur. Illic leni ſuſurro Spiritus divinus ædes impleverat. Hic vero

(ô ventum horribilem atque peſtilentem!)

telorum, globorum, flammarum imbres, procellæ, turbines, quicquid obſiſtit hominum, & domuum una eademque ruina involvunt. Hæc cum animo noſtro reputamus, quis non toto pectore his malis ingemiſcat? quis non divini Spiritus præſidium in his turbis, in hoc atroci ac difficillimo tempore imploret? Neque enim frigent modo pectora omni Chriſtiana charitate orbata, ſed furiarum flammis flagrant, atque ita flagrant, ut divinæ lucis igniculos omni opera atque conatu a ſe avertant. Nos vero placidiore lumine illo divino animos paſcamus, ejusque igne, non in cædes & rixas, ſed in amorem perpetuum nos animemus. Lumine nos ſuo irradiet divinus ille Spiritus, quo videamus lumen in lumine, Deumque pura mente cognoſcamus. Quemadmodum enim ut Solem videre poſſimus, ſolis lumine indigemus; ita nec Deum, niſi ipſo Deo ducamur, & verbum ejus lucerna ſit pedibus noſtris, videbimus. E lumine ille ignis conſtipetur, amor ſcilicet, quo in Deum & homines exardeſcamus, & lumen noſtrum coram ipſo hominibus-

 que

que spargamus. Nam ab igne lux emanat, lux vero in ignem compingitur. Lumine divino intellectus illustrabitur, igne voluntas atque affectus nostri & purgabuntur, & efficacitatem illam Spiritus persentiscent. O felicissimum in nobis hujus Ignis & Lucis consortium, quæ æternis inter se vinculis cohærentes bona in nobis omnia operantur. Intellectus luce illa armatus, si divinis contemplationibus indulget, atque in illis plus proficit, quam qui vel per nebulas & fumos omnia intuentur, vel plane cæci sunt Sophistæ; quid non in iis quæ ante pedes sunt efficiant? Qui terræ fundum perspicacitate sua penetrare se posse putant, Lyncei, Hypsea tamen sæpe in his cœciores sunt. At hoc lumine imbuti, omnia mentis suæ vi pervadunt, quæ in hac rerum universitate, cognosci possunt, sive sint διὰ φύσιν, sive διὰ τύχην, sive διὰ τέχνην: his enim tribus finibus rerum omnium ambitum Plato circumscripsit. Et quid non causarum animo assequantur, qui eam sibi lucem junctam habent, quæ olim omnia divisit, & e rudi mole in ordinem luculentum redegit. Ecce quam subita miraque μεταμορφώσει e simplicibus rudibusque Piscatoribus hodie facti sunt Oratores Poëtæque disertissimi, ubi lux illa animos afflaverat. O felices hoc Doctore Discipulos! Cujus disciplinæ si & vos tradideritis, velocius hunc ἐγκυκλοπαιδείας orbem decurretis, quam cum Scholæ humanæ Magistri longa vos peregrinatione

cir-

circumducunt. Qui & πολυμαθὴς & ταχυμαθὴς esse cupis, (solet enim extemporales & doctores & disciplinas sæpe non sine insigni studiorum damno sectari juventus,) hic habebis, qui omnia ἐν τῷ νῦν doceat, & sine ullo quidem dispendio. Ideoque non tam e Zoroastrini oraculi, quam ipsius divinæ veritatis monito:

Χρὴ σε σπεύδειν πρὸς τὸ φάος, καὶ πρὸς πατρὸς αὐγάς.
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοὶ ψυχὴ πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.

Oportet te festinare ad lucem, & patris lumina,
Unde missa est anima, multam induta mentem.

Qui Theologiæ sacra amplexi estis, hujus in vobis spiritus lumen accendite, qui in omnem veritatem ducat, qui profunda etiam divinitatis rimetur, absque hoc futuri homines ψυχικοὶ, τὸ πνεῦμα μὴ ἔχοντες. Qui Justitiæ operam datis, hujus in vobis lucis radios agnoscite, cujus radii sunt νόμοι ἔγγονοι, atque in vestro animo Urim & Thumim repræsentant. Hæc ipsa lux erit in vobis lex oculata quæ πρόσσω καὶ ὀπίσσω videat, quæ inter pectora lucet, ut inter fulgura in monte Sinai promulgata est. Qui rem medicam excolitis, hujus beneficio luminis altius in naturæ opera vos immergetis. Omne denique Sapientiæ genus ita vobis jam declarabitur, ut monente Apostolo ad Rom. XII, 3. discatis μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Ut sapere, ut agere bene velitis, monitor in-

intra vos residebit divinus ille ignis, qui stimulos subdet, & τὸν θυμὸν impetum scilicet illum in vobis excitabit, illud vero, quod in vobis θηριῶδες est, depascet. Rectius itaque de vobis tum dicemus:

Est Deus in vobis, agitante calescitis illo,

quam de profanis illis Vatibus suis jactabat Ovidius. Præprimis videte, ne ignes vestros, qui a pravo animo oriuntur, & impuris affectuum fumis: huic misceatis, quorum nulla inter se conspiratio est. Summo olim in Gentilium superstitionibus studio cavebatur, ne profano igne sacer, & contra profanus sacro accenderetur, quo & Phædri fabulatoris illi versiculi *lib. IV. fab. 10.* pertinent, quibus Religio furem alloqui fingitur, ex ara Jovis lucernam accendentem, illamque ad lumen suum compilantem.

Hanc Tu scelestе spiritu culpam lues,
Olim cum adscriptus venerit pœnæ dies.
Nam ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.

Quanto magis nunc cum igni huic pectora vestra permulcenda permiseritis, operam dabitis, ut omnia ejiciatis furiarum & cupidinum pabula, ne illis sanctior ignis exstingvatur, & illas detis pœnas, quas Aaronis olim dederunt filii, qui cum profano igne sacrum Deo facerent,

rent, divino illo correpti misere perierunt. Videte ne ipsæ hæ feriæ vos improbis vel Bacchi vel Martis vel denique Veneris ignibus calefactos deprehendant, & igneis illis lingvis pectora & lingvas alio igne agitatas consecretis. Metuendus Vindex ille ignis est, quem in die Pentecostes Florentiæ e superiore parte templi lingvarum forma injectum, multa loca combussisse, nec ulla vi aut consilio potuisse exstingvi, accepimus. Id enim e Bruti Historiæ Florentinæ lib. V. Aloys. Novarin. Schediasm. lib. VIII. c. 24. memoriæ prodidit. Vos potius fomites in animis vestris parate optima vita piisq; moribus, in quos sanctissimus ignis & precibus vestris lacessitus, & propensione sua tractus illabatur. PP. ipsis feriis Pentecostes Anno cIↃ IↃC LXXXIV.

26.

HOc illud tempus est, Cives Optimi, ut toti rerum naturæ, ita omni Christiano populo salutare maxime & lætabile, omnibus naturæ gratiæque thesauris affluentissimum, omni religionis cultu venerandum: quo post receptum cœlo Salvatorem, Spiritus sanctus in vertices Apostolorum effusus, æternæ sapientiæ luce animos illorum perfudit. Nam etsi illam Patris æterni Sapientiam, humana carne vestitam, viderent palparentque quotidie: etsi rerum sacrarum my-

mysteria explicantem, & cœlestis vitæ præcepta instillantem audirent: neque enim ἐν αἰνίγματι tantum, sed plane aperteque loquebatur: quæ tamen mentis cæcitas erat, non satis intelligebant, aut cogitatione comprehendebant. Versabantur illis humanarum opinionum imagines ante oculos, & in rebus etiam divinis sibi sapiebant, sua interpretatione trahentes dirigentesque quo mallent, ea quæ audiebant, usque adeo hac obcæcati stultitia, ut vel in vitam rediens Salvator animis illorum vix excuteret. Quam socordiam & dementiam non leviter sæpe perstrinxit; quanquam objurgationes ejus amoris erant plenissimæ, ut qui novum se illis Doctorem e Cœlo missurum pollicebatur, qui errantes in viam reduceret, qui in omnem veritatem duceret, ac divinæ intelligentiæ luce illustraret. Supervenit itaque illo, quem nunc Ecclesia celebrat, die Discipulis Spiritus, ipseque se animis illorum divinus Doctor, visibili flammularum specie, infudit. Agnoscite novam hanc informandi rationem, qua non quinquennali silentio Pythagorico explorantur ingenia, sed ἐν τῷ νῦν illa quasi oculis cernitur sapientia, quæ tot lingvis in τὰ μεγαλεῖα Dei se diffundit. Fuere qui magicis carminibus in statuas & imagines sidereos ignes evocarent, ut haberent quæ consulerent oracula; sed divinus ille ignis sponte sua in vivas Dei statuas, pios homines, sedibus æthereis delabitur; vel efficacioribus precibus de

de cœlo deducitur, ſua intra nos oracula promulgaturus. Quemadmodum ille lucet & urit, ita geminam in animis facultatem ſuſcitat intellectus & voluntatis: Illius, ut contemplemur abſcondita; nam in Dei lumine videmus lumen, & lucem illam, quæ in mundum venit ut illuminet omnem intellectum, quæ Via, Veritas & Vita eſt, luce noſtra comprehendimus: Hujus, ut pietatis ardore quaſi facibus quibusdam inflammati corripiamur & inenarrabiles in nobis divini Spiritus gemitus provocemus. Adeſte animis auribusque, o Cives, in novum ſapientiæ ludum a nobis deducendi, novoque tyrocinio imbuendi. Quandoquidem enim in hoc ſapientiæ artiumque ſeminarium veniſtis, ut literis animos percoleretis, id quod palmarium in omni doctrina eſt, diſcite, ut dediſcere humanam ſapientiam velitis, ac divinæ vos Sapientiæ Candidatos SPIRITU SANCTO Doctore profiteamini. Primum hic ΠΑΡΑΔΟΞΟΣΟΦΙΑΝ Chriſtianam vobis proponimus, quæ cum ſumma ſit Sapientia, hominibus tamen Stultitiæ nomine traducitur. Amplectimini Sapientiam illam, quæ Stultitia eſt. Nam ſi Venuſino Vati *Sapientia prima eſt ſtultitia caruiſſe*, heic ipſa Stultitia Sapientia prima eſt, atque alia plane via incedit, alio orbe hæc *ἐγκυκλοπαιδεία* decurrit. Ipſi hujus Sapientiæ incunabula animo perpen[illegible]e. Libris perpaucis illa conditur, quorum ad noſtra usque tempora ſalva ſtat autoritas, cum tot Sectarum, tot

tot philoſophorum infiniti propemodum libri, vel potius Bibliothecæ cum ſuis autoribus peſſum iverint. Invitis, ringentibus, obloquentibus, exſibilantibus tot ſeculorum Scholis & Philoſophis; ferrum, ignem, ſupplicia intentantibus Tyrannis, conjurantibus in illius perniciem integris gentibus, caput tamen erexit atque de omni hominum ſapientia hæc triumphavit ſtultitia, ut ſolo illo κριτηρίῳ vel æternitatis hæc Sapientia, vel Sapientia æternitatis deprehendatur, quæ Stultitiæ illo velamento majeſtatem ſuam recondit, ut altera illa humana Sapientiæ fucum Stultitiæ ſuæ obducit. Diſcamus, diſcamus ea in terris, quorum memoria non in terra hac tantum perdurat, ſed & remanebit in cœlis: quicquid etiam ſtultorum turba oggranniat. Superbiat hoc Sapientum titulo Stoicorum Schola, qui ſe ſolos reges, divites, nobiles, uno Jove minores vano quodam & inutili faſtu prædicabant: nam ſi Philoſophiæ Chriſtianæ ſenſu illa intelligas, παραδοξοσοφία laudabilis erit, quæ Sacerdotes & Reges verosque εὐγενεῖς, θεογενεῖς efficit: audite tamen ex eadem Schola principem virum, Senecam: *Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quærendus, me video:* qui quidem eadem ſtultitia hanc ſuam ſtultitiam exagitabat, qua alii ſuam ex eadem familia Sapientiam jactitabant. Accipiamus vero & largiamur illis, quam in ſe agnoſcunt Stultitiam, magni illi ſimulatores, qui ad ſpeciem potius & pompam ſu-

ſuperciliosa illa Scholæ ſuæ placita referebant, & ſub illo ſui contemptu novam aliquam gloriam venabantur. Quibus ſimiles ſunt, qui totis libris Scientias inſectantur, earumque inanes curas & vanitatem ob oculos ponunt, Sophiſtæ potius & Declamatores, quam veri rerum æſtimatores. Nimirum ut Diogenes Platonis faſtum alio faſtu calcabat; ita hi Philoſophorum vanitatem majori vanitate explodunt: Cæcitate enim illa mentis, ex quo oritur ſuperbia, ut omnes Stoici, ita etiam hi laborant. Quod ſi in fundo ſuo illos adoriamur, ſi ſingula illorum placita digitis dimetiamur: quis non plus *φαντασίας* quam judicii in illis deprehendet? Nam & ſenſibus & opinionibus & affectibus in partes diſtracti, velut turbine implent omnia, ut quantaquanta ſit, non niſi *μετέωρος* ſit ſapientia, & quia inflat, ventoſa & procelloſa, uno verbo ſtultitia, quæ ſe ſapientiæ criſtis erigat, & leoninam aſinino corpori pellem circumponat. Sed tamen eadem cœlum ſtultitia petimus Bellerophontes, qui alato Pegaſo, vanis ſcilicet opinionibus confiſi, irrumpere in divinæ veritatis arcana non veremur, cum id quod ante pedes eſt exploratum non habeamus. Scientia Cœleſtis, quemadmodum ipſum regnum cœlorum, eſt pauperum ſpiritu: & Gigantes illi Scholarum minus hic ipſis pueris ſapiunt. Cum enim cœli portæ humiles ſint, non intrabunt Antæi, Cyclopes, Terræ filii, ſed pueri & *ἀεὶ παῖδες*,

in quos disciplinam suam exercet Pædagogus ille Spiritus. Immittamus nos in Philosophiæ campum, ejus faciem describere in urbe Româ nobis videtur Petronius: *Quoscunque homines in urbe videritis scitote in duas partes esse divisos: nam aut captantur aut captant: videbitis tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud, nisi cadavera quæ lacerantur, aut corvi qui lacerant.* Omnia dissensionum plena sunt. Alicubi sententiarum cadavera projecta videas, quibus incumbunt clamosi & rapaces corvi, aliis quoque in prædam cessuri. Seneca Philosophiam in Philologiam mutatam querebatur, quidni & nos Christianismum omnem in Theologiam meram comutatum queramur? Sola enim lingva diserti in sermones in disputationes de Deo abducimur, Chrysostomi interdum & aureorum verborum homines, nunquam Polycarpi, qui vita & factis verba sua obsignent & fructus aliquos ostendant. Vel etiam in cædes mutuas, quid enim aliud sunt convitia & rixæ? plusquam Cadmæi fratres exardescimus. Verum alia longe gravior pestis divinis incumbit studiis, quando eo stultitiæ etiam è Philosophorum Scholis progrediuntur homines, ut Deum lacessere ipsum non vereantur, qui summus dementiæ gradus est: nam & ipse Spiritus Sanctus illos quasi κατ' ἐξοχὴν stultos vocat. Hi scilicet, cum sine Deo nil sapere possimus, cum docente Paulo, *non simus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis*, adeo tamen etiam

cum

cum ratione inſaniunt, aut ut cum Lucretio loquamur,

Impia amant rationis inire elementa viamque
Endogredi ſceleris,

ut vel in Deum ipſum arma ſua convertant, cœlo ſuo dejiciant, omnem providentiam funditus evertant, Ita enim in orbe verſantur, quaſi Deo nihil debeant, quaſi nulla ſibi jura nata ſint

Securi quo pes ferat, atque ex tempore vivunt.

Quod ſi mundum hunc univerſum mentis acie perluſtraverimus, quid ſine illa Spiritus divini luce nos ſperemus vel ſuſpicionibus aſſecuturos? Primum enim illa vincula, quibus mundus inviſibilis intelligibili nectitur, nobis ſunt abſcondita, cum in his veræ rerum cauſæ delitescant: Mundum autem illum viſibilem tradidit Deus diſputationi hominum; ſed alterum illum intelligibilem nobis occultavit, ut itaque faciem tantum exteriorem naturæ intueamur. Et in hac facie quantillum eſt, quo ingenii acumine penetrare poſſimus, qui, ut Ariſtoteles ait, ἐπὶ μικρὸν βλέποντες ſumus, ad parva & pauca reſpicientes in hoc univerſo, cum tamen, ut Plinius ait: *Naturæ rerum vis ac majeſtas in omnibus momentis fide careat, ſi quis modo partes ejus, non totam, animo complectatur.* Ne quid de eo dicamus, quam per ſe mens humana, ut finita, errori ſit obnoxia, ob infinitas illas ad corpora relationes, è quibus ſuas illa opiniones colligit, ni mens illa infinita in-

suum quasi ordinem redigat, ut ab illa discrepare non possit. Præterea nobis ut pueris omne ludicrum in pretio est, teste Seneca, qui in hoc naturæ theatro spectatum admissi in nugis quibusdam consenescimus, vel vanis florum coloribus, vel concharum figuris, similibusque quasi crepundiis nos oblectantes. Quod si majora animo volvimus, novas nobis opinionum chimæras fingimus, auctoritati vel nostræ vel aliorum nova idola statuimus, vastos librorum montes congerimus, in quibus ut in Africa deserta peregrinandum est; obruunt enim spiritum, nec ædificant intellectum. Exhauriat verò quis omnes humanæ sapientiæ rivulos, quid tum postea? Audiat ille Doctorem gentium Paulum: *Qui se existimat aliquid scire, nondum cognovit, quomodo oporteat eum scire.* Mensuram autem suam capit scientia ab ordine, à studio, ab intentione. Primum illa, quæ necessaria sunt præferenda sunt inutilibus & ineptis. Hic ad ἓν ἀναγκαῖον præcipue respiciendum est: Studio ferventiore complecti divina & æterna debemus, quam ea, quæ sunt humana & frivola. Si ex intentione æstimanda est scientia: facessat hinc vana gloria, non ad quæstum instituamus artes, non curiositatem nostram saturemus; sed ita operam scientiis impendamus, ut nostræ, ut aliorum saluti subvenire possimus. Nam alibi idem Paulus vetat *plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem jubet.* Quemad-

admodum enim cibus indigeſtus humores pravos generat, corpus corruptioni ac morti ipſi obnoxium reddit; ita ſcientia, animi cibus, niſi memoriæ ventriculo, calore caritatis digeratur, per membra, pios ſcilicet homines, convertatur in opera moresque Chriſtianos, vitam largiri animo nequit. Et hinc à mala illâ digeſtione flatus & tormenta, cogitationes pravæ & ſuperbæ, ſcrupuli conſcientiæ oriuntur. Rectius itaque fecerimus, ſi deleamus ex animo humanarum opinionum imagines, ut ſuæ in nobis ſapientiæ lineamenta ducat Deus. Vacui à nobis ipſis ſimus, ut implere nos ſpiritu ſuo Deus poſſit. Profiteamur doctam hanc ignorantiam, quæ omni ſcientia potior eſt; nam quæ ſcholam ſapit doctrina, nihil tabernaculi & ſanctuarii habet: in divinis verò monimentis quicquid docetur, veritas, quicquid præcipitur, bonitas, quicquid promittitur, felicitas eſt. Offeramus mentes noſtras Deo magiſtro noſtro in ſacrificium; nam qui cœlum & terram fecit, plus habet ſapientiæ, quam omnes nos Scholæ docere poſſunt. Offeramus cogitationes, mentis noſtræ filias & pupulas, quas tenerrimo adeo affectu proſequimur, omnesque Deo in amoris ara victimas immolemus, innocentes illarum parricidæ. Plusquam Heroica crudelitas illa eſt, qua animos noſtros in Crucifixi noſtri gloriam, denuo crucifigimus, ut ſcire nihil aliud velimus, quam Chriſtum crucifixum, & per illum, doctore Spiritu,

divina mysteria cognoscamus. O felicem Scepticismum, cum doctrinæ humanæ stultitiam probe examinavimus, ac ruditatem nostram professi Deo dignos nos reddidimus; tum enim divinæ gratiæ imber velut in pingue solum depluet, ut postquam lappæ tribulique malæ doctrinæ eradicati, feliciores uberioresque fructus proferamus. Non infundit lumen suum Deus, nisi in nostræ lucis deliquio. Fastidit illam sapientiam Deus, quæ quasi in ordinem hominum illum redigere vult, & nostro modulo metiri. Nam qui super omnia sublimia excelsus est, non amat nisi humilia, quæ quasi in confinio quodam cum divinis sunt posita. Nihil majus ad divinam glorificationem afferre homo potest, quam suam miseriam & humilitatem, quam Deus ipse assumpsit, ut se coram hominibus glorificaret. Ne ipsa quidem occultarum rerum scientia, ut multa sunt, quæ Deus obsignavit, ac in thesauris suis reposuit; a vulgari intelligentia remota, si forte piis mentibus singulari gratia quicquam indulsit, tanti est, ut illa efferamur, divinæque felicitati propiores nos existimemus. Nam cum Discipulis suis potestatem in Dæmonas contulisset Salvator, ne isto dono superbirent, hanc quasi ἐπίπληξιν subnectit: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod Spiritus vobis subjiciuntur, sed gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Nimirum scientiæ sublimitate sola vel miraculis cœlos non perrumpemus; etsi tan-

tantum vere ſciamus, quantum vera fide pietateque operamur, verique ſimus πάνσοφοι, ſi Chriſtum ſcimus, *quod melius eſt, quam ſi omnia ſciverimus.* Ita enim DEO placuit, *ut Sapientum Sapientiam perderet, nosque per ſtultitiam prædicationis de Chriſto ſalvi fieremus.* Vidiſtis, Cives Optimi, cœleſtem illam, quam Spiritus S. Apoſtolos, illi gentes docuerunt, ſtultitiam, quæ æterna Sapientia eſt, ac Sapientiam Mundi quæ vera ſtultitia eſt, ὡς ἐν τύπῳ delineatam. Ut ſingillatim omnia percenſeatis, atque explicatius ſciatis, ex illo ſcientiarum Orbe παραδοξοσοφίας noſtræ quædam Capita proponamus. Quis eſt e Vobis, qui τὰ μεταφυσικὰ, circa illa quæ ſunt verſari neſciat? Vos vero primum hoc Metaphyſices divinæ παράδοξον tenete. *Ne eſſe quidem nos aliquid, imo Nihil eſſe.* Etſi enim Novatores ita colligunt: *Cogito, ergo ſum:* vos ſcitote, docente Spiritu: *non cogitare nos aliquid a nobis poſſe tanquam a nobis.* Cogita ergo an ſis aliquid, an Unus? an Verus? an Bonus? Nihil ergo te eſſe deprehendes, & ut poſſis eſſe, labora. Voluntaria enim hac annihilatione τῷ ὄντι τῶν ὄντων nos quaſi in fidem ac clientelam tradimus. Exuenda & abjicienda illa αὐτότης noſtra eſt, ut in DEO ſimus, quicquid ſumus, ejus intelligentia ſciamus, ejus Voluntate appetamus. Ille enim, *ut Scaliger in ſubtilitatibus ſuis, Exc. 365.* αὐταυτὸς eſt, quem nullis plane vocibus intelligemus, quam iis, quæ ignorationem prætendunt noſtram, & qui a nemine,

 ni-

nisi a se solo cognoscitur, & a Filio, & cui Filius vult manifestare, & a Spiritu, qui scrutatur etiam profunda DEI. Utinam exuere & abnegare nos ipsos possimus, ut in Nihilum nostrum se infundat atque operetur, qui Omnia est in Omnibus: nam ut subtiliter idem Scaliger e Platonicis eodem loco disputat: summa hæc DEI omnipotentia est,qua in non Ens agit. Sic aliquid, sic unum erimus, & illum Philosophiæ finem τὸ ἑνὸς θεωρητικὸν e Pythagoræ sententia assequemur. Nam in unione cum DEO veritas nostra, non in unione corporis consistit, sine quo etiam mens DEO unita potest consistere, & nunc in Corpore quoque illi uniri debet, ut homo, (quæ *Aristotelis l. 1. Polit.* verba sunt,) cum DEO τῷ γένει sit αὐτὸς, in quibus etiam mysteria quæsivit *Exercit. laudata* Scaliger. Nos nobis relicti uni non sumus: Infinitos enim vultus & larvas sumimus, & quot peccata in nobis sunt, tot facies velut in theatro repræsentamus mimi & ludiones. At vero *Quo teneas vultus mutantem Protea nodo?* nisi divinæ simplicitatis vinculo constrinxeris. Imo in ipsa illa turba solitudo horribilis est, si absque DEO & lumine simus. Sic Veri erimus, qui natura nostra mendaces sumus, cum *in lumine illo æterno videmus lumen*, & intelligentiæ divinæ nostram submittimus, *cum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt & novit eum*, accipimus. Ita denique Boni dicemur, si ab ejus voluntate, qui solus Bonus

nus αὐταγαθὸς, ac ipſa Bonitas eſt, pendebimus. Ita ſimiles erimus DEO, ſi ſimiles fiamus θεανθρώπῳ, ſi totus in nobis erit DEUS, nos toti in illo, & in ſummo illo Paradoxo *Deus Homo, Homo Deus eſt*, quo ſalus & vita noſtra continetur, Sapientiam Chriſtianam velut in fidei quadam petra fundabimus. Hæc illa Philoſophia æterna eſt a ſeculis abſcondita, in quam beatæ mentes παρακύψαι geſtiunt, de qua nos, quoad per mentis imbecillitatem fieri poteſt, infantum inſtar balbutimus. *Ut enim ſe habet viſus ad viſibilium ſummum nempe ſolem; ſic intellectus ad ſummum intelligibilium Deum*, quæ Platonis aliorumque Philoſophorum elegans in hanc ſententiam ſimilitudo eſt. Mittamus jam τὰ ἀόρατα, & in rerum naturam, qua oculis noſtris patet, atque adeo in nos ipſos, qui majoris mundi quaſi imaginem quandam circumferimus, deſcendamus. Annon lapides loqui videmur, cum hæc vobis παράδοξα depromimus? *Chriſtianorum eſſe in corruptione Generationem, in Morte vitam, in ἀναισθησίᾳ ſummam intelligentiam.* Sunt vero hæc arcanæ & divinæ Phyſices myſteria. Cum enim *vias ſuas ſuper terram corruperit omnis caro*, nulla a carne generatio eſt, quæ non corruptionis labem nobis affricet, atque illa mortis ſemina in nobis ſpargat. Corrumpenda itaque nobis caro eſt, ne nos corrumpat, & in mortem æternam abducat, jugulanda eſt gladio Spiritus, ut in novam vitam reſurgamus, & ex ipſa morte ſalus noſtra

renaſcatur. Subtrahenda paulatim corpori & ſenſibus mens eſt, ac velut ablactanda, ut divinæ menti adſveſcat: ubi enim in ſenſuum contagio hæſerimus, mira nos & naturalium rerum & noſtrarum premit ignorantia: etſi ſunt ſapientuli, qui nihil nos ſcire, quam quod ſenſu comprehendimus arbitrentur. Relinquenda vero illa ſenſuum via eſt, ne in præcipitia nos & errores protrudat. Qua cum incederent Gentes, etiam in ſenſus incurrentes Deos ſibi fabricarunt, & in ſtatuis ac idolis ſuis coluerunt. Ne miremini, ſi quemadmodum inter Italiæ Academicos quidam Inſenſatorum titulo ſignari voluerunt, nos cœleſtis Academiæ candidatos Inſenſatos velimus. Non potes in te ipſum deſcendere, niſi a ſenſibus tuis diſceſſeris, qui aliorſum animum impellunt, ut domi eſſe, ſeque ipſum ſpeculari nequeat. *Quæ vero ſunt hominis, nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo, eſt*, teſte Apoſtolo. Itaque,

— — — *quem te Deus eſſe*
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re
Diſce.

Memineris, nos Deo Patri luminum & Spirituum eſſe συγγενεῖς, non brutorum familiis accenſenda animantia, quæ non niſi ſenſu & appetitu rapiuntur: ne, cum nobis ignoti, & noſtræ originis ſumus obliti, acerba hac reprehenſione ſponſus noſter illam ſibi dilectam animam dimittat: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce*

sce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Vindicanda potius nobis est illa gloria, qua DEus nos dignatus est: *Ego, dixi, Dii estis & filii excelsi omnes.* Non aspernatus est humanam carnem Deus: & nos Angelorum naturam exuemus, ut in bestias loquentes μετεμψυχώσει plusquam Pythagorica degeneremus, per quandam potius ἀποθέωσιν in Deos evehendi. In ἀνθρωπολογίας studio tum demum aliquid proficiemus, ubi externum illum hominem suas sibi res habere jusserimus. Illum qui in deliciis habet & amat, inimicum suum amat, non se ipsum; de quo verissime dixeris, quod apud Matthæum Salvator: *Inimici hominis domestici ejus.* Quis vero magis domesticus, quam qui nobiscum una eademque in pellicula habitat, & in sinu nostro fovetur? Illum loco moveamus, illum occidamus, quantum in nobis est, nam ut est apud Apostolum, *cum is qui foris est homo corrumpitur, is qui intus est renovatur de die in diem*, atque ita Dei intra nos regnum, ipsosque cœlos excitabimus, & intra naturæ carceres, ad Deum emigrabimus. Quis porro mente comprehendat, quæ Mathematum studia & paradoxa & mysteria nobis proponant! Cum enim in abstractis à re ipsa notionibus illa versentur, ad rerum spiritualium quodammodo accedere indolem videntur. Quantum illud è numerorum doctrina παράδοξον & mysterium est! *Unum esse Trinum, & Trinum unum.* Neque enim hic de numerorum arca-

canis, & quæ in sacratiore philosophia, quam Cabalam dicimus, annorum temporumque secreta lateant, quicquam memorabimus: qua de re integra à multis volumina conscripta sunt. Quam & hoc in divina œconomia novum atque insolitum est: *primos fore ultimos, ultimos vero primos!* E Siderum doctrina id notabitis, *sui cœli, suorum astrorum fabros esse* Christianos, quibus Agnum Signiferum secutis, non duodecim tantum, sed innumeræ illic in domo Patris mansiones designantur. Ipse divinus Spiritus ne quidem in Dei cognitione *ἀγεωμετρήτους* nos esse pătitur, & *secundum longitudinem, latitudinem, altitudinem Dei amorem metiri* docet, qui & ipsa Dei profunda scrutatur. Musicam Christianorum & concentus audietis? Ipse apud Joannem Salvator insonat: *Amen Amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos; mundus contra gaudebit.* Si Cantu duro, cujus notulæ cruces ubique adpictas circumferunt *miserere* nostrum ingeminamus, in jubila quidem mundus solvitur; sed tamen *Lætare* suo Angelorum respondent chori, si hanc pœnitentia peccatoribus vocem expresserit. Quis non ingens in Statica *παράδοξον* agnoscat? *Onus onere novo fieri levius, jugum altero suscepto jugo leniri*, & hoc tamen solatio miseros dimittit Salvator: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Quo optime Domine subsidio? qua manu onus excuties? Immo vero respondes:

Tol-

Tollite jugum meum ſuper vos, jugum enim meum ſvave eſt, & onus leve. Hem! iſtud eſt onere levari? Eſt vero, Cives, nullum enim gravius mundi onere onus eſt, quod ad ipſos usque inferos gravitate ſua deprimit, ut alterum illud contrario pondere velut in bilance poſito, depreſſa erigit. Quos non videas ſæpe Affectuum cœco furore impulſos onus ſibi Ætna gravius imponere: cum nec vitæ pericula, nec ſupplicia, nec infamiam reformidant: modo id quod ſibi propoſuerunt conſequantur: qui ne manum quidem vertere Dei cauſa ſuſtineant ac vel minimo in his labori obnitantur. In morum philoſophia quam non ad palatum ſunt multis, quæ illa profitetur παράδοξα. Hic enim numeroſa illorum ſeges occurrit, neque opus erit ut Stoicorum vepreta cædamus, qui magno quidem hiatu multa promittunt, ſed ubi ad rem ventum eſt, inania ac ſterilitate ſua contemnenda. Vix illa volumine uno abſolvi poſſent, ſi plenioribus depingere coloribus propoſitum eſſet. Quot non felicitatis formas modosque ad ſuum illum εὐδαίμονα produxit Stagirita! Non male & ad Chriſtianum ſenſum Seneca, ſi meliori cultura hæc doctrina niteretur: *Bonam tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum jam eſſe ſentias: Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infeliciſſimos eſſe felices.* Conſpirent licet omnia voluptatum nomina, congerantur omnes in unum fortunarum ſpecies, ſi abſque illius notitia & amore ſint, qui παντα-

γα-

γαθὸς est, si nulla æternæ beatitudinis spe sustententur, earum πᾶν ἀπόλοιτο γένος. Verissimum enim est, quod Augustinus ait; *Prospera hujus mundi habent asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Divini vero amoris & futuræ nostræ felicitatis intuitu, quicquid hic splendidum, quicquid beatum videtur, miserum est: quicquid triste, acerbumque, infaustum, jucundum est. Quare divino Spiritu sanctissimaque fiducia pleni, in mœroribus nostris gaudia, in infamia decus, in cruce gloriam, in paupertate divitias, in ægritudine sanitatem, maximi Magistri nostri exemplo, collocamus. Beatos ille sua sententia pronunciabat, *pauperes Spiritu, quoniam illorum est regnum cœlorum; eos qui lugent, quoniam consolationem accipient; qui persecutionem patiuntur propter justitiam, qui probris impetuntur, quoniam merces illorum amplissima est in cœlis.* Quæ cum animo reputamus, magnam hanc infelicitatem interpretabimur, si sine infortunio simus. Felices vero nos, si bona nostra novimus, habebimus, si ex ignominia honorem, e miseriis felicitatem, e tormentis solatia exspectare aliquando possimus. Alii magnificentiam inter Virtutes numerent; nos humilitatem, quæ Christianorum μεγαλοψυχία est & generositas, in prima virtutum nostrarum sede ponemus: Alii populari plausu honorumque titulis pascantur: nobis

bis repercuſſa ex aheneo conſcientiæ muro E-cho omnia famæ cymbala facile obtundet. Alii fortes belloque invicti ſalutentur, & de hoſtibus triumphos agitent; nobis beati erunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Alii amore mutuo proſequantur amicos; nos etiam inimicos amabimus. Alii bene de ſe meritos favoribus, muneribusque complectuntur; nos odiis capitalibus nobis infeſtos etiam beneficiis cumulabimus. Cum alii a criminibus & flagitiis ſibi temperant; nos a malis etiam cogitationibus abſtinebimus: Illæ enim cum primum delectant, ad actum ipſum abducunt: actus ad conſvetudinem, conſvetudo ad obſtinationem, obſtinatio ad deſperationem, deſperatio ad damnationem. Cum alii externæ virtutis ſpeciem & colores flagitiis ſuis obducunt, ac ipſum etiam proſperum & felix ſcelus virtutem vocant, nos ſpecie vitii virtutem, dedecoris gloriam, paupertatis divitias, divini ἔιρωνες occultabimus: *quaſi impoſtores & tamen veraces; quaſi morientes, & ecce vivimus; quaſi correpti & non occiſi: quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes: quaſi pauperes multos tamen ditantes: ut nihil habentes, & tamen omnia poſſidentes.* Aggrediantur alii urbes, caſtella expugnent, populos invadant, ac poſſeſſione exuant: nos inter pios illos raptores erimus, per quos regnum cœlorum vim patitur, quicque ad ſe illud Achilles πάνοπλοι Spiritusque armis inſtructi rapiunt, & bonæ ſimul & ſalvificæ fidei poſſeſſores. Quam bene

ſvi-

vivitur, ubi sic ex rapto vivitur! Erit illud olim in cœlis nobis πολίτευμα: Sed & intra nos Dei regnum est. Utrobique illa Civitas Dei struitur. Et legem habemus in cordibus nostris, ab illa quæ in membris nostris est, lege dissidentem. Sed & exleges sumus, αὐτοκράτορες, quia θεοκρατούμενοι & exemplo Pauli, *sapientes Architecti* opus συναρμολογούμενον in nobis perficiemus, His in nobis gradibus beata illa παραδοξοσοφία excrescat: sed si de τῷ τρόπῳ τῆς ἐπιστήμης quæsiveris, quem ratione & oratione constare scimus, Doctorem hic τῶν λογικῶν ipsum ΛΟΓΟΝ habemus, & ὄργανον τῶν ὀργάνων ipsum Spiritum. Qui ipsa via est, & ὁδὸς, in suam ipse μέθοδον inducet. Qui ipsa veritas est & lux, speculationes nostras diriget, & in ἀποδείξεις: suas se Dei digitus intendet; Qui ipsa Vita est, ad vitam pie prudenterque regendam faces præferet. Non quærit sibi hæc Sapientia nostra Rationem syllogismis armatam, argutiis pictam, triumphis cathedrariis exultantem & superbam; neque enim ita γιγαντιᾶν & ampullari novit; sed fidei vinculis captivam & mancipatam; fera enim Ratio est, quæ laxis habenis evagatur, & supremæ Mentis imperium excutit. Non illa verborum lenociniis pingi gestit, suo satis cultu, id est domestico & cœlesti ornata. Spernit humanos logos æternus ille λόγος, suumque in simplicitate & in stultitia prædicationis ὕψος habet reconditum, nullis humanæ eloquentiæ spoliis poliendum: nam

nam qui humilitate ſe veſtivit, non niſi humili noſci ſermonis charactere cupit, ac byſſina illa verba regiumque orationis cultum faſtidit. Vehementius igneæ divini Spiritus lingvæ, quam omnium Oratorum fulmina animos percellunt, cauſamque ſuam perorant. Verum abripit nos altius, & quaſi rerum quodam Oceano hæc Παραδοξοσοφία, Cives optimi, mergit. Quis enim dignis verbis hujus Sapientiæ capita comprehendat, quæ ut ante omnia ſecula fuit; ita in omnem æternitatem durabit; nec pari paſſu cum hujus Seculi ſapientia, quæ ſtultitia coram Deo eſt, ambulat. Hæc quaſi ſumma doctrinæ hujus eſt, quam hoc ipſo die diſcipulis Chriſti ſanctiſſimus Spiritus uno momento infudit, cui tot ſermonibus per totam vitam ſuam Salvator viam ſtraverat: quam illi magni Magiſtri ſui ὑποδιδάσκαλοι in ſcriptis nobis reliquerunt, quam per totum terrarum orbem diſſeminarunt: nam ignis ille flammula Spiritus in cordibus illorum ſuccenſus, longe lateque hoc incendium propagavit. Quis non cum ipſo Salvatore, in hujus myſterii contemplatione defixus & religionis quodam œſtro perculſus, divinoque gaudio exultans exclamet! *Glorifico Te Pater Domine Cœli & Terræ, quod abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: etiam Pater, q[illegible]iam ſic complacitum eſt coram Te.* Arripiamus illam Sapientiam parvuli, pauperes Spiritu, imo pueri, nec cum Phrygibus ſero ſapiamus. De-

us ipse ludum hodie aperit, & quiddam supra encyclicas doctrinas excelsius, quod stulta multitudo non capit, suam scilicet Sapientiam proponit: Hujus quendam quasi schematismum vobis o Juvenes ob oculos posuimus; quid enim potius festo hoc die faceremus? hoc quasi professorii nostri muneris sacrum specimen exhibituri, ut ipse omnium Doctorum Princeps Spiritus olim exhibuit. Socratem è cœlis in terras revocasse Philosophiam accepistis: Sed heic ipsa venit è cœlis sapientia, ad quam non quinquennali sed perpetuo silentio Pythagoræ Schola obmutescat; qua loquente, in puteum se suum Democritus abscondat, Epicurus in hortos suos concedat, Diogenes dolio se suo compingat. Tenebris meris ac nebulis humana involvitur Sapientia, vel si tenui quâdam luce tingitur, *antelucanum* in divinis literis vocatur, ὄρθρον diluculum, apud Ecclesiast. *Doctrina quasi antelucanum illuminatio omnibus.* Heic vero ipsa se meridies ipsa cognitionis plenitudo ostendit. Hæc illa Sapientia est, de qua Augustinus: *quod sit contemplatio veritatis pacificans totum hominem & suscipiens similitudinem Dei.* Hæc ut uno verbo omnia dicamus, ipse CHRISTUS JESUS est, in quo omnes Sapientiæ thesauri sunt reconditi, in cujus cognitione omnis Sapientiæ mysterium reponebat Paulus, qui de se ajebat, & profitebatur se nihil sapere, nihil scire nisi Jesum Christum crucifixum, cujus in cruce nostra quoque cathedram erigat

Sa-

Sapientia. Illi enim justius elogium inscribas, quam quod Pherecydes Syrus suo inscribi sepulchro curavit: τῆς σοφίας πάσης ἐν ἐμοὶ τέλος. Hujus doctrina illa unctio est, de qua in epistola sua prima Johannes: *Unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis: & non necesse habetis, ut quisquam doceat vos de omnibus, & verax est, & non est mendacium, & sicut docuit vos, manete in ea.* Manete in ea, o Juvenes, assiduisque ab illo precibus contendite, ut & in mentes vestras oleum hoc effundat, quo ignorantiæ sanentur vulnera, & mentis oculis sit pro collyrio, ut sapientiæ lucernam igne suo Spiritus sanctus incendat. Omnes in partes divinum illud Chrisma sapientiæ prudentiæque odorem sparget, odorem erga alios, sibi saporem: nam & sapientiam non male Bernhardus *saporem boni* vocavit, ut quæ â sapiendo dicitur, & veré nominis sui originem tuetur, cum *gustat, quam suavis sit Dominus*, qui adeo mentem nostram se ipso implet, ut & in corporis se sensus diffundat, neque sensibus etiam nostris deprehendi recuset: Prudentia quoque pia etiam ad τὰ ἔσχατα & extrema oleum hoc diffundit, nam & de civili Prudentia Lycéi doctor, quod τὰ ἔσχατα intueatur, singularia, minuta omnia, quæ ad bene beateque vivendum conducunt. Non intelligentes enim solum sed & circumspectos vult & in omnes partes versatiles illa disciplina. Viam ad illam parandam Jacobus ostendit: *Si quis indiget Sapientia; petat à Deo.* Plus

ſcilicet precibus, quam lucubrationibus, vigiliis, omnique corporis ac animi contentione, diſcitur. Via hæc, ſi neſcitis, divina eſt & Regia, quam ſuo exemplo Regiam fecit Rex ipſe Salomon, qua ad illud divinæ humanæque Sapientiæ faſtigium non gradibus pervenit, ſed citatis quaſi pennis evolavit. Rimamini venerabundo ſilentio hujus Sapientiæ arcana, ô Cives, cœleſtes potius παραδοξόσοφοι, quam hujus mundi δοκησίσοφοι & Sophiſtæ, illis ſimiles qui ἐμωράνθησαν καὶ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν; Inter hos quicunque deprehendemini illud Pauli *1. Cor. 3, 18.* vobis monitum dictum putate, animiſque veſtris altius infigite: NE QUIS SE IPSUM FALLAT, SI QUIS SIBI VIDETUR SAPIENS ESSE INTER VOS, IN SECULO HOC STULTUS FIAT, UT REDDATUR SAPIENS. Circumvenimus enim nos ipſos, qui ſapere nos putamus ac præſtigiis quibusdam ſenſibus noſtris imponimus, inque alios eandem hiſtrioniam exercemus. Nam vel phantaſiæ variis ſpectris excitatis nobis aliiſque illudimus; vel perturbationum tyrannide preſſi nos in poteſtate noſtra non habemus, *legem illam in membris noſtris legi mentis repugnantem* ſecuti; Centauris quodammodo ſimiles, qui figuram beſtiæ humanæ quaſi formæ appendicem circumportamus. Sumus quaſi gemini uno in corpore: nam exterior ille homo, quem animalem Paulus vocat *cum non percipiat illa quæ ſunt*

Spi-

Spiritus ſibi ſoli ſapit, neque ab interiore ſub rationis ſe vocari jugum patitur. Hæ ſunt illæ Araſpis Medi duæ animæ, de quibus ille ad Cyrum, ut apud Xenophontem in Cyropædia legimus: *Duæ, Cyre, mihi ſunt animæ, hanc philoſophiam didici modo apud illum improbum ſophiſtam Amorem. Nam una ſi eſſet anima, non & bona ſimul eſſet, & mala: neque res pariter honeſtas & turpes amaret: neque ſimul eadem vellet & nollet facere.* De eodem in ſe à ſe ipſo diſſidio Paulus vehementer dolet: *Non quod volo facio bonum, ſed quod non volo malum, hoc ago.* Evenit propemodum Menti noſtræ, quod Rebeccæ gravidæ oraculo prædictum eſt: *Duæ Gentes ſunt in utero tuo & duo populi ex ventre dividentur, populusque populum ſuperabit & major ſerviet minori.* Quæ illic populorum; hic ſenſuum, & affectuum in nobis concertatio eſt, & cum rationis ſuæ clade conjuncta, ut major minori ſervire cogatur, excuſſoque rationis imperio ſenſus per vim dominentur. NE QUIS ergo SE IPSUM FALLAT, à ſe ipſo velut ab hoſte ſibi caveat, & quicquid Sapientiæ & virtutis ſpecie blanditur, ſtatim inſtultiæ ſuſpicionem vocet, quicquid etiam aliorum prave ſentientium ſuffragiis ornetur. In aliam itaque partem declinet & ad ſecuriorem Stultitiæ viam ſe recipiat, ſed quæ ad veræ atque æternæ philoſophiæ metam ducit. Huic vos quoque viæ inſiſtite, ut veram illam perfectiſſimamque Sapientiam tandem animo comprehendatis.

Quam ut obtineatis, det vobis ὁ πατὴρ τῶν φώτων & qui hodie in linguis igneis apparuit spiritus πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς διανοίας, ne vos alii fallant, ipsique vos fallatis. Ita tandem, qui piarum hic virginumque Musarum signa secuti estis, Sapientibus illis Virginibus accensebimini: quarum lampadas igne suo accendit Spiritus, ut cum illis obviam eatis Sponso qui in thalamum suum, æternas beatarum mentium sedes deducet. Hæc erit illa Academia, in quâ summis honoribus ornabuntur Candidati illi, qui hic æternam Philosophiam, quæ mundo stultitia visa est, sunt professi. Neque tum Magistros tantum & Doctores vos ipsa proclamabit SAPIENTIA, sed & in filios adoptabit, cum *Spiritus Dei una cum Spiritu vestro, quod sitis filii Dei testabitur.* Venietis hic in illud regnum, ubi dissipatis ignorantiæ tenebris, *qualis vel quanta videri Cælicolis solet*, se oculis amplexibusque vestris sistet SAPIENTIA. Illam cum nudam videre nunc non liceat, (est enim ut de Justitia Aristoteles, οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός.) saltem per colorum nostrorum nebulas eminus speculemur. Præcipiamus, o Cives, divinam illam animo speciem, & simulacris saltem amores nostros solemur, usque dum e vitæ hujus caligine evocati æternæ luci immergamur, &, quod omnis Sapientiæ complementum est, τρισμέγιστον Deum, inter sanctissimarum mentium perpetuas acclamationes, non animo tantum, sed & ipsis his

his oculis, in omnem æternitatem intueamur. Valete P. P. ipſo Pentecoſtes Feſto Ann. cIↄ Iↄc LXXXVI.

27.

FEſti nunc aguntur dies, Cives Academici, iique toto anno lætiſſimi, quibus ut fœcunda naturæ virtus in corpora effundi ſolet: ita olim divinus Spiritus in animos atque vertices Apoſtolorum ſe effudit, cujus hodie myſterii anniverſariam memoriam celebramus. Adeſtote omnes, omnemque rei ſanctiſſimæ hiſtoriam intentis animis oculisque acerrime contemplamini. Veſtra enim res hic agitur, qui diſcere ex hac Spiritus S. Schola poteſtis, quam brevi & compendiaria ad ſapientiam omnem via ille ducat. Acceſſiſtis huc, divinæ humanæque ſapientiæ theſauros petituri. Habetis promicondos, fideliſſimos Doctores, Diribitores cuſtodesque veſtros, qui in uſus veſtros omnia promunt & erogant. Illi in hanc Spiritus divini Scholam, in extemporales e ſacro afflatu Doctores Apoſtolos, inſpicere, tanquam in ſpeculum jubent. Ille ſupremus omnis ſapientiæ diſpenſator, optimus maximus artium Magiſter, ut ſemper per totum terrarum orbem opes ſuas diſſeminavit; ita nunc viſibili ſpecie univerſas in Apoſtolos effudit, ut præcipue illa, quæ ſunt

Spiritus intelligerent. Quo cætera omnia quæ doceri discique possunt continentur. Nulla est, quæ non ex hoc fonte inexhausto promanet scientia; neque ulla ex toto disciplinarum orbe est, quæ nou divinum illum characterem circumferat. Agnoscite hoc quod in disciplinis θεῖον est, & vel ex eo discite, quam sine Deo nil sapiamus. Quod vobis festo hoc die ἀκρόαμα pia meditatione amplius expendendum proponimus. Nemo paulum sagacior est, cui illud non suboleat; qui non suspicione saltem & conjectura aliqua attingat. Scilicet, ut Vulpes in fabulis, scientias tractamus. Illa pultem vitro inclusam, cum ligurire non posset, superficiem tamen lambit. Pellucet illud quod in scientiis divinum est: sed quoniam in superficie semper hæremus; quoniam inani illo ac vitreo opinionum splendore nos oblectamus, nunquam pectus saturamus, nunquam ad fundum rerum penetrare possumus. Nimis immersi sumus nobis ipsis, & turbæ opinionum variarum. Quod si animum paululum in se revocaremus DEOque permitteremus, & simplicissimos naturæ intueremur progressus, expeditior esset ad veritatem via, & divinæ menti nostram arctius jungeremus. In ipso illo τῆς ἐπιστήμης τρόπῳ, in rerum apprehensione, quæ non divina sæpe animadvertimus vestigia! Sunt qui fulminea ingenii vi omnia perrumpant, quorum animus in specula positus, uno quasi intuitu omnia simul comprehendit.

dit. Quaſi non ſenſuum miniſterio, non Syllogiſmorum apparatu ad intelligendas res indigerent, ſed geniorum inſtar omnia pervaderent quaſi & abſorberent. Ita quæ tardius aſſeqvuntur alii, longisque præceptionibus circumducti, illi quaſi volatu uno transmittunt, omniaque præcipere ipſi videntur. Vidimus ad certas diſciplinas quosdam quaſi divinitus incitatos, ea in his confeciſſe ſpatia, ut in prodigium illa res traheretur. Fuere ad varias artes liberales, mechanicas, ſtatuariam, graphicam, poëſin, matheſin, chirurgiam, quaſi a natura facti: ut nullis uſi doctoribus, ipſi alias ſimplices, plebeji, ruſtici, non raro etiam oculorum ac lingvæ uſu deſtituti, ipſos in illis rebus artifices ſuperarent. Quin & vaticinandi quibusdam inſtinctum adeo efficacem fuiſſe accepimus, ut mera oracula fundere viderentur. Quæ omnia poteſtatem humana majorem & τὸ θεῖον in ipſa diſcendi methodo declarant. Teſtatur quidem alicubi Cornelius Agrippa: *eſſe artem quandam, ſed pauciſſimis cognitam, ita informandi, exornandi & illuſtrandi fidelem & purum hominis animum, ut ex ignorantiæ tenebris repente ad ſapientiæ & doctrinarum lumen evehatur: e contrario vero aliam facultatem immundos atque incredulos, reconditis quibusdam arcanis, eodem ſapientiæ & doctrinarum dono rurſus exuendi, & priſtinæ ſuæ ignorantiæ reſtituendi.* Quam ſi ille alios artem docere potuiſſet, magnus ille nobis Apollo fuiſſet. Nos eam rectius ab ipſo illo ar-

tium omnium Parente Pansopho, Sancto Spiritu, qui hodie super Apostolorum capita se effudit, veri, illo Duce, ὀκυμαθεῖς & θεοδίδακτοι, didicerimus. Veniamus ad ipsas artes & scientias, & quid in illis θεῖον videri possit, rimemur. Consideamus primum in puerorum subselliis, atque inter ipsos ἀναλφαβήτους nos teneamus, ibique literas syllabasque aucupemur. Magnum in his miraculum est. Quot habemus artes, disciplinas, volumina, ex paucis his elementis nata omnia videmus. Est præterea philosophia quædam Alphabetaria, quæ non pueros, sed magnos profecto doctores exerceat. Notas literarum singulis gentibus familiares videamus, scribendi rationem modumq; perpendamus: & primas illis animi, indolis, ideas impressas deprehendemus. Ac optandum sane esset, omnium populorum nobis characteres fuisse servatos: ita vel ex eorum collatione mutua multa abstrusa investigaremus. Quemadmodum ex punctis, lineis, circulis omnis producitur quantitas, atque ipsa corporum habitudo in iis fundatur: ita ex his characteribus, eorum simplicitate, positu, ductu, animi quædam indoles, e convenientia quædam quasi migrationes elucent. Prima mentis porta verbum & scriptura est, qua se in aurium oculorumque sensus ingerit. In ipsis literis divinum quid latere vel ep ex agnoscimus, quod accessione literæ *He* Abramo divina virtus inspirata videbatur. Quanta sunt in

in nomine Tetragrammato mysteria! quæ integris libris non evolvunt Cabalistæ. Multa de sacris nominibus Judæi nobis narrant, quibus mirificam illi potentiam tribuunt. Ipse Dei Filius, æternus ille λόγος, Verbi nomine vocatur, de quo Reuchlinus mira e Caballisticis libris nos docet. Quanta cabalæ illius literariæ mysteria sint, ii norunt, qui sacris illis sunt initiati. Quibus magna volumina quidam impleverunt. Mentionem facit Jacobus Sponius in accuratissimo suo *Itinerario lib. 2. p. 53.* cujusdam Ægyptii *Check-Bouni*, qui *de virtute Verbi divini & humani* mirabilem librum scripserit, in quo per varias linearum vocumque figuras, perque literarum μετάθεσιν multa curiosa deducat. Sunt qui e nominibus & literarum numeris ita vaticinantur, ut raro fallant. Notarunt nonnulli infaustorum nominum impositione fortunam hominum labefactari, eorum immutatione quoque immutari. Quidam e tetricis nominibus, quos reos criminis suspicati sunt, tales quæstione instituta deprehenderunt. Ne quid de iis dicamus, qui verbis morbos curant, Salutatores dicti. Quæ omnia cum ad superstitionem spectare videantur, procul ab his sacris abesse jubemus. Mirabilis est ille lingvarum diversarum concentus, per quas sparsa primæ lingvæ vestigia, ut θεῖον aliquid, non vana hariolatione venari possumus. Vidimus spiritu aliquo agitatos, ignotas sibi lingvas loqui; quod quanquam Huartus ad sin-

singulare temperamentum; alii ad morbum melancholicum, Pomponatius, ne quid potentiæ ultra naturam debere videatur, more suo, in libro de Incantat. ad siderum influxus refert: absurda tamen illa & παράδοξα sunt, cum impurus ille & κακόζηλος Spiritus in illis hominibus agat, quod in Apostolis Spiritus sanctus, qui omnibus lingvis τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ deprædicabant. In illis aliquid δαιμόνιον, ut in his θεῖον fuit. E *Grammaticorum* Ludo ad *Oratores* transeamus. Quis non in illis aliquid divini agnoscat? Neque enim artem hanc e Sophistarum palæstris natam existimemus. Majus quid in illa elucet, erectum, gloriosum, quod ipsos animos expugnet, præclarumque rebus divinis suppeditet instrumentum. Non sunt e Magistris hominibus æstimandæ artes: divinæ illæ sunt, æternæ atque ex eodem fonte derivatæ, unde hodie in Apostolorum animos effunduntur: etsi hæ omnibus numeris absolutæ. Præcepta quæ a Magistris successu seculorum congesta sunt, veritati & naturæ conformia hos natales loqvuntur. Quare ad divinos usus adhibeamus, quæ divina sunt, & quæ e veritatis quasi utero, obstetricias manus admoventes Magistri in lucem protulere. Verum illud eloquentiæ ὕψος in spiritu & impetu est. Agnovit hoc e gentilibus philosophis Seneca: qui in libro de tranquillitate cap. ult. *Non potest grande aliquid & supra cæteros loqui nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque*

que ſacro ſurrexit excelſior: tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam & in arduo poſitum contingere, quam diu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet a ſolito, & efferatur, & mordeat frenos & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere. Hoc eſt illud in Oratione quod Ariſtides vocat τὸ πῦρ: λόγων αὐτὴ πηγὴ μία, τὸ ὡς ἀληθῶς ἱερὸν καὶ θεῖον πῦρ, τὸ ἐκ Διός ἐστιν Hippocrates, cui Deus ipſe τὸ θερμὸν ἀθάνατον, illud quod in homine ἡγεμονικόν eſt, vocat τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ. Cicero ſic latine exprimit: *Nulla me ingenii ſed magna vis animi inflammat, ut me ipſe non teneam.* Iſtud in Joanne θερμὸν, iſtud θεῖον πῦρ antiqui Theologi obſervarunt: quibus ille υἱὸς βροντῆς, βροντόφωνος & βροντόπαις, ob incomparabilem & ſublimem eloquentiam, dictus fuit. Ex hoc impetu viſi ſunt Oratores, citra ullam meditationem, ad dicendum proſilire, in extremis periculis, in Reipublicæ neceſſitatibus. Vidimus Oratores ſacros divino quaſi ſpiritu ductos, extemporali eloquentia plus præſtitiſſe, quam elaboratis orationibus alios. Talem nobis Franciſcanum illum Eraſmus *lib. 14. Epiſt. 15.* depingit, cujus memorabile exemplum ab omnibus legi meretur. *Poëtas*, qui non humane, ſive Deorum lingva loqui dixit, aliquid homine majus in illis agnovit: ſcilicet τό θεῖον, quod adeo in his ſtudiis dominatur, ut ſine ἐνθουσιασμοῦ illa jaceant frigeantque. Quare & Vates dicuntur, ſeque

pſos

ipsos ἐνθουσιαζομένους profitentur. Quis non de furore Poetarum tam apud Poetas ipsos, quam alios legit? sed illum divinum nominabat Plato, suntque qui peculiaribus ea de re libris agunt. Divinus ille maxime furor, cum in hymnos divinos fertur. Plato in Dialogo, qui inscribitur Ἴων sive περὶ Ἰλιάδος Poesin omnem ab inspiratione contendit. ὁ θεὸς inquit, αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς. *Deus ipse est, qui per illos loquitur, & nos inclamat.* Et ibidem: ἐν τούτῳ γὰρ δὴ μάλιστα δοκεῖ ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι ἡμῖν ἵνα μὴ διστάζωμεν, ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι. *In hoc maxime Deus ostendisse videtur, nobis disputandum non esse, quin divina potius quam humana sint hæc poëmata.* Hoc, inquit, Deus eo indicare voluit, cum de industria per ineptissimum poetam pulcherrimam cecinit melodiam. Quare non inepte hic Plato annulorum magnetis contactu cohærentium exemplo, hunc a divino spiritu per alios poetas propagatum afflatum nobis ob oculos posuit. Memorabile in homine rustico Italo exemplum ætas nostra tulit, qui nullis præceptis imbutus, cum legeret Torquati Tassi carmina, quasi spiritu quodam afflatus elegantissima sine mora fudit carmina, quæ vel ipsos artifices in pudorem conjicerent. *Joannes Dominicus Perus* ille vocabatur, qui nullis promissis, ut ut amplissimis, a Principibus permoveri potuit, ut rusticis sordibus relictis, in aulas & urbes concederet: beneficiis tamen plurimis affe-

fectus a multis fuit. Vidit Patavina cathedra, ante non multos annos Fr. Macedum, Virum omnibus doctrinis & ſcientiis conſummatum, ex tempore de argumentis propoſitis latina recitantem Carmina, eaque elegantiſſima, atque omni apparatu poëtico inſtructa: quæ cultiſſimi alii poetæ longa meditatione vix extunderent. Poeſi affinis eſt *Muſica*, quæ ſonos moderatur, affectus incutit, incuſſos mulcet, animosque quo vult rapit. Eſt ſane in ſonis aliquid θεῖον, ut ad illorum contemperationem, mirabilem ſane & myſteriis plenam, totius univerſi menſuram veteres Philoſophi inierint. Quos ubi numeris ſuis poeta ſcite & recte illigaverit, pene ad Orphica miracula patranda aptum dixeris. *Philoſophia* quæ in contemplatione rerum conſiſtit, eo ipſo nomine divini quid inferre videtur: quid enim eſt θεωρεῖν, niſi a ſenſibilibus animum ad τὰ ἀόρατα abducere? Hic principem locum naturalis philoſophia tenet. In qua omnia a ſublimiore principio arceſſenda ſunt, quam vulgo fit. Pecora ſunt & fungi, qui in naturæ operibus ubique præſentem DEI manum non ſentiunt. Stupida eſt atque iners natura, ſi ab illo diſceſſerit. Nullo vinculo illa continetur, niſi ille nodos ſtrinxerit. Quod cum agnoſcerent gentium Philoſophi & Poetæ, qui *Jovis omnia plena* ajebant: quis credat nunc reperiri homines, qui rectore deſtitutam, ſibi ipſi hanc machinam permittant? Plus eſt miraculorum in natura,

quam

quam vulgo credimus. Quo oculos vertimus, quo pedem movemus, in illa incurrimus. Vel in minimo insecto divinam manum deprehendimus. Omnis illa corporum membrorumq; compositio, illa universi, omniumque animalium admirabilis fabrica intelligentiam & mentem operatricem arguit. Providentia ex omnibus elucet. Vel Talpam videas: omnia in illa ad suos usus comparata, oculi, autres, ungves, membra omnia. Quod cum perpenderet Cardanus, mire alioquin misereque in illis *quæ Spiritus sunt* fluctuans, ac Talpa ipsa interdum cæcior: hic tamen vel a Talpa oculos visumque recipit, cum in hunc quasi ἐνθȣσιασμὸν prorumpit: *Palam est igitur, naturam in cunctis sollicitam mirum in modum fuisse, nec obiter, sed ex sententia omnia prævidisse, hominesque quibus hoc beneficium Deus largitus est, ut causam rerum primam inveniant, particepes esse illius primæ naturæ: neque alterius esse generis naturam, quæ hæc constituit, ab illorum mente, qui causam eorum, cur ita facta sint plene assequi potuerunt.* Felices igitur merito vocat Virgilius, qui rerum cognoscere causas potuerunt. Sed quot illorum sunt qui cognoscunt! In nebulis toti versamur. Cum Athenienses verum Dei cultum ignorarent, τῷ ἀγνώςῳ θεῷ aram posuere. Nil temere nos dicemus, si omnia ignorare nos dicamus. Expedire in ipsis principiis nihil possumus, nisi ad ἄγνωςον aliquod, & incognitum refugiamus. Rident Lyncei nostri eos, qui ad

Quali-

Qualitates occultas confugiunt. O boni, nescitis quam vos in ipsis demonstratiunculis vestris nihil sciatis! At vero, dicitis, in ipsis minutiis naturam recognoscimus, in particulas oblongas, ramosas, globosas resolvimus: nihil oculos nostros perspiciliis armatos effugiet. Sed nihilo tamen sapientiores per vos facti sumus. Quamdiu rerum mistiones ignoramus, nihil omnino novimus. Propiora illa potius prensanda sunt, quam remotiora. In illis habitat natura, moratur, palpatur: in his dispersa est, & a sensibus recedit. Si culta aliqua & elaborata cui offeratur oratio, isque in illa artificium indagaturus sit: quis propius scopum feriret? illene, qui literas & syllabas numeraret; an vero qui in partes suas, quibus proxime componitur, in enthymemata, in schemata dissolveret. Nullum est in rerum natura φαινόμενον, quod expedire feliciter possumus. Vertamus in omnes partes, secemus in particulas, plusquam κυμινοπρίσαι, hærebimus semper, & tandem in incognito aliquo nobis subsistendum erit. Quod cum videret Henricus Morus, Philosophus Anglus, Principium aliquod Hylarchicum commentus est; alii alia ἀπορήσφύγετα quæsiverunt. Ac sane θεῖον hic aliquod subest verum illud ἡγεμονικὸν, quod impellit, movet, dirigit, jungit, format corpora: quo ignorato, omnia nobis ignorari necesse est. Videamus admirabilem illam rerum γένεσιν. Omnia mysteriis plena sunt. Ipsa illa rerum

semina divina manu in puncto aliquo & centro obsignata videntur, unde quasi ex nihili utero procedunt corpora. Nam quod in semine ἐνεργητικὸν est; non nisi intelligentia comprehenditur: cætera quæ oculis videmus, manibusque palpamus, parum ad corporis compositionem conferunt. In Vegetabilibus, ubi e punctulo frutex germinare incipit, cætera concidunt atque ut rejectanea separantur. Quæ in formanda porro corporis machina est naturæ solertia! qui progressus! Quos ubi attenta mente respexerimus, attoniti manus sæpe tollemus & mirabilem in operibus suis Deum prædicabimus. Nihil nunc de iis dicemus, qui corporum μεταμορφώσεις, qui infinitas propemodum multiplicationes instituunt: quod in metallis a naturæ mystis factum est; nihil de corporum magnetismis & sympathicis affectionibus, quæ innumeræ in natura sunt, unde omnis illa magia oritur. Sed arcanior illa scientia in omnibus pene gentibus, a sapientioribus quibusdam custodita est, ne in vulgus efferretur. Huc omnis illa Mythologia omnia Ægyptiorũ Hieroglyphica tendunt. His enim involucris divini illi thesauri teguntur. In *Mathematicis* porro scientiis, quid non divini est! Hic Numerorum doctrina primam se offert, tota merito divina vocanda. Quantæ, quam arcanæ numerorum potestates sint, ne in hunc quidem diem satis cognitum est. Quod cum bene nosset Pythagoras, non invenit commodiorem

ra-

rationem, qua Philosophiæ suæ secreta celaret, & intelligentibus tamen omnia panderet; quam si numeris suis, quos formales recte dixeris, absconderet. Cum enim Numeri nominantur, non intelliguntur nisi naturæ occultæ proportiones, progressus, operationes, revolutiones a DEO ipso definitæ. Quomodo non difficile admodum est omnia divinæ humanæque sapientiæ mysteria illis adumbrare. Non credat quis temere fieri: sonos septenario, numeros novenario absolvi: atque hinc per easdem ἀνακυκλώσεις in centenariis & millenariis reduci. Illic abstrusarum rerum typi latent, atque iis quasi præfigurantur. In quibus, velut in tenebris palpitant, qui tamen quasi per nebulas vident, Autores, quorum de numerorum mysteriis integra extant volumina. Ἱστορούμενα tantum illa sunt, non φιλοσοφούμενα. Radix & quasi Pater omnium numerorum Monas est. Prima ex illa surgit Dyas, quæ per Triada quasi in consonantiam unitatem reducitur. Hinc illa Τετράκτυς, per quam, ut rem sacram, non sine causa jurabant Pythagoræi. Quinarius iisdem τροφός, idem γάμος dicitur, quod ex binario & ternario, quasi ex femina & mare conflatus sit. Dinus aliis dicitur. Hinc illa πέμπτη φύσις Aristoteli, imo & Platoni & Platonicis celebrata. ...i πέμπτον στοιχεῖον, πέμπτον κόσμον, σχῆμα ...μπτον, ἄριστον στοιχεῖον appellant. Septenarium omnium μυστικώτατον esse nemo nescit.

Mirabile est, quod de ejus virtute Fluddius in libro de *Microcosmi historia tr. 1. sect. 1. lib. 1.* consignavit: *Ego*, inquit, *hominem doctissimum novi, qui, virtute hujus numeri Septenarii, cujusdam quasi oraculi adsistentia, quæstiones dubias atque ancipites resolvere non dubitavit, atque etiam de occultis tam præsentibus quam futuris quodammodo divinare pollicitus est.* De *Geometria* idem nobis dicendum est; nam & numerorum rationes lineæ & corpora seqvuntur. Quare & Plato Deo dignum opus habuit, quem ille ajebat perpetuo γεωμετρεῖν. Circuli & trianguli arcana ne nunc quidem omnia exhausta. Quas non cruces mathematicis illa Circuli quadratura figit! Et tamen illam rerum hæc universitas quotidie nobis ob oculos ponit. Nimirum ut Deus summus omnium rerum Architectus est, qui numero pondere & mensura omnia fecit: ita illud ἀρχιτεκτονικὸν rebus inseruit, quod iisdem progressibus, eadem motus successione, semper operatur. Hoc perpetuum illud movens, perpetuumque mobile est. In quo inveniendo quam sudant mathematici! *Optica* quæ radium metitur, in ipsa quidem luce tota occupatur. Sed quamquam illa oculis omnium patet, quamquam ejus beneficio omnia apprehendimus: ejus tamen naturam, nemo tam oculatus est, qui vere indaget. Annon miraculo propius, & propemodum divinum est, per unum punctum omnium rerum ideas, cum coloribus ipsis transmitti. Nihil de speculis & telesco-

piis dicemus, quæ omnia etiam remotiſſima exhibeant: ſunt enim qui dari illa poſſe exiſtimant: nihil de iis Baptiſtæ Portæ ſpeculis, quæ recta linea in infinitum urant. Nam etſi impugnant illa multi, rationibus quidem non contemnendis: tamen ut ſunt in omnibus propemodum diſciplinis quædam θαυμαστά, quæ non capiunt omnes, neque ſcire intereſt: ita & hic fortaſſis aliqua ſibi ſummus ille Magiſter reſervavit. Habet Deus quædam, ut ita dicamus, reſervata, ad quæ non admittuntur, niſi pauci illi, quos *ardens evexit ad æthera virtus*. Sunt in illis præcipua: Futurorum prænotio, ſive illa a ſiderum configurationibus; ſive aliunde deducatur: ſummi arcani phyſici cognitio, ac temporum accuratæ rationes, quas ille antiqvus dierum, ac Pater temporum, arcano conſilio, hominibus voluit eſſe abſconditas. Etſi fuerunt nonnunquam, qui παρακύψαι in illa, illo connivente, arcana conati ſunt. Verſamur in magna illa DEI familia, infantes alii & pueri; alii maturiore in ætate conſtituti: ubi illis nonnulla ſcire inutile non ſolum, ſed & periculoſum eſt; hi vero in domeſtici regiminis ſocietatem nonnunquam admittuntur, ita tamen, ut occultæ rerum diſpenſationes ad ſolum Patremfamilias ſpectent. Ille e ſingulis ſcientiis aliquod δαίδαλμα, τέχνημα, magiſterium ſibi ſepoſuit, quo beat interdum filios; cum cætera illa etiam τοῖς ἔξω concedat. Qui *Medicam* artem profitentur, quotidie illud ſi-

bi Θεῖον propositum habent. Sive enim corporis structuram oculis rimantur; nihil in illa, est, quod non opificis sapientiam loquatur: sive cum morbis illis res est; tot sunt illorum, formæ, & figuræ, tot in illorum causis recessus, ut sæpe illis in τῷ θείῳ subsistendum. Quod & Hippocrates vidit, & integro libro *Jordanus* exposuit. Testantur hoc prodigiosæ, quas aliqui congesserunt Historiæ, & super quibus Mericus Casaubonus in libro Anglica lingva scripto, de *credulitate & incredulitate in rebus naturalibus, moralibus & civilibus* multa, ipse tamen, ὀλιγόπιστος disquirit. Est in ipsis remediis θεῖον aliquid, quibus, utut efficacissimis, sæpe, manum injiciunt fata. Quædam ab imperita & plebeja manu exhibita ultra fidem operantur. Vilia sæpe & contempta gravissimos & letales morbos avertent. Est ubi cæli siderumq; influxus vires medicamenti auget, suspendit, tollit. In medico quoque ipso τὸ θεῖον singularis quædam felicitas adjuncta testatur. Est in mediocriter doctis illa in indagandis morbis remediisque applicandis εὐστοχία, quæ doctissimos interdum destituit. Sunt qui medica, vi pollent in morbis per tactum curandis. Quod cum Regibus Galliæ & Angliæ hereditarium credatur munus, fuit tamen in Anglia *Valentinus Greatreak*, qui idem felici successu fecit, ut sunt de ea re multorum fide dignorum hominum perscripta testimonia. Ne quid de Viris dicamus, qui precibus a Deo salutem ægro-

to-

torum impetrarunt. Procedimus ad *moralem* & *Civilem* doctrinam. Quæ quanquam in negotiis, ab arbitrio hominum pendentibus, consistere videntur, inque eorum principiis nunc adeo fluctuant nonnulli, ut pleraque ἐρίπιστα illis sint, quæ sancta omnibus esse debebant: sunt tamen in illis æterna, divina, inconcussa, ad quæ hominum actiones ordinandæ sunt, vel si illæ evagantur, in ordinem rediguntur, aut eo diriguntur, potentiore manu, quo divina tendit providentia. Quoniam vero non nisi agendo virtutes nobis paramus, in ipsa illa actione τὸ θεῖον se maxime ostendit. Virtus quæ Heroica dicitur, divino impulsu excitatur; ac fato sæpe fieri solet, ut ad res magnas gerendas, ad regna firmanda, ad imperia amplificanda, hostes subigendos divinitus animentur homines, incredibilia viribusque humanis majora tentantes. Hinc illæ apud Historicos, cum memorabilia facta describunt, voces: *Deo quodam assidue incitante: quodam quasi instinctu Deorum concitatus fecit:* οὐκ ἄνευ θεοῦ, *non sine Deo.* Ipsas in nobis inclinationes, quas sentimus bono aliquo genio nobis incussas credere possumus. Quare nec obniti illis debemus, sed illorum ductum sequi. Has in Socrate occultas propensiones, quas ille in rerum agendarum consilium adhibuit, genium illum, de quo multa Plato aliique nobis narrant, fuisse, Cartesius *part. 1. ep. 15.* existimat. Quæ non male dicerentur, nisi ipsa apud Platonem Socratis verba,

quibus vocem emisisse Dæmonium significat, aliud testentur. Quod & Strozzius Cigogna, vel potius Thomas Garzonius (is enim verus autor est) in *Magiæ Theatro part. 1. l. 2. c. 2.* adversus illos affert, qui dæmonium Socratis de mente ejus interpretantur. In Rebuspublicis illæ politicis celebratæ ἀνακυκλώσεις, ab uno ad unum redeunt, pulcherrima hujus universi & naturæ imagine. Quod in Rep. Romana eleganter demonstravit Machiavellus. Eas mutationum causas rationibus Musicis & Mathematicis Plato *lib. 8. de LL.* deducit. Quicquid in civilibus negotiis etiam moliantur δωδεκαμήχανοι, & versuti homines; intercedit eorum consiliis, ubi minime existimes, Deus, & ad suum arbitrium omnia componit. Non est, quod hic ancilia, ampullas, secures, palladia cœlitus lapsa, vasa Chinensium ænea, Reip. mutationes tinnitu, nullo externo motu incusso, prodentia, in divinitatis probandæ subsidium vocemus. De Geniis tutelaribus, præsagiis, prodigiis, ostentis non omnia vana sunt Historicorum documenta, quibus divini aliquid subesse res ipsa loquitur. In auspicio Regio quæ non mysteria quæsivit Boclerus! De annulo ex auro, quod Christo Magi obtulerunt, fabrefacto, qui inter antiqua domus Austriacæ cimelia fuit, Lambecius *Comm. de Bibl. Vindobonensi Tom. 1. part 1. lib. 1. p. 25.* prodidit: quod tempore belli insolito fulgore victoriam portendere visus sit. Qua de re sententiam cuiq; li-

liberam esse volumus. Miracula Principum, qui desperato corporis vitio laborantes sanitati restituerunt, an vera, an ficta narrant Historici. Quibus etsi fraudes nonnunquam immistæ; tamen vel affectata illa a Principibus divina ἀξιώματα illius θείȣ opinionem abesse a Republica non debere declarant. Legimus rem Romanam in præcipitio stantem fatorum manu ab interitu sæpe revocatam; quoniam orbis imperium Romæ destinabatur. Cui Romulus vel arcano consilio, vel magica arte, ut quibusdam creditur, prælusit: cum in meditullio urbis fossam, cui mundi nomen, faciendam curaret, inque eam a peregrinis particulam terræ patriæ injiciendam imperaret. Quoties ab extremo periculo Reges divino quasi monitu revocati! victoriæ tempestatum & procellarum subsidio obtentæ! Genii ipsi in hostes pugnare visi sunt! Quibus in rebus qui nullas Fato partes tribuit, næ is ad omnes rerum sensus obsurduit, aut omnem bonam mentem ejuravit. Infinita cumulare ex omnium temporum gentiumque annalibus poteramus, si nunc rem illam ageremus. Utinam Vir rerum Civilium peritissimus, Böclerus, qui *Theatrum Fati* scribere voluit, librum illum absolvisset, magnam huic argumento facem accensam videremus In caussis judicandis singularis Principum nonnullorum εὐστοχία, quæ vel sapientissimorum JCtorum peritiam antevertit, θεῖον juridicum nobis ob oculos ponit. Ne quid de

divinis in omni gente etiam barbara judiciis hic dicamus, quibus explorari reorum, deficientibus testimoniis, vel innocentia, vel culpa consvevit. In terrarum ac regionum cognitione, quod θεῖον geographicum vocabimus, illud deprehendimus: certis temporum periodis, ac fatali quadam lege earum notitiam mortalibus recludi, atque iterum insuperabiles navigantibus obices poni, ut vel improbo labore frustra quærant. Antequam Hispani in Americam Peruvianam venirent, audita è fodinis ad barbaros operarios vox fuit, quæ intactos pro peregrino populo thesauros relinquere jussit. Visæ è longinquo terræ quædam repellentibus semper ventis, adiri non possunt. Quædam etiam, si fides itinerariis habenda est, detectæ, oculos hominum fugere videntur. Illius in rebus civilibus θεία statua Mercurialis est, & filum quasi Ariadnæum præbet *Historia.* Pulchre S. Augustinus lib. de vera religione c. 25. *Quoniam divina Providentia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice, consulit: quid cum singulis agatur. Deus scit, atque ipsi, cum quibus agitur, sciunt; quid autem agatur in genere humano, per Historiam commendari voluit & Prophetiam.* Verum, de quo non sine causa Conringius: *lib. de Civ. prudent. c. 14.* queritur: *perquam pauci historici illam diviniorem causam justa commemoratione prosequi solent: quidam de industria hoc videntur agere, ut excutiant lectorum animis τοῦ θείου curam: quod*

ta-

tamen Machiavellus minime omnium cæteroquin religioſus, advertere potuerit. Sed nos tandem manum de hac tabula, ad illum Dei digitum, qui hodie flammeis characteribus ſapientiam ſuam Apoſtolorum animis inſcribit, intendimus. Inde vos ardentiſſimis precibus θεῖον illud; ſine quo ἐντελέχεια ſua deeſt ſcientiis, arceſſite, *Sedibus æthereis Spiritus ille venit*, qui vos ducet in omnem veritatem & per orbium cœleſtium ἐγκυκλοπαιδείαν aliquando circumducet. Ille vos Philoſophos faciet, ſapientiam quæ hominibus Stultitia eſt, profeſſos: Mathematicos, qui longitudinem, latitudinem, altitudinem amoris divini metiantur: Politicos, qui πολίτευμα ſuum in cœlis quærant: Grammaticos & Oratores, qui aliquando ῥήματα ἄῤῥητα intelligant: Poetas & Muſicos, qui τρισάγιον ſuum, cum omnibus beatarum mentium choris inſonare nunquam deſiſtant. Valete P.P. ipſo Spir. S. feſto. Anno cIↄ Iↄc LXXXVII.

28.

ETſi in toto anni Eccleſiaſtici curriculo, quo θεανθρώπε noſtri vita & mirabilia opera piis mentibus in memoriam revocari ſolent, multa occurrunt, in quibus mens noſtra defigi debet; præcipuum tamen & velut omnium divinorum operum complementum eſt, quo Spiritus Sanctus ſub igne-

ignearum lingvarum specie in Apostolorum capita & pectora effunditur. Ille scilicet Verbi ἐνσαρκωθέντος & in cœlum evecti scopus fuit, ut lingvis igneis spiritus sui vim declararet, & nos tandem mortis ejus fructus sentiremus. Venerat Salvator in orbem, ut salutem perditam reduceret illi, qui ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, ac a veteratore spiritu totus obsidetur. Quæ ejus salus cum in eo consisteret, ut veteri expulso novum acciperet spiritum, Apostolorum mentibus, quos salem terræ appellabat ipse Salvator, eum immisit, qui veterem ex Adamo hominem destrueret, novum in illis cor generaret, & cœlesti quasi fermento impleret, ut & nos eorum ministerio, eodem aliquando chrismate inungeremur. Ille ignis est, quem orbi se immissurum prædicebat Christus, ut piæ mentes divino ardore totæ incenderentur. Advertite animum, o Cives, ad mirabilis historiæ expressiora & illustriora momenta, atque ea diligenti piaque meditatione expendite. Diffugerant antea Discipuli, metu ob acerbissimum Magistri sui supplicium turbati, ac ægre in viam reducti. Nunc illis ὁμοθυμαδὸν congregatis & quasi comitia celebrantibus divinus ille spiritus illabitur. Qui se ipsos timore disjunxerant, eodem, postquam nova illi spes accesserat, in multitudinem, sed unam unoque fidei vinculo conjunctam compelluntur. Postquam enim singuli multi esse desierant, omni scilicet affectuum turba ejecta, facile erat multis,

tis, in unitatem reduci, quorum ſenſus jam conſpirabant. Quare animis eorum præparatis ſupervenit ille *ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus multiplex*, qui in Sapientiæ libro deſcribitur. Neque enim ſecum hæc pugnant, unum eſſe & multiplicem. Unicus eſt ſpiritus. Multiplex in operibus, & ex illa multiplicitate unitas, ut ipſe divino ſpiritu doctus Apoſtolus nos docet. Idem qui timorem in nobis excitat, quem *ſpiritum timoris* Eſaias vocat, ſpem in nobis producit, quæ per timorem quaſi in tuto collocatur, ut timor per ſpem, uno tamen utrinque ſpiritu operante, refocillatur. Idem per multitudinem & diverſitatem munerum in ſingulis unitatem, cum omnibus harmoniam ſvaviſſimumque concentum molitur. Id Apoſtolis accidit, in quos varia ſua chariſmata effudit Spiritus Sanctus, ut vitam ſanctam agerent, miracula ederent, dæmonia ejicerent, variis lingvis loquerentur, ægrotos ſolo manus tactu ſanitati reſtituerent, eaque omnia unitate fidei, charitatis & orationis exequerentur. Poterant illi vel in ſilentio & ſeceſſu vivere, ſua pietate in Deum converſi; ſed novo opus erat ſpiritu, qui illos in pugnas armaret. Miſſurus erat illos Salvator, *ſicut oves in medio luporum*: & ſufficiebat illis ſibi relictis ovium ſimplicitas: Verum, quoniam cum lupis illis depugnandum erat, etiam ſerpentum prudentiam in illis requirebat. His ſibi ducibus novum regnum erecturus erat: hos il-

ille sacræ militiæ imperatores in animis expugnandis designaverat. Qui cum scientia, virtute, felicitate, autoritate eminere debeant; divino spiritu imbui debebant, ut omnium gentium lingvis loquerentur. Quos enim animos verbis & prædicatione sibi subjicerent, qui ipsi nec lingvas scirent, neque satis prompti lingva essent? Idem sapientiæ & virtutum omnium apparatu instruxit: Ille felicitatem adspiravit, ac autoritatis suæ robore debiles animos firmavit. Nempe gradibus divinus ille spiritus procedit: neque enim omnes statim in primis, aliqui etiam in secundis tertiisque subsistunt. Sunt quos paulatim extollit; aliis panem quotidianum & primitias suas præbet; alios tota sui plenitudine saturat, ut de thesauris suis etiam aliis largiantur. Quid jam porro factum sit attendite! Repente de cœlo sonus factus est. Præcesserunt tot Prophetarum voces, antequam à cœlo sonus audirentur: neque animos præpararunt ad spiritum cœlestem recipiendum. Nunc sonus è cœlo auditur, non è cavernis terræ, ex antro aliquo Sibyllino, aut Phœbi cortina. E terra enim ascendebat Spiritus, qui fundebat oracula, non sine fragore & mugitu, natales suos ultrò professus. Verus è cœlo alio sonitu descendit Spiritus, qui Apostolorum animos implet. Valeant terreni illi strepitus, quos hic edimus, quibus aures & pectora distendimus *curvæ in terras animæ & cœlestium inanes.* In visibilibus & palpabilibus hæremus: ea quæ ante

te oculos & pedes ſunt tantum curamus, vixque illud. ne cœlum ruat, metuimus. At hic ruit cœlum, ſonitu de cœlo audito, ut ſpes hominum impleat, & ipſe divinus Spiritus Apoſtolorum mentibus illabitur, atque ita illabitur, ut omnium ſe oculis ſpectandum aliquo ſimulacro exhibeat. Lucem hic videmus & ignem ſub lingvæ forma. Luce opus erat, ut *obſcuratum habentes intellectum* illuſtrarentur, & perfectum illud ac immutabile ſapientiæ lumen obtinerent. Nimirum tenebræ ſunt & nebulæ hominum lumina. *Stultus ſicut luna mutatur*, inquit Eccleſiaſticus. Varium enim non conſtans ignorantia noſtra lumen habet, lunari illi ſimile. Lucet Luna, ſed non ardet: umbram facit, non calorem inducit: reſplendet quidem, ſed cum frigore. Abeſt ille ardor voluntatis, ille fervor charitatis. In debili dubiaque, ſed multis tenebris miſta, luce torpor & frigus merum eſt. Vix enim illud Simonis apud Eccleſiaſticum elogium aſſequimur: *Quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet.* Si qua enim luminis noſtri perfectio eſt, ad lunam plenam accedet, quod omne a ſole transſumtum eſt, ab illo ſcilicet, *in cujus lumine videmus lumen.* Ut enim ſine ſolis radiis ſolem non videt oculus: ita ſine illo lumine non videt lumen intellectus. Sed & hic opaci ſui luminis præſtigias immiſcet ſæpe Lucifer, ut fatuos hos ignes ſecuti in præcipitia ſæpe abſtrahantur. Ubi veritatis aliquod lumen menti tuæ illuxerit, nebulam ſtatim Dæmon ſuffundet,

det, & falsi luminis speciem obtendet. Opus charitatis in miseros exercebis? Ille tuæ gloriæ splendorem immiscebit. Mysteriorum divinorum contemplationi lumen tuum impendes? Non aberunt meditanti Satanæ tela ignea. Quare id agendum nobis est, ut in solo divino lumine videamus lumen; solo illo in nobis operante, lumen sequamur. Ita non mentes tantum luce divina illustratas, & eodem igne agitatas habebimus: sed & ipsæ lingvæ nobis erunt igneæ. Igneæ illæ erant in Apostolis, cœlitus inflammatæ, non affectuum humanorum facibus incensæ. Frigidæ lingvæ sunt, quæ in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis se efferunt, sine ardore spiritus & amoris, sine luce veritatis. Illæ vere igneæ sunt, quæ e corde inflammato verba sua proferunt, animisque aliorum eundem ignem immittunt, nec simulatis motibus aguntur. Ex hoc præcipue externo receptionis suæ charactere nosci voluit Spiritus, ut in lingva & verbis se exerceret. Lingva scilicet ὄργανον ὀργάνων est in Spirit. Sancti officina: Cor enim Deo plenum non alio canali quam lingva & sermonis effluit. Instrumentum hoc DEO reddendum est, quod affectuum nostrorum instrumentum erat, ut pro maledictis, injuriis, invidiæ & contentionis vocibus, verba charitatis & veritatis, hymni, τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ celebrantium audiantur. Quos cum in Apostolis audirent multi, inter illos præcipue οἱ ἔξω in stuporem rapti fuerunt,

Ju-

Judæis tantum miraculum vel non attendentibus vel explodentibus. Hic vero videte malitiæ genium, cui nihil sacri est, quæ adversus solem Deumque ipsum loquitur, ac in re manifesta cum ratione insanire gestit. Nihil agetur miraculis, ubi cor vero rerum cœlestium desiderio non animatur. Vix inventi sunt, qui cum cura & solicitudine rem gestam perscrutarentur, præter paucos e variis gentibus hospites & peregrinos. Multi incertas ratiunculas per calumniam comminiscuntur, ut ingenio maligno & incredulo satisfaciant: Adeo scilicet perdite pravas illi opiniones, quibus immersi sunt, amant, ut omnes adversus veritatem sensus obdurent, omnem aditum illi occludant. Primum divini Spiritus in nobis opus est Veritatis amor. Eam inquirendo amamus, non quærendo contemnimus. Non aliter accipere mundus hospitem Deum solet. Cum primum humanam naturam indueret Salvator, stella tuguriolo imminens natum inter homines Deum significat. Non observant tantum in Patria hospitem Judæi: Deprehendunt è longinquo Magi, & ad tantæ rei famam *Herodes Rex turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo*: ut & è vita sublatum vellent. Perdiderunt Christum Judæi, cum tenerent; Invenerunt Gentiles, cum civibus suis ignoratũ quærerent. Cum hæc perpendit S. Maximus in Homil. de Epiph. Dom. merito in hæc Verba prorumpit: *Ecce Christum qui non habent, habere volunt, & in-*

venire contendunt. Judæus Deum suum refugit, paganus inquirit. Quod proximus non agnoscit; alienus intelligit. Gentilis stellam Christi videt & venit. Judæus Christum videt & invidet. Nunc cum Spiritus Sanctus, qui olim sub stellæ specie natum Christum indicaverat (id enim Patribus nonnullis persvasum est) sub ignearum lingvarum specie, eum in Apostolis, jam in cœlos sublatum, manifestat; quis à Judæis alios mores nisi perversos exspectet? Qui ad calumnias & convicia conversi, quas possunt, hujus miraculi luci nebulas suffundunt. Vos, ô Cives, ex illa pessimorum hominum turba secedite, & illo paucorum Consortio animos vestros jungite, qui pio stupore τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ non mirantur solum, sed & lingvis spiritu divino armatis extollunt. Mature nunc, cujus spiritus filii sitis, ostendite, ut ille, qui hic in vobis testimonium perhibuit, Spiritus à severa Judicis sententia olim immunes præstet, vosque hæreditate illa, quæ filiis lucis promissa est, non excidatis. Valete P.P. KiloniI, ipso Pentecostes festo, Anno cIↄ Iↄc LXXXVIII.

29.

QUoties oratione publica hoc die vos compellavimus, Cives Academici, quo divinus ille pacis ac amoris Spiritus in Apostolorum vertices olim effusus est; toties nostrorum vos votorum memo-

mores fuiſſe opinamur: qui tot jam annos illum nobis illucere diem optamus, quo Patriæ Patrum animi in æternæ fœdus amicitiæ coaleſcant, ac poſt compoſita diſſidia, nova nobis, Principe reddito, lætiorque rerum ſpecies affulgeat. Nemo e Civibus, nemo e noſtro ordine fuit, qui non e ſuperiorum annorum caligine & tenebris ad novam Reip. lucem adſpirarit. Quæ enim rebus noſtris ſalus in illa animorum diſſenſione ſperanda? quæ non mala, quæ non calamitates enervem ac ſuis quaſi compagibus ſolutam Rempublicam affligent? ſi in eo ſtatu, in quo infauſti temporis propagatio inſit, maneamus. Adhuc in caſſum miſſæ preces, ac fruſtra vota publice ſuſcepimus: quæ vel nunc tandem, cum Eccleſia illam animorum coalitionem in Apoſtolis ὁμοθυμαδὸν congregatis celebrat, cum divini Spiritus igne, quaſi torrente pectora liquantur, eo ardore, vehementiaque frequentanda ſunt, ut illum, Pacis ſpiritum, illum amoris ignem ex æthereis ſedibus in noſtras terras animosque evocemus. Ac ſane, ſi quid veri mens noſtra auguratur, videre nobis illum diem videmur, eumque propemodum animo præcipimus, quo nos pax aurea reviſat, ut vel nunc hoc quaſi εὐαγγέλιον vobis denunciatione noſtra repræſentandum ducamus. Meminiſtis, o Cives, Pacis imaginem in ſignis noſtris oſtentari, ſceptris circumferri, cornu copiæ præterea ornatam; cum nulla nobis ſit niſi a Pace & Spiritu Pacis

 ſa-

salus. Nihil enim nobis cum Marte negotii est: pacifica & tranquilla studiis nostris præsunt Numina, Musæ, & Charites. Non in arena gladiatoria, sed in pulvere literario versamur: non in minacibus armis, sed in plectris, in libris, non in laureis, cruentis illis ac triumphalibus, sed in innoxiis & eruditis nostra voluptas acquiescit, nostra otia transiguntur. Quare ut olim in larario suo Imperatores Fortunam colere solebant: ita nos Pacem, vel potius sanctissimum Pacis Auctorem pia mente, ut ille rebus nostris adesse velit, precabimur. Et vos in magnam harum precum partem venire æquum est, o Cives, ut sedes, quas nobis hic fata ostenderunt, quietas esse velint, seu communem patriæ, seu studiorum causam peculiarem habeatis. Neque enim nostra a publicis omnium Civium votis possunt ac debent sejungi, qui publicæ fortunæ arbitrio vel stamus vel collabascimus. Quare, ut iterum iterumque vos moneamus, vel hoc festo die, quo triumphis efferri solet sanctus Dei populus, ob completum salutis suæ mysterium, supplicatum divino Numini ibitis, ut in Patriæ Patrum, omniumque animis, qui pacis negotio procurando adsunt pararii, regnare velit ille Spiritus, qui nos inter nos mutuis, iisdemque sibi vinculis, in æternam illam ἕνωσιν connectit, inque illis novi amoris igniculi hoc ventilante effervescant. Non deerit nobis rite vocatus ille Spiritus: qui ut unitate fidei & charitatis

con-

conjungit, quem sibi illi populum delegit: ita res nostras dissipatas, si ab ipso non discesserimus, connectet, voluntates congregabit, & ad civilem communitatem quasi nodo vinculoque constrictos consociabit. Nam si Chærea ille Terentianus fortunam gubernatricem collaudat, quæ tot res, tantas, tam opportune in unum conclusit diem; nos meliori jure eum tum diem laudabimus, *quem faciet Dominus*, quem non tam candido lapillo, quam suo insignitum charactere nobis ille reducet. Cui vero potius illam, quæ est in Rebuspublicis, in imperiis, unitatem adscripseris, quam illi Spiritui, qui ut rudem indigestamque mundi molem in pulcherrimi corporis formam collegit, Cupidinis cælestis specie à gentilibus adumbratus; ita hominum varie animatorum mentes in unam civitatis compagem contexit. In simplicitate ac unitate ut hominum singulorum salus est, ita universitatis: quæ nisi conspiratione quadam & virtutum fideique consensu una sit ac sustentetur, in multas partes distracta collabascit, ac è sedibus suis convellitur. Totam rerum naturam cum perquirunt Philosophi, mirabilem ejus quasi concentum & harmoniam sibi deprehendere videntur. Unitatem rebus deme, ac vitam illarum, quæ in unitate & adunatione consistit, simul exstinxeris. Magnus ille prudentiæ civilis magister Aristoteles maximum bonum civitatibus amicitiam esse arbitrabatur, qua seditionibus ob-

viam iretur, cum & Socrates maxime unam esse civitatem laudaverit. Quam in rem illum Aristophanis sermonem è Platonis convivio adducit, quo amantes ob vehementem amorem à Vulcano in unum corpus compingi cupiunt. Si enim ut ait Plato, Vulcanus cum instrumentis suis astaret, promitteretque se colliquefacturum illos, ut è duobus unum efficiantur, non illi renuerent & quam maxime hoc expetere viderentur. Ac sane in Republica aliquo Vulcano, perito scilicet Legislatore opus est, qui animos hominum, quibus Aristoteles, è Socratis sententia, Deum varia miscuisse metalla ait, aurum aliis, aliis argentum æs & ferum, in massam unam conflare possit, ut auro suo minora illa & impuriora metalla contemperentur, vel in ejus quodammodo naturam transeant, aut saltem aliqua compaginatione illam Danielis statuam repræsentare videantur. Sed in civitate Dei divinus ille opifex, igne suo, quem hodie Apostolis superfudit, plumbea, ferreaque pectora, facile in aurea liquando mutaverit. Quanquam nos nunc quidvis potius aureum, quam animos esse patimur, mera ærugine ac rubigine exesos, vel ferreos potius, ac ære triplici adversus omnia, etiam divina fulmina munitos. Nullum majus Pace bonum est, qua velut mente sua vivunt regna, vivit Ecclesia, vivunt omnes, quos fidei unitas conjungit, vivunt singuli, per vitiorum fermenta in partes

tes non distracti. Quemadmodum enim spiritus humanus membra non vivificat, nisi unita fuerint; ita spiritus divinus nunquam nos vivificabit, nunquam inspiratione sua dignabitur, nisi pacis vinculo jungamur, nisi pacem ipsam ejusque sororem justitiam, quæ se osculantur, amplexi fuerimus. Nisi Paci locum dederimus, non erit apud nos Deo locus, qui, si Psalten Regem audimus, in *pace locum habet*; ut itaque, si à pace discesserimus, Deum ipsum à nobis exesse suasque sibi res habere jubeamus. Quare & filiorum Dei titulo excidimus, quo Pacificos salutat Salvator, qui ipsa Pax dicitur, ac hereditatem illam abiens suo gregi reliquit, ut eam rediens aliquando in suis inveniret, sine illius possessione non suis, sed exhæredibus, & à cælesti Hierusalem, beatæ scilicet pacis visione, exterminandis. Illius nobis æternæ pacis jactura metuenda est, si cum fratribus nostris pacem non amplexi fuerimus, quam omni contentione venari & quærere nos divina oracula jubent. Pax est, quæ populus jungit, regna firmat, æraria ditat, familias conservat, opes custodit, thesauros congerit, civium numerum auget, justitiæ tribunalia, literis lycea, virtutibus palæstras, Religioni templa pandit, atque adeo omnis felicitatis, primum humanæ, deinde divinæ cumulum abs se adducit. Quem non amabilis ejus species in sui amorem rapiat? quæ non illa vel ferrea pectora expugnet? quæ

ita hominibus proposita est, ut vel ipso bello, si aliter non licet, illam obtinere velint. Ideo enim in prælia, in pugnas descendunt, qui ad arma prosiliunt, ut pacem quam ipsi velint, quo jure quaque injuria, extorqueant. At in bello quam sunt omnia fœda & horribilia! quis non ad ejus nomen expavescat! In illo malorum sentina est, jacent boni mores, triumphant vitia, conculcantur leges, homines in feras, & si quid illis pejus est, mutantur: cum pax hominem homini Deum faciat, & in animis pacificorum Deus ipse quasi in cœlo suo habitet & quiescat. Quid ergo potius festo hoc die faciemus, Cives? quam ut Spiritum Pacis votis nostris ac precibus nobis exoremus: *Veni sancte Spiritus!* descende in animos nostros, atque igne tuo quicquid est simultatum & odiorum depasce, ne illa in ferales atque hostiles flammas erumpant. Incende pectora nostra, ut illa holocausti instar tibi soli deflagrent. Exure illas vitiorum scoreas ac sordes, ut in humilitatis cineres subsidant. Eximamus nos mature, ô Cives, turbæ & in divinam unitatem recedamus, ac pace nostra, quam nobis indixerimus, publicam illam pacem procuremus. Videte qui hic sub pacis signo, in hoc Pacis theatro, togatam militiam profitemini, qui ipsas Pacis artes discitis, olim docebitis, ne per vos in cruentam Martis palæstram Pacis illa sedes convertatur, ne ex hoc velut equo Trojano ad bella & cædes prodeatis. Quisque sibi per inte-

te-

gritatem virtutis unus sit, ac unus cum fratribus per coagulum charitatis, ac facile cum Deo ipso in unitatem redigetur. Humana natura per unitatem in divinam assumpta est, Homo cum Deo, si sibi ille unus est, jungitur. Qui si carnem Filii edit, si sangvinem bibit, in illo manet, & ille in ipso, idemque in ipso vivit, quemadmodum Pater in illo. Homo porro cum homine per amorem mutuum unus est: quæ triplex unitas in unam illam Dei unitatem reducetur. Quare, ô Cives, id operam date, ut ex Apostoli ad Ephesios monito *solliciti servetis unitatem Spiritus in vinculo Pacis*, unitate corporis, Spiritus, fidei, spei, baptismi, Dei, velut exemplis ab illo provocati. Eveniet ita (sic auguramur,) ut quo Solymam suam divinus Psaltes excitavit celeusmate, nos Patriam nostram aliquando exitemus: *Lauda Dominum, lauda Deum tuum* Cimbria, *qui posuit fines tuos Pacem*. O ponat ille fines nostros, Pacem, finem votorum nostrorum, finem omnium Civium, finem Musarum nostrarum, omnium denique finium finem æternum. Qua spe pleni illa divini Vatis verba paululum immutata Patriæ nostræ acclamamus:

Mater CIMBRIA, Te salus,
Semper Te bona PAX amet:
Et Te semper amantibus
Cedant omnia recte.

Semper PAX tua limina
Colat, semper in urbibus
Tuis copia dextera
Larga munera fundat.
Dulcis Aonidum domus,
Te PAX incola sospitet,
Sedes Numinis, omnia
Succedant Tibi fauste.

Vos hæc vota nostra, ô Cives, pleno ore, toto pectore, animo, Spiritu sequi ne desistite, ipsumque Pacis præsidem Spiritum, cui hodie sacra facimus, pietate vestra & vobis & Patriæ universæ propitium ut reddatis mementote. Valete P. P. KiloniI ipso Spiritus S. festo Anno clↄ lↄc LXXXIX.

30.

QUi hodie celebratur festus dies, Cives optimi, effusi in Apostolos sub igneis lingvis divini Spiritus memoriam nobis reducit, quo velut complemento obsignatum hoc æternæ nostræ salutis mysterium est, nobisque via ostensa, qua eundem in animos nostros Spiritum evocemus, ac intra pectoris nostri penetralia divino igni perpetuos & focos & aras excitemus. Quare nunc hoc agamus festo hoc die, o Cives, ut pia meditatione tanti beneficii arcana altius rimemur, & nos quoque DEO dignos hospites red-

da-

damus, regnumque ipſi in nobis & in nos permittamus. Hæc illa VIRTUS vere HEROICA eſt, quæ HEROAS nos CHRISTIANOS facit, qua ultra omnia humana elati, veri αὐτοκράτορες ſumus, qui & nos in poteſtate habeamus, & DEUM intra nos doctorem audiamus, DEum ducem ſequamur; ipſum conſiliorum noſtrorum ſocium & omni incogitatione conjunctū habeamus. Hic ille curſus in hac vita ad æternam gloriam eſt: in hac palæſtra bene ſubacti tandem ultra omnes honorum titulos provecti; omnique faſtigio ſuperiores diſcemus

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχοι ἔμμεναι ἄλλων.

Id enim heroicum eſt, bonæ mentis principatum tenere, & cum optimis de virtute, de vera pietate, de amore divino contendere. Hæc nobis prærogativa innoxie quæritur, quæ in ipſa animi demiſſione triumphali gloria exultat. Nota ſunt quæ de Heroibus tradidere veteres & Poëtæ & Philoſophi, divina ſcilicet cum mortalibus commixtione eos natos, unde & Semi-Deos dixere, & ab iis ipſa Virtus Heroica nomen teſte Ariſtotele accepit, qui Homerum de Hectore teſtem adducit:

— — — οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

— *Namq; illum haud eſſe putares*
Mortali genitore ſatum, at genus eſſe Deorum.

Lu-

Lucianus Heroem facit ἐξ ἀνθρώπου καὶ θεοῦ σύνθετον. Omnes deinde Viri boni verique Philosophi cognatione quadam DEO juncti perhibebantur. Eos Seneca pares & socios Deorum, non supplices Stoico quodam Thrasonismo vocat. Hoc est quod Antoninus vocat, συζῆν θεοῖς, θεοῖς συμπολιτεύεσθαι. Huc illud Manilii pertinet, *neminem posse reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum sit.* Non potest illi, qui attentiore cura in veteri Philosophia versatus est, esse incognitum, quemadmodum illa imaginem in nobis divinam perpetuum sapientiæ characterem constituat. Nam Plato τὴν ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ singulis pene paginis inculcat. Ne Epicurus quidem alium vult sapientem, quam qui velut Deus inter homines vivat, ac Aristoteles hanc Sapientis vitam, ut solius Dei opus, effert: οὐ γὰρ, inquit, ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω βιώσεται, ἀλλὰ ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει. *Non enim qua homo est sic vivit: sed qua inest ipsi aliquid quod divinum sit.* Porphyrius quoque, in sententiis ad intelligibilia ducentibus: τὸ ἀγαθὸν τῆς ψυχῆς ἐν τῷ συνεῖναι τῷ γεννήσαντι: *Bonum animi consistit in eo, si autori suo conjungatur.* Eadem Pythagoræ sententia est: βέλτιστοι γινόμεθα πρὸς τὸν θεὸν βαδίζοντες: *Accedendo ad Deum efficimur optimi.* Quis non illa legens divinæ in his tenebris lucis stricturas miretur? quis non ex iisdem nobiscum fontibus hæc hausisse veteres Philosophos crediderit? Nos vel crepusculo hoc moniti pleniorem illam lucem

cem, quæ nunc undique nos circumfulget, eo avidius arripiamus, quo patentioribus ſe radiis præſens nobis Numen ingerit. Dicebat quondam ad Samaritanam mulierem Salvator noſter: *Si ſcires donum Dei, vivam a me aquam peteres.* At nos meliora jam moniti ſcimus donum Dei, neque cum gentibus, τὸν ἄγνωςον Θεὸν, ſed illum ἐνσαρκωθέντα, ac qualem ſe ipſe nobis manifeſtavit, veneramur. Novimus illud Dei donum: Novimus illum, qui datus nobis puer eſt, qui cruci pro nobis affixus, qui de mortuis reſuſcitatus in cœlos aſcendit, ad dextram Patris ſedet, qui hodie Spiritum Sanctum & cum eo divina chariſmata in animos Diſcipulorum effudit. Ipſe ille donum noſtrum eſt, is eſt qui ſe ipſum donat Deus, modo nos ipſi donum hoc ſatis intelligamus, neq; ingrata mente averſemur, aut ejus jacturam per ſocordiam noſtram faciamus. Felices olim Maro Agricolas vocabat, *ſua ſi bona norint;* Felices Chriſtiani ſunt, *ſua ſi bona norint*, ſi donum hoc divini Spiritus intellexerint. Ut ignoti nulla cupido, ita nulla æſtimatio eſt. Nam quanquam pura in luce donum illud nobis refulget, plerique tamen hominum ſibi ipſis nebulas offundunt, & inter vanas ac cœcas opinionum imagines agnoſcunt per umbram

Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam.

Si noſceremus illas virtutes, quibus ad divinam Sapientiam pervenitur, majore illis ſtudio in-

incumberemus: si bonum Patientiæ nobis cognitum esset, nunquam futiles illas de calamitatibus ac miseriis nostris querelas institueremus; quæ in Pietatis exercitio nos confirmant. Si humilitatis bonum intelligeremus, nunquam nos quoquam malo afflictos sentiremus. Sed nos non donum hoc satis intelligimus, nec jacturam istius doni satis animo percipimus, qui vitiorum sordibus involuti, & a Deo ipso, & a Dei dono nos sejungimus. Magna hæc infelicitatis nostræ pars est, etiam in omnibus illis, quæ nostra intelligentia assequi etiam in doctrinis conamur, quod Dei dona ignoremus. Id vel e gentilibus Plinius non ignoravit, cum in has querelas libro de Naturali historia II, 7. se diffundit: *Singula improvidam mortalitatem involvunt: solum ut intra ista certum sit, nihil esse certi, nec miserius quicquam homine aut superbius.* Adeo vera sunt illa Ennii: *Incerte errat animus, præter propter vitam vivitur.* Sunt qui *Socratica illa mirabilia Stoicorum*, ut Tullius vocat, sectantes omnia magnifica crepent, se uno Jove minores, solos Reges, divites, nobiles jactent: & hoc tamen Dei donum ignorant. Eorum hominum Philosophiam, si vivis coloribus depingere volueris, illa Scyllæ apud Maronem facie expresseris:

Prima hominis facies & pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Quid enim ab Aretalogis illis exspectes præter

in-

inanes λόγες? Facessant illi Drances ventosa illa lingva sua! nos cor igneum spirituque divino incensum in illo Sapiente nostro requirimus, non ῥηϛῆρα τῶν λόγων qui verba fundat sapientiæ, sed πρηκϛῆρα τῶν ἔργων desideramus. Nihil est sublime in Gigantæis illis ingeniis, omnia illa μετέωρα sunt & in fumos cum ignibus fatuis transeunt. Heroicos animos divina hæc Spiritus Sancti palæstra sibi flagitat, quos ingentes etiam angusto in pectore sæpe deprehendimus. Quare qui HEROEM CHRISTIANUM aget in hoc Philosophiæ genere ita versetur, ut Atheniensium morem imitatus veluti ostracismo quodam eam e societate sua ejiciat,

Corpore majorem ridens Turbonis in armis
Spiritum & incessum.

ne turbas sibi moveat, aut principatum affectet. Quod si eorum, qui Sapientum nomine hodie salutari volunt & doctrinam & mores respexeris, tantum abest, ut illis inter Semi-Deos locus sit, quos Heroas antiqui vocarunt, ut vix inter Semi-Homines numerari mereantur, Centauri potius & Tritones & e variis ferocium animantum figuris in quandam humanam speciem efformati. Ipse certe Plato in Phæd. nescire se ait, *an sit homo, an aliqua alia fera Typhone magis multiplex ac varia.* Quid nobis fiet, qui a veterum illa schola longius in varia divortia distracti discessimus? Magni ingenii Tullius dicebat esse *revocare mentem a sensibus & cogitationes a consvetudine abducere*, quod primum in

in hoc ludo ἀκρίβεια est. Nam ut erroris via varia est multisque sensuum ambagibus nos circumducit & ludit, ita propior est, quæ recta mediaque via fertur cognitio, & ad autorem potius & fontem, quam ad rivulos respectat. Præcipua hic nobis sunt effata, quibus tota hæc sapientia continetur: NIHIL ADMIRARI: NIHIL APPETERE: NIHIL METUERE. Admiratio Ignorantiæ soboles est, eademque scientiæ quædam quasi mater. In his quæ vana & fugitiva sunt, in variis dissidentibusque placitis inepta admiratio est, in quibus qui hæret, nunquam aliquid proficiet, etsi tota vita apud illos Philosophos persederit. Sed vel in minimis nonnulla sunt, quæ mirari sapientis animus possit, & quorum causæ ab altiore origine arcessendæ sunt, ut hoc intuitu sapienter quoque omnia admirari possimus. Nihil appetere primus ad felicitatem gradus est, cum in uno illo necessario acquiescimus, nunquam a cupiditatibus in transversum abrepti, quarum e numero tres illi potentissimi dæmones sunt, hominum assidui tortores, ambitio, utilitas, voluptas. Adversus illos velut in aciem quotidie procedimus, cumque illis luctamur, quos ubi pedibus nostris subjecerimus, ipsos provocare Heroum triumphos possumus. Nihil qui metuit, omnia φοβερὰ infra se ponit, & omnia illa quotquot sunt fortunæ & tyrannidos μορμολύκεια contemnit. Nil eqvuleo, nil catastis, nil suppliciis in animos istos licet, qui sibi constant

ſtant, nunquam aliorum vel prædæ vel prædones. Cum alii puerorum more in hoc orbe verſantur, rixantur, tumultuantur, cum certant inter ſe injuriis, ſuſpicionibus, cum crepundiis ſuis luſitant, vel inanibus votis torquentur, cum pacis & belli illis vices ſunt: noſter ille Heros in turba quaſi ſolitarius vivet, & a pia bonaque mente nunquam diſcedet. Quare ἀπαθανατίζειν nos & immortales reddere debemus, & nos ipſos, quoad fieri poteſt, a mortalitate vindicare, atque omnia facere, ut ei noſtræ parti, quæ in nobis eſt optima, convenienter vivamus. Vivemus autem, ſi in nos, ſi in Deum ſpiritumque, qui hodie effuſus eſt, deſcendamus, ac unitatis illo vinculo veri Heroes Chriſtiani jungamur. Non admittit Semi-Chriſtianos illa Dei Societas, qui partem ſui Deo, partem orbi curisque hujus mundi devoveant. Nihil inter cœlum terramque medium eſt: nam vel toti cœli cives, vel toti terræ filii ſumus. Amphibia cœlo monſtra exulant. Agite ergo, o Cives, pectora veſtra Spiritui, qui hodie in Apoſtolorum vertices effuſus eſt, conſecrate, ut Deo pleni veros nullisque rerum humanarum ſtudiis diviſos HEROAS CHRISTIANOS vos oſtendatis. Qui huic ſe Doctori & Duci in ipſo illo juventutis flore permiſerit,

Ille DEum vitam accipiet, divisque videbit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Excipiet illum aliquando HEROUM DIVI-

NORUM, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum chorus, & suo consortio dignum hospitem beatæ mentes adscribent, cum quibus perpetuos ille triumphos agat, & illo Regis Sacerdotisque jure æternum exultet. Valete. PP. Kiloni ipso Spiritus S. Festo Anno clↄ Iↄc XCI.

IN FESTUM S. ANGELORUM.

31.

CElebramus hodie, Cives Academici, solenne, quod Angelorum Principi MICHAELI, totique gloriosæ beatissimarum mentium cohorti sacrum, pia instituit antiquitas. Magna enim sunt & infinita beneficia, quæ quotidie divini hi apparitores in humanum genus conferunt, ut ingrati profecto non in illos tantum, sed & in ipsum Optimum maximum Parentem simus, nisi grata ea memoria recolamus. Hi scilicet familiares sunt administri, hi atrienses cœlestes, hi legati ad hominum res moderandas è cœlo demissi, hi distributis per totum terrarum orbem muniis, regnorum præsides, gentium custodes, hominum observatores, munerum divinorum dispensatores, justitiæ executores sunt constituti. Hi ut sunt mortalis expertes con-

concretionis, ita intelligendi agendique summa efficacia celeritateque præditi divinæ propriores naturæ humani angustias ingenii longe supergrediuntur. Quæ quanquam omnia sint verissima; nam & divinis tradita non solum literis sunt, sed & gentium sanioribus philosophis magnam partem docentur; is tamen profanos quorundam animos stupor invasit, ut Sadducæorum & Samaritanorum hæresin, spiritus tam bonos quam malos negantium ex Orco nobis reducant. Est vero is perniciosissimus error, eoque magis piis mentibus damnandus, quo atheismo fenestram aperit patentiorem. Hujus si causam indagaverimus duplex illa se ingeret; nam aut stupore quodam correptus crassissimaque ignorantiæ nube obvolutus animus ultra rerum corporearum sensum non assurgit, aut superbissimæ alicujus scientiæ persvasione occupatus, quæ demonstrari atq; necessariis è rationibus cogi nequeunt, nec sciri nec existere posse arbitratur. Hi cum sapientem nil opinari aut credere, sed scire perfectissimis & ex sensu ipso petitis argumentis debere existiment, fidenter negant, & inter ingenii humani figmenta impudentissime numerant, quæ vel relatione accipiuntur, aut probabili argumento colliguntur. Hinc nihil tam sanctum est, quin Harpyæ istæ involent sordibusque suis inficiant, nihil tam alte positum, quin Gigantes isti sedibus suis evellere tentent. At non attendunt superciliosi isti scioli, quam parum in-

genio humano relictum sit, adeo ut misere etiam in corporum natura hallucinetur, non sentiunt, quam ipsos suos sensus non capiant. Prodeat mihi aliquis ex istorum hominum schola & rationem explicet, qua oculis & menti ingeruntur corporum imagines, qua soni aurem, gustus lingvam afficiant, demonstrent mihi causam qua Magnes ferrum trahit, qua ad septentrionem convertitur, & ita quidem, ut assensum ab omnibus extorqueant. De Luce & igne mihi respondeant, cujus veram existentiam in dubium vocant isti cœculi, colorum mixturam mihi definiant, & videbimus, quam egregie causam suam sint acturi. Quis vero ferat homines illos in iis quæ ante pedes sunt ignarissimos, de rebus divinis & supernaturalibus, quarum veras dare rationes animus in corpore adhuc latitans nequit, adeo superbe dictatoria autoritate decernentes? Magnum errori huic de spiritibus patrocinium accedit ab Hobbesii illa sententia, qui in Leviathane suo, qui liber, vel ipsa arguente inscriptione, monstri aliquid alere videtur, docere non veretur spiritum in sacris non proprio sensu accipi, Angelos non esse DEI creaturas permanentes, sed vel DEUM ipsum in sacris literis notare, vel esse ideas quasdam in phantasia a DEO excitatas: si qui autem sint spiritus, corporeos eos esse debere: nullam vero in scriptis Judæorum de talibus substantiis in corporeis mentionem fieri, sed

to-

totam illam doctrinam a Græcorum Philosophis ſuam duxiſſe originem. Quæ quam abſurda ſint quis non videt? nec miror ſane hac etiam in parte non ſatis ſanum eſſe librum, qui tot profana & pueriliter ſophiſtica dogmata tuetur. Quod corpora ſpiritibus, Patrum quorundam ſententiam forte ſecutus tribuat, mirum non eſt, cum & ipſum DEUM corporeum nobis faciat, de quo tamen alibi rurſus negat, ut neſcias quid ſibi velit fluctuante ſententia: habet quoque alium popularem ſuum Henricum More Virum alias doctiſſimum ſibi adſtipulantem, qui in libro quem de immortalitate Animæ Anglica lingva conſcripſit, ovali figura mentes ſeparatas definit. Timidiuſcule tamen ea omnia aſſerit, & ſubdubitans, inque illam potius inclinare ſententiam videtur, quæ Angelos ſtatuit eſſe phantaſmata ex motu organorum cerebri orta. Quam ut adfirmet, omnia Scripturæ loca, quæ de Angelorum apparitionibus agunt, ad eum modum exponit. Quaſi vero tenuiſſima ſpiritus ſubſtantia totam ſe ſiſtere menti noſtræ etiam in ſomnis non poſſet. Sunt præterea alii, a quibus non leve etiam profanæ ſententiæ præſidium quæritur, illi ſcilicet qui omni actioni ſupernaturali fidem derogant, ea quæ de Sagis, incantationibus, ſpectris, obſeſſis narrantur, vel ut fabulas & inania figmenta rident, vel ut atræ bilis effectus intuentur. Miſſus in lucem nuper eſt libellus in Anglia ab Autore anonymo, qui mira impu-

dentia omne negotium Dæmoniacum elevat, ſagasque dari pertinaciſſime negat, ad quem tamen doctiſſime ab alio quodam itidem Anonymo reſponſum eſt, rationibusque luculentisſimis ſententia contraria adſtructa. Cum obſeſſos peregrinis nec antea ſibi cognitis loqui lingvis videmus, quis non ſupernaturalem aliquam cauſam ſubeſſe credat? at naturalem illam, ſi Diis placet, nos docet Huartus in ſcrutinio ingeniorum, quod phreneticus latinam lingvam loqui poſſit, licet nunquam tempore ſanitatis cognitam, quia temperamento cerebri naturali ob morbum quaſi loco moto atque immutato fieri poſſit, ut hujusmodi aliquod temperamentum lapſu temporis ei ſuccedat, quale ipſe ille Latinæ Lingvæ primus inventor otinebat. Quæ abſurdæ profanæque ſententiæ ſi tam facile admittantur, facillimus hinc primum in ſpirituum negationem inque atheiſmum ipſum prolapſus eſt. De toto hoc argumento elegantiſſimo libro Anglice ſcripto nuper egit doctiſſimus Mericus Caſaubonus Iſaaci filius, cujus hic titulus: *of Credulity and incredulity in things natural Civil and Divine*, i. e. *de credulitate & incredulitate in rebus Naturalibus Civilibus & Divinis*, digniſſimo utique qui in Lingva Latina quoque legatur, ut pluribus innoteſcat. Quicquid enim e Philoſophia & Hiſtoria tam antiqua quam nova depromere potuit, id omne eam in rem pro multiplici ſua eruditione contulit. Sunt vero illa tanti ponderis, ut niſi quis

men-

mentis usum ejuraverit, assensione sua sit approbaturus. Ablegemus ergo, o Mei, ad insanam Epicuri scholam, e qua magnam partem & olim & nunc quoque prodiere, infamia ista dogmata; quorum non pauca Johannes Franciscus Grandis doctissimus scriptor Gallicus, in præclara illa de Epicurea Philosophia dissertatione ad Petrum Gassendum scripta, in lucem protraxit. Sit sancta hæc nobis & æterna sententia, esse Spiritus ab æterno omnium rerum conditore creatos: de natura verò illorum tantum sciamus, quantum licet, quantum sacræ veritati, sanæq; rationi non repugnat. Ventos eos esse ait miræ Philosophiæ faber Robertus Fluddius, & in ordinem quasi redigens ad cardines mundi janitores hos disponit. Lucis naturæ e Patribus multi, & Religionis Medici autor Thom. Broün affines facit. *Nulla*, inquit, *omnino creatura tantam affinitatem cum Angelorum natura habet, quantum habet illud in sole & elementis lumen. Quod licet à nobis merum accidens audiat, cum tamen & per se subsistit spiritualis substantia est & fortasse Angelus. Finge denique lumen invisibile, id spiritus est.* Sed humani illa definire non est ingenii, quod rectius, quid non sit, quam quid sit spiritus intelliget. Sufficiet nobis munera eorum nosse & officia, quæ hominibus præstare illos è sacris literis discimus. De Stellis Arcturus in Prologo Rudentis apud Plautum commemorat, earum esse officium, ut noctu in cœlo luceant, de die inter mortales

ambulent, & jussu Jovis hominum facta, mores, pietatem & fidem noscant, tum malorum ferant nomina exscripta ad Jovem, qui bonos in aliis tabulis habeat exscriptos. Fingat hæc Poëta: at nos meliora moniti Angelos, quos & Stellas non semel aut iis similes pronunciant divinæ literæ, hoc defungi munere scimus. In eorum conspectu semper vivimus, hos factorum nostrorum observatores vitæque bene vel malè actæ testes habemus. Quare summo vobis opere laborandum est, Cives optimi, qui aliquando sanctissimis beatissimorum illorum spirituum choris immisceri & ἰσάγγελοι esse cupitis, ut mature faciatis, quæ faciunt Angeli, quod denique ascendens ille ex Oriente Angelus, de quo in Apocalypsi est, dignos vos inveniat, quorum fronti viventis DEI characterem imprimat. Vivamus ita, ô Mei, spectemusque tam diu gloriosum hoc Majestatis divinæ theatrum, in quo jam inde à cantu illo Stellarum matutinarum & antelucano filiorum DEI jubilo, tot cœlestis familiæ observavimus triumphos, donec tandem ad novissimi buccinatoris Archangeli vocem excitati, coram æterni Imperatoris solio, inter Cherubinorum & Seraphinorum totiusque cælitum exercitus perpetuas acclamationes, nostra quoque æternum jubila hymnosque ingeminemus. Valete. PP. Kiloni ipsis sanctissimorum Angelorum feriis. Anno CIↃ IↃC LXIX.

32.

QUod veteri fieri instituto consvevit, ut rerum sacrarum cogitationes publica cohortatione apud vos excitentur, Cives optimi: id hodie ab nobis fieri par est: cum bonarum beatarumq; mentium memoriam celebramus. Etenim si Romanus olim præco, cum res divinas facerent, suum HOC AGE insonuit; quidni & nos alta voce exclamemus? HOC AGITE, Juvenes! mittite ineptias, delete ex animo quotidianas rerum formas, cœlestes illas sublimesque animas, lucis filios, astra matutina, custodes pædagogosque vestros pia mente veneraturi. Quidni enim honore eos prosequamur? cur festum illis in terra diem invideamus? qui unius, & quidem peccatoris resipiscentis memoriam festivis in cœlo plausibus celebrare non dedignantur. Præprimis vero, si BONAM ipsi in vobis MENTEM amatis: in vos ipsos descendite, animos excutite: utrum haram illic lutulentam, Porcorum aliquando inquilino Dæmoni; an aram Supremo Numini, sanctissimisque ejus administris, castissimis mentibus, exstructam habeatis. Non amat inquinatas voluptatum sordibus animas, Animus purissimus, DEUS, & qui proximo ab illo loco sunt, Angeli. Ut enim profanis illis nulla cum DEO est communitas: ita & hos procul a se esse jubent, & a commercio suo prohibent, qui a DEO sunt ad hominum res moderandas le-

gati e cœlo demissi. Divina namque negotia apud homines procurant, illis in præsidium custodiamque dati. Qui si infra pecudes se abjecerint, non homines amplius; sed vel immundi Verres, vel virulenti Dracones, vel rabidi Canes, vel truculenti Leones: an de bestiis sollicitos fore creditis φιλανθρώπους illos? qui cum homines quærerent; non homines, non mentes cognatione sibi junctas, sed bestias & sterquilinia invenerunt. Hi vero omnes, ut Ducem habeant ordine suo dignum, ad amplissimam Magni DRACONIS familiam referendi sunt, e cœlo in lutum suum, in æternas tenebras, victrici Principis MICHAELIS ac commilitionum ejus manu abjiciendi. Quo magis omnibus nervis & facultatibus contendendum vobis est, Cives optimi, si qui inter vos nondum consilio & ratione satis firmati: ne per malignorum hominum consilia, a pietate deducti, ista παιδαγωγία indignos vos efficiatis, atque ita certissimam perniciem sponte vestra incurratis. Vetus illa Gentilium Philosophorum Schola felices prædicabat eos, qui quo genio uterentur, exploratum habebant: atque in eo maximam sapientiæ prudentiæque partem collocabat. Hinc εὐδαίμονας vocabant, quibus bonus obtigerat Dæmon, animus scilicet virtute perfectus: quem Genium ipsi bonum, per morum sapientiæque culturam efficientes ut DEUM Ducemque sibi adesse existimabant. Nunc vero nobis e sanctiore philoso-

phi-

phia meliora monitis constat: quo utendum nobis sit genio: Cujus Spiritus simus filii, aut esse debeamus. Si magnum e Gentilibus Philosophum Senecam audimus: *sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumq; nostrorum observator & custos, qui prout a nobis tractatus est, nos ipsos tractat:* imo vero ut sedeat in nobis laborandum est: inducendus in animum nostrum, velut in sedes ac in regna sua DEUS est: ac aderunt nobis fidi Achates, sanctissimi Spiritus, & ipsi malorum bonorumque nostrorum observatores & custodes, qui prout a nobis tractantur, nos ipsos tractabunt. O felices nos Doctore Deo, ac pædagogis Angelis, Discipulos! Hujus monitis, illorum exemplo fieri ἰσάγγελοι discamus. Ejus Disciplinæ primas ipse Salvator noster lineas duxit, cujus hodie Oraculum auditis: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε, καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ecce vobis summam Christianæ sapientiæ, & vere analyticam DEI methodum! Reduci nos in ipsam infantiam nostram debemus, ut summum perfectionis gradum, cum ad rudimenta nostra redimus, assequamur, vere ἰσάγγελοι, cum sumus ἀεὶ παῖδες: ut in convitio Græcis objecto, Christiani triumphemus; qui cum SEMPER-PUERI sumus, plus sumus quam SEMPER-AUGUSTI, & omne honoris culmen transcendimus. Ad pueritiam nobis redeundum est: delendæ ex animo sunt vanæ illæ humanæ sapi-

pientiæ imagines, quam crepamus Viri, ſæpe plusquam pueri. Qui cum omnes diſciplinarum angulos perreptavimus, omnes Philoſophorum Scholas excuſſimus, ac infinitam prope librorum molem expugnavimus, id tandem maximis laboribus noſtris conſequimur, ut magni ſimus OPINATORES. Intuemini illa quæ ante pedes ſunt, Corpora, & uſu quotidiano nobis obvia: & videbitis quam prope nihil ſit, quod de illis ſciamus, ut ut Lyncei, acerrimique ſpeculatores; paulatim per gradus fugiente, ac ſenſibus noſtris ſe ſubducente natura. A compactis ſolidisque, ad molliora, & fluxa deducimur, ab iis quæ reſtant, lucis, aeris, & ſubtilioris, ſi qua eſt, materiæ indolem vix conjectando aſſequimur. In omnibus denique, rudioribus etiam corporibus, ſive originem ſpectemus, ſive miſtionem eorum, ac modorum diverſitates: quam tenue hoc eſt, quod ſenſu noſtro exploratum nos habere credimus: in quo ipſo tamen plus interdum ingenio ſuo indulgent, qui omnia vident, Scioli. E quibus omnibus quid effici aliud cogique poteſt? quam ut PUEROS nos eſſe tandem deprehendamus, ex hominum illo, & qui ipſos Doctores ſuos ludos facit, ludo, in Dei Scholam ablegandos. Nam ſi rerum, quæ ſenſibus percipi poſſunt, naturam ingenio noſtro non exhaurimus; an alio quam DEO Duce ad ἀόρατα illa, Spiritus, Deum ipſum, pervenire nos poſſe putatis? Niſi forte, quæ bru-

ta

ta & insaniens quorundam est sapientia, hujus universi terminos ad humanos exigere sensus velimus, cæterorum, quæ ultra sensus nostros jacent, vel securi vel increduli. Accedite ergo, Juvenes Optimi, tum verè sapientes futuri; si in hac Dei Schola PUERI. Imo ut Boni fiatis, PUERORUM vobis induenda natura est. Qui ad aliquem in Civitate DEI locum adspirant; humili esse animo debent, mansveto, pacifico, ut Pueri sunt in innocentissima illa ætate constituti, non arrogantia vanisque persvasionibus turgidi. Quo morbo cum laborarent de primatu litigantes Discipuli, videte, quam specioso, quam arguto responso spiritus illorum retuderit divinus Magister. Cum enim Gigantes illi sibi viderentur, cœlum ipsum occupaturi, ac primo illic loco futuri, Puerum illis opponit, ut contemptiore in speciem exemplo stultitiam illis exprobraret, & pariter vivam tum Sapientiæ tum Vitæ optimæ imaginem repræsentaret. Amant se mutuo Pueri, sine fuco, sine fraude: facile omnes perferunt, omnibus se dedunt, adversi nemini; nunquam præponunt se aliis, omnes æquo jure censent. Amant Parentes, iis adhærent, ab eorum complexu avelli se non patiuntur. Ecce vobis AMOREM PROXIMI, & DEI vivis depictum coloribus! quibus tanquam geminis alis ipsa cœlorum adyta penetramus. Agite itaque, Juvenes optimi, mature discite: quomodo PUERI fieri ex Salva-
to-

toris præſcriptione poſſitis: atque hoc viri ſapientis effatum vobis quoque dictum credite: MAJOR ERIS, SI MINOR ESSE VOLES. Nam ſic MINIMI, in Regno Cœlorum aliquando eritis MAXIMI, ultra omnes titulos vel Eminentiſſimi, vel Excellentiſſimi Reges & Sacerdotes coram Deo in æternum. Ita vivite, ut in Dei judicis & ſanctorum Geniorum, vitæ noſtræ bene vel male actæ teſtium incorruptorum, conſpectu, ſemper vos vivere credatis. Exprimite illos Puerorum virtutes omni vita ac opera, ut cœleſtes pædagogos, cuſtodes veſtros ſemper reſpiciatis, in ſuam vos aliquando familiam cooptaturos: cum Archangeli voce excitati, coram æterni Imperatoris ſolio comparebitis: ubi cum Cherubinis, Seraphinis, atque adeo univerſo Cœlorum exercitu, inter perpetuas acclamationes, hymnos & jubila, immortale illud ævum exigetis. Valete denique & Vivite, ut æternum Valere Vivereque poſſitis. P. P. KiloniI in ipſo Angelorum feſto Anno cIↃ IↃc LXXVIII.

33.

QVandoquidem eo nunc in tempore vivimus, quo omnium animi ad pacis erecti ſpem optima quæque augurantur: annon intempeſtivi ac inauſpicati feciales videbimur, qui nova vobis bel-

bella, in cœlis, ipso illo pacis regno, unde illa terris acclamabatur, olim depugnata, & nunc quoque piis omnibus renovanda, nunciamus. Celebramus hodie, Cives Optimi, prælii ejus memoriam, quod inter MICHAELEM & DRACONEM, illum cœlestis exercitus Ducem, hunc rebellium geniorum Signiferum, summa contentione commissum, illi victoriam gloriamque æternam, huic exitium æternamque peperit infamiam. Projectus enim est Draco ille magnus, serpens antiqvus, qui vocatur Diabolus, olim lucis & Auroræ filius, nunc Tenebrarum Princeps, & e Lucifero larvarum lemurumque ductor Hesperus. Quis non ad casum tam præcipitem attonitus exclamet, cum Esaia: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* aut cum S. Bernardo: *O Lucifer, jam non Lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, quomodo cecidisti de cœlo?* Cecidit de cœlo, Cives Optimi, quoniam ad illud adspiravit fastigium, quo sine ruina pertingere nemo potest. Deturbavit illum insanabilis illa, quam Romanæ fidicen lyræ, quæsitam meritis vocat, superbia: cujus infinita ambitio, in perduellionem erumpere consvevit. Nam cum in beatarum mentium ordine summum & dignitatis & gratiæ gradum teneret, omnesque tam potentiæ quam virtutum exsuperantia anteiret, magnitudine ista animi elatus, ad prima tendebat, cum in secundis subsistere indignum putaret. Sollicitatis itaque ad defectionem Sociis, cum

hor-

horrendo ſcelere obſequia detrectaret, & principatus cœleſtis jura invaderet, ſigna adverſus illum omnemque, rebellium geniorum cœtum ſuſtulit ætherei exercitus ſummus Imperator MICHAEL ejuſque adminiſtri, præcepsque cum omnibus aſſeclis datus, miram ſubiit μεταμόρφωσιν. Qui ſvaviſſimo Luciferi, Stellæ ſcilicet, e materia cœleſti compoſitæ,& naturæ puriſſimæ, nomine olim honorabatur, nunc Draco audit, e terreſtrium vaporum fuligine temere conflatum, ſubito & maligno fulgore terribile μετέωρον. Qui olim, Soli ſuo vicinus Phoſphorus, pulcherrimæ ab illo lucis hauriebat radios; nunc cœlo cadens debile & malitiæ livore infectum lumen oſtentat. Quo ipſe Salvator noſter reſpexit, cum apud Lucam ait: *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Vos vero, Cives Optimi, reſpicite geminam, quæ hodie vobis exhibetur, tum ſuperbiæ tum humilitatis imaginem, & ſua utrique deſtinata præmia. Illius ſpeciem repræſentat nobis ſolo DEO minor Angelus Princeps, e cœlo in terras, ad inferos, & æterna ſupplicia projectus. Hujus typum ab oculos ponit ipſe Salvator, cum puerum producit,imbellem, manſvetum, ſimplicem, regni cœleſtis heredem, non niſi pueris aut qui illorum mores vita exprimunt, in locum perduellium Angelorum & æternæ gloriæ poſſesſionem evocaturus. Reſpicite ad illas puerorum virtutes, Cives Optimi, easque animo induite, ut illæ vos cœlo adſerant:

fu-

fugite Superbiam, quæ clarissima sidera in fumos ardentes convertit, mentes æthereas infra bestias abjicit, & vel Dracones vel Leones rugientes efficit. Inscribebatur olim ædium vestibulis, CAVE CANEM: Vestris hoc mentibus insculptum esto: CAVETE DRACONEM, qui cum non amplius solida ac immutabili luce inter sidera fulget: vel inter nebulas & vapores terrestres fertur DRACO VOLANS, aut speluncarum inquilinus per terras serpit, perpetua etiam nunc piis animis bella movens, vel per insidias suis partibus adjungens. Videte ne sub Magni Draconis hujus signis militetis βασιλίσκοι, Tyranni, Reguli, vel ipso adspectu homines necaturi nilque nisi venena & flammas spiraturi: Dracones vel incubi & lascivi, Heroum & Semideorum, si Diis placet, olim crediti propagatores, vel auro vestro incubantes, ut ille quondam Hesperius: Serpentes in alienis vitiis Epidaurii, in vestris Talpæ. Procul hinc omnes Boni! nam vel complexu suo necant Dracones. Redite ad bonam mentem, & ad sanctissimas illas mentes: quarum in contubernio & conspectu ita vos gerite: ut illarum satellitio in terris digni, æterna in Civitate Dei cum illis habeatis consortia. Ita pugnate, & sacra in Ecclesia hac militante bella gerite, ut post extremum illum agonem, *quemadmodum pugilem generosum, qui omnes devicit adversarios*, (agnoscite verba S. Chrysostomi) *spectatores cum plausu consurgentes sublimem*

statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, sed humeris sublatum innumerabilibus laudibus ornantes domum reportant: ita beatissimi illi Dei Palatini e palæstra & pulvere, ac ipso corpore egredientes victrices animas, cum plausibus & jubilis, ad beatorum concilium deducant. Valete. PP. ipso S. S. Angelorum festo. Ann. cIↄ Iↄc LXXIX.

34.

CElebramus hodie, Cives Academici, solenne, quod Angelorum Principi MICHAELI, totique gloriosæ beatissimarum mentium cohorti sacrum pia instituit antiquitas. Magna enim sunt & infinita beneficia, quæ quotidie divini hi apparitores in humanum genus conferunt: ut ingrati profecto non in illos tantum, sed & in ipsum Optimum Maximum Parentem simus, nisi grata ea memoria recolamus. Hi scilicet familiares sunt administri, hi atrienses cœlestes, hi legati ad hominum res moderandas è cœlo demissi, hi, distributis per totum terrarum orbem muniis, regnorum præsides, gentium custodes, hominum observatores, munerum divinorum dispensatores, Justitiæ executores sunt constituti. Hi ut sunt mortalis expertes concretionis, ita intelligendi agendique summa efficacia celeritateque præditi, divinæ propiores naturæ, humani angustias in-

ingenii longe ſupergrediuntur. Quæ quanquam omnia ſunt veriſſima; nam & divinis tradita non ſolum literis ſunt, ſed & gentium ſanioribus Philoſophis magnam partem docentur; is tamen profanos quorundam animos ſtupor invaſit,ut Sadducæorum & Samaritanorum hæreſin, ſpiritus tam bonos quam malos negantium ex Orco nobis reducant. Eſt verò is pernicioſiſſimus error, eoque magis piis mentibus damnandus, quo atheiſmo feneſtram aperit patentiorem. Hujus ſi cauſam indagaverimus, duplex illa ſe ingeret: nam aut ſtupore quodam correptus craſſiſſimaque ignorantiæ nube obvolutus animus ultra rerum corporearum ſenſum non aſſurgit, aut ſuperbiſſimæ alicujus ſcientiæ perſvaſione occupatus, quæ demonſtrari atque neceſſariis è rationibus cogi nequeunt, nec ſciri nec exiſtere poſſe arbitratur. Hi cum ſapientem nil opinari aut credere, ſed ſcire perfectiſſimis & ex ſenſu ipſo petitis argumentis debere exiſtiment, fidenter negant, & inter ingenii humani figmenta impudentiſſime numerant, quæ vel relatione accipiuntur, aut probabili argumento colliguntur. Nihil tam ſanctum eſt, quin Harpyiæ iſtæ involent ſordibusque ſuis inficiant, nihil tam alte poſitum, quin Gigantes iſti ſedibus ſuis evellere tentent. At non attendunt ſuperciliosi iſti ſcioli, quam parum ingenio humano relictum ſit, adeo ut miſere etiam in corporum natura hallucinentur: non

ſentiunt, quam ipſos ſuos ſenſus non capiant. Prodeat aliquis ex iſtorum hominum ſchola & rationem explicet, qua oculis & menti ingeruntur corporum imagines, qua ſoni aurem, guſtus lingvam afficiunt, demonſtrent cauſam, qua Magnes ferrum trahit, qua ad ſeptentriones convertitur, & ita quidem demonſtrent, ut aſſenſum ab omnibus extorqueant. De Luce & igne reſpondeant, cujus veram exiſtentiam in dubium vocant iſti cœculi, colorum mixturam definiant, & videbimus, quam egregie cauſam ſuam ſint acturi. Quis vero ferat homines illos in iis quæ ante pedes ſunt ignariſſimos, de rebus divinis & cœleſtibus, quarum veras dare rationes animus in corpore adhuc latitans nequit, adeo ſuperbe dictatoria autoritate decernentes? Magnum errori huic de ſpiritibus patrocinium accedit ab Hobbeſii illa ſententia, qui in Leviathane ſuo, libro, qui vel ipſa arguente inſcriptione, monſtri aliquid alere videtur, docere non veretur: ſpiritum in ſacris non proprio ſenſu accipi, Angelos non eſſe DEI creaturas permanentes, ſed vel DEUM ipſum in ſacris literis notare, vel eſſe ideas quasdam in phantaſia à DEO excitatas: ſi qui autem ſint ſpiritus, corporeos eos eſſe debere: nullam vero in ſcriptis Judæorum] de talibus ſubſtantiis in corporeis mentionem fieri, ſed totam illam doctrinam à Græcorum Philoſophis ſuam duxiſſe originem. Quæ quam abſurda ſint, quis non videt

det? nec mirum ſane hac etiam parte non ſatis ſanum eſſe librum, qui tot profana & pueriliter ſophiſtica dogmata tuetur. Hanc ſententiam ſuam ut adfirmet, omnia Scripturæ loca, quæ de Angelorum apparitionibus agunt, ad ſuum ſenſum exponit. Quaſi vero tenuiſſima ſpiritus ſubſtantia totam ſe ſiſtere menti noſtræ etiam in ſomnis non poſſet. Sunt præterea alii, à quibus non leve etiam profanæ ſententiæ præſidium quæritur, illi ſcilicet qui omni actioni ſupernaturali fidem derogant, ea quæ de Sagis, incantationibus, ſpectris, obſeſſis narrantur, vel ut fabulas & inania figmenta rident, vel ut atræ bilis effectus intuentur. Cum obſeſſos peregrinis nec antea ſibi cognitis loqui lingvis videmus, quis non ſupernaturalem aliquam cauſam ſubeſſe credat? at naturalem illam, ſi Diis placet, nos docet Huartus in ſcrutinio ingeniorum, quod phreneticus latinam lingvam loqui poſſit, licet nunquam tempore ſanitatis cognitam, quia temperamento cerebri naturali ob morbum quaſi loco moto atq; imutato fieri poſſit, ut hujusmodi aliquod temperamentum lapſu temporis ei ſuccedat, quale ipſe ille Latinæ Lingvæ primus inventor obtinebat. Quæ abſurdæ profanæque ſententiæ ſi tam facile admittantur, faciliſſimus hinc primum in ſpirituum negationem, deinde in atheiſmum ipſum prolapſus eſt. Ablegemus, o Cives, ad inſanam Epicuri ſcholam, e qua magnam partem & olim & nunc quoque

prodiere, infamia ista dogmata. Sit sancta haec nobis & aeterna sententia, esse Spiritus ab aeterno omnium rerum conditore creatos: de natura vero illorum tantum sciamus, quantum licet, quantum sacrae veritati, sanaeque rationi non repugnat. Ventos eos esse ait mirae Philosophiae faber Robertus Fluddius, & in ordinem quasi redigens ad cardines mundi janitores hos disponit. Lucis naturae e Patribus multi, & Religionis Medici autor, Thom. Broun affines facit. Sed humani illa definire non est ingenii, quod rectius, quid non sit, quam quid sit spiritus, intelliget. Sufficit nobis munera eorum nosse & officia, quae hominibus praestare illos e sacris literis discimus. De Stellis Arcturus in Prologo Rudentis apud Plautum commemorat, earum esse officium, ut noctu in coelo luceant, de die inter mortales ambulent, & jussu Jovis hominum facta, mores, pietatem & fidem noscant, tum malorum ferant nomina exscripta ad Jovem, qui bonos in aliis tabulis habeat exscriptos. Fingat haec Poëta: at nos meliora moniti Angelos, quos & Stellas non semel, aut iis similes pronunciant divinae literae, hoc defungi munere scimus. In eorum conspectu semper vivimus, hos factorum nostrorum observatores vitaeque bene vel male actae testes habemus. Quare summo vobis opere laborandum est, Cives optimi, qui aliquando sanctissimis beatissimorum illorum Spirituum choris immisceri & ἰσάγγελοι esse cupi-

pitis, ut mature faciatis, quæ faciunt Angeli, quo deniq; aſcendens ille ex Oriente Angelus, de quo in Apocalypſi eſt, dignos vos inveniat, quorum fronti viventis DEI characterem imprimat. Vivamus ita, ſpectemusque tam diu glorioſum hoc Majeſtatis divinæ theatrum, in quo jam inde a cantu illo Stellarum matutinarum, & antelucano filiorum DEI jubilo, tot cœleſtis familiæ obſervavimus triumphos, donec tandem ad noviſſimi buccinatoris Archangeli vocem excitati, coram æterni Imperatoris ſolio, inter Cherubinorum & Seraphinorum totiusque cælitum exercitus perpetuas acclamationes, noſtra quoque æternum jubila hymnosque ingeminemus. Valete. PP. KiloniI ipſis ſanctiſſimorum Angelorum feriis. Anno cIↄ Iↄc LXXI.

35.

QVando hodie Angelorum Principem Michaëlem Chriſtianus orbis celebrat, moris Academici memores, animos veſtros ad beatarum mentium ſanctam contemplationem excitamus: ut quo loco eos, qui divino nobis beneficio cuſtodes conſtituti, habendi ſint, accuratius vobiscum penſitetis. Quæ pietatis veſtræ hic ſint officia, divini vos præcones, quos & ipſos interpretes & Angelos miſit Deus, vos monebunt.

Nos hac occasione ad παιδείαν τῶν ἀοράτων vos revocabimus: quam eo diligentius animis vestris inculcandam existimamus; quo frequentiores nunc prodeunt veteris Sadduceismi propagatores, & hoc pseudothyro ad infamem atheismum, & ipsam perniciem perducunt. Scilicet nova sensatorum Philosophorum secta oritur, quos brutos potius dixerimus, cum ultra bruta ipsi sapere nolint,& hominis naturam ad illam brutorum componant & exigant potius, quam ad illam spirituum: inter quos quasi medium hominem statuebant veteres Hebræi. In sensibus suis hi obstupescunt, obstinate in illos defixi: cum videant tamen quotidie, quam illorum simulacris fallantur. Nimirum oculi,qui familiam hic ducunt,cæcitatem suam vident, cum naturam luminis scrutantur. Cujus in rebus quæ materia constant, summa subtilitas est, ut uno vitri puncto mille corporum radii colligi, eorumque species in adversum parietem projici possint. Quæ cum fieri videmus,hac in imagine rerum spiritualium ideam nobis ob oculos ponere poteramus. Ipsos rerum contactus occultiores, quis tam oculatus est, ut exploret? Quis hunc in diem magneticorum pulsuum causas ita investigavit, ut quiescere in illis possimus? De mirabili sonorum conciliatione & symmetria tantum animo comprehendimus, quantum auris vel oculus noster indagat: divinam enim eorum naturam, per numeros suos utcunque delineatam, non

ni-

nisi mentis suspicione attingimus. Descendamus a maximis ad minima, a summis ad infima; nihil illorum recte capimus: nam maxima & remota vastitate sua intellectus angustiam obruunt; minima exilitate sua fallunt, & quasi fuga se sensibus subducunt. Ipsa vermiculorum corpuscula cum intuemur, & puncta quasi animata, admirabili proportione vel ipsum elephantum superantia; quis non cum Augustino (in Psal. 148.) exclamet? *Quis disposuit ista? quis fecit ista? expavescis in minimis? lauda Magnum. Qui fecit in cœlo Angelum, ille fecit in terra vermiculum.* Cœlestia oculis ut ut armatis deprehendi non possunt. Quæ in terræ medullis latitant, perpetuis carceribus sunt inclusa. Quorum omnium si quæ notitia ad homines pervenit, vel conjecturis, vel relationibus τῶν θεοδιδάκτων est propagata. In rebus quæ ante pedes sunt & in orbis hujus cortice, quam ægre quicquam deprehendimus, & velut in magna sylva non nisi muscas venamur! Et hi tamen homunciones, qui vel nihil, vel parum sapiunt, supercilio suo velut Atlante cœlum fulcire, & metiri omnia non verentur. Hi dictatores de rerum natura pronunciant, ad quos scilicet respicere nos debemus plebeji, & parum emunctæ naris homines. Quando itaque vident, quam parum hic proficiant, imbecillitatis suæ & ignorantiæ causam in subtilitatis materiam convertunt: ut, quod illi funditus nesciunt, exhaurire suo ingenio, & cum pulvisculo everrere

videantur. Illi scilicet ad fundum penetrant lyncei, aliis cum vulpe Æsopica superficiem lambentibus. Tota illis corporum natura velut Penelopes tela retexitur: numerant particulas striatas, ramosas, globosas, quibus hæc omnia concreverunt, & admirandi isti effectus, velut quibusdam machinulis & rotis evolvuntur. Hinc ubi magno apparatu imaginarios istos vectes, trochleas, cuneos, spicula explicuerunt, nihil in hac universitate reliqvum esse opinantur, quod non his minutiis & Philosophia mechanica expediri possit: ipsi vero velut θεοὶ ἀπὸ μηχανῆς his commentis misera ignorantia laborantibus Philosophis suppetias scilicet ferunt, etiam cœlum, ut opinamur, olim sibi fabricaturi, ubi rotis suis perpetui Ixiones circumagantur. Quæ omnia etsi non contemnimus: nam indulgendum hic ingeniis, ut quibus possunt adminiculis, & quasi serperastris præeuntem naturam sequantur: ferendi tamen non sunt, qui etiam spiritualium naturam his machinulis se expedire posse arbitrantur, & eliminata divina providentia, omnia mechanica necessitate in natura fieri contendunt. Quibus ut obviam iret vir doctus Anglus, Henricus Morus, singulari libro, interveniens omnibus naturæ experimentis principium hylarchicum, omni corporea vi majus, demonstrare laboravit. Habeat has Epicureorum schola delitias, & secundum canonas suos μηχανικοὺς particularum sursum, deorsum,

ad

ad latera motarum, earumque *ἀλληλοτυπίαν* hoc universum, componat, ut nihil ultra sensus reliqvum videatur: misere ipsi tamen se implicant, neque ex tricis his expediunt, nisi naturam meliorem & motricem in subsidium vocaverint. Quod videmus accidisse Lucretio, sagacissimo hujus doctrinæ interpreti, cui ipsa veritatis vis, cum videret modum particularum sine natura motrice concipi animo non posse, hæc verba extorsit:

> Quarta *quoq; his igitur quædam* natura *necesse est*
> *Attribuatur, ea est omnino* nominis expers;
> Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius exstat:
> *Inde Calor Motus & Venti cæca potestas*
> *Accipit;* inde Aër, *inde* omnia mobilitantur.

Hanc ille instituti sui immemor Jovem Patrem Æthera vocat, unde omnes operationes naturæ occultiores eliciantur. Qui hanc doctrinam e recentioribus recoxerunt gigantum fraterculi *Hobbesius* & *Spinosa*, perpetuo naturam spiritalem exilio se multasse existimant, si materiam, quæ ipsorum Deus est, etiam cogitationis capacem esse confecerint. Nihil enim illi cogitationem esse volunt, quam materiæ subtilioris ejusque particularum & motum, & *ἀλληλοτυπίαν*. At vero non vident illi, quibus se ipsos vinculis constringant, & quam ex arenulis suis funiculos contexant. Damus certe cogi-

gitationes nostras motibus quibusdam vestiri: at ipsorum vim omnem in motu solo consistere pernegamus. Si moventur in nobis particulæ illæ cogitantes, vel ab alio, vel mutuo impulsu movebuntur: nam per se moveri inepta est materia. Si e mutuo impulsu cogitatio oritur, unde affectio illa conjunctis surgit particulis, quæ seorsim & extra illam σχέσιν spectatis non competit? Si aliunde incutitur motus, a principio omnis materiæ experte procedat, necesse est. Quod spiritus est, corpori nostro quidem junctus, sed essentia sua ab usitatis notisque naturis separatus. Ille est qui Phantasiæ imperat, ut vim suam in objecta impendat, ille ratiocinando omnia colligit, sagacitate sua prævidet præcipitque futura: ille digerit, distingvit omnia, suos cuique limites præscribit: neque tamen se ipsum satis capit, ut oculus, qui omnia; se ipsum vero non intuetur. Quæ qui a simplici motu provenit crediderint, ut sane *Spinosa* corporis humani fabricam non divina sed mechanica arte fabricatam esse ait, a Lucretio antesignano suo diversum sentiunt: qui licet corpoream alibi animo naturam multis argumentis adstruxerit, sui tamen oblitus, in hæc verba erumpit:

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi.
Omnibus ille idem pater est.

Quæ cum non tantum Lucretius αὐτοκατάκριτος, sed & alii gentiles Philosophi cognoverint: quæ nos intemperiæ agitant, ut animos

no-

nostros ipsi capite damnemus? Sed fatendum est, omnino illam humanarum opinionum varietatem, quæ non χθὲς καὶ πρώην a musteis illis Philosophastris excogitata, sed jam ab antiquissimis autoribus proposita, non aliunde, quam ab animi humani debilitate, & rerum divinarum excellentia proficisci. Solent vero homines ipsi, huic materiæ luto immersi, a rebus divinis, quas sua natura vix e longinquo prospectant, facile abduci: dum quidam inter illos libenter miseri esse volunt, & mentis suæ oculos obstruunt, vel ut μύωπες non nisi in propinquo posita contemplantur. Hinc nostro seculo, quod ut Vir doctus ait, in φθειρίασιν atheismi incidit, nonnulli veteres illas nænias resuscitarunt, & ut superstitionem ignorantiæ matrem everterent, religionis causam prodiderunt. Quare ut se ipsos ad brutorum societatem demiserant, litem etiam geniis ac dæmonibus moverunt, & velut nomina nuda, inanes umbras, ac ingenii humani commenta, cumque illis Deum ipsum e rerum natura ejecerunt. Si Plutarcho credimus, primus Heraclitus, postque eum Theophrastus dixerunt: pulcherrima quæque ignorari hominibus, quod superbia ducti nihil credere animum suum inducant, quorum manifestam rationem mens nostra non perceperit. Quibus sane partem mundi majorem pulchrioremque perire necesse est. Ac est profecto illa arrogantia ignorantiæ velamentum: dum sæpe homines, quæ

ipsi

ipsi non intelligunt, ab aliis pro dubiis aut incertis insana impudentia haberi postulant, & meliora monitos stultæ simplicitatis titulo traducunt. Ita μεγαλοψυχίαν simulant, qui vere sunt μικρόψυχοι exiguum rerum temporumque ambitum intra animi sui angustiam complexi. Qui hac κενοδοξία laborant, cum caussam nesciunt, ne nescire tamen videantur, nolunt id, quod vident, fateri, aut quidvis potius fingunt & vel in divinæ veritatis præjudicium caussantur. Non desunt qui vel ideo spernendam hanc de spiritibus doctrinam, & nihili habendam existimant, quod humano ingenio comprehendi non possit. Nam ut Cardanus in lib. de varietate rerum non inepte ait: *Si Dæmones nosceremus, ex eorum ordine essemus. Si enim equi percipere possent cognitionem in nobis qualis est, non jam amplius equi essent, sed homines. Stultum autem est, tantum discriminis inter mortalia videre: & inter mortalia & immortalia, non majus cognoscendi discrimen existimare. Ob id conditionem suam nos docere nequeunt plus, quam nos equos aut canes nostram.* Verum qui ita sentiunt, præclarissima simul naturæ opera spernere debent, ut contemplatione sua indigna, quia ingenii vires in iis indagandis hebetantur, aut frustra occupantur. Quod quam stultum sit nemo non intelligit. Ex adverso alii sunt, qui naturam spiritus humanam non excedere intelligentiam opinantur. Quare ne nihil dixisse videantur, extensionem illis de suo quasi largiun-

untur, utut excellentiæ ejus & divinitati nihil detractum velint. Sunt, qui integris libris, & anxie quæsitis rationibus hanc doctrinam propugnant. Quos virorum doctorum judiciis nunc quidem permittimus, & ad Petrum Petitum, qui singulari de extensione animæ libro, hanc sententiam impugnavit, ablegamus. Malumus ignorantiam hic profiteri, quam ambitiosæ affectatione scientiæ ultra humanitatis limites sapere, quæ ad illam perfectionem, corporis sui vinculis constricta, non adspirat. Nisi forte Averrois amabilis insania etiam nobis placuerit, statuentis: Intellectum humanum multarum scientiarum congestione ita præparari posse, ut per se in consortium intelligentiarum veniat, iisque proxime uniatur. Cujus ille tempus definivit in lib. de Beatitudine, idque sibi in senectute post longas & continuas speculationes contigisse jactat. Quod & Plotino in vitæ ejus descript. & sibi accidisse anno ætat. octavo & sexagesimoPorphyrius,testatur. Hæc ut svavibus Platonicorum somniis accensemus: ita ex illorum & Pythagoræorum scholis non exiguum huic doctrinæ auctoritatis pondus arcessimus. Nam cum argumentationum nostrarum robur, hoc præcipue in negotio, enervari atque elidi interdum possit, non parum illud sustinetur antiquissimorum Philosophorum testimoniis. Pervulgatum apud omnes est, Pythagoram & Platonem ita de Dæmonibus philosophari, ut nullam hujus uni-

ver-

verſi partem iis vacuam eſſe exiſtiment, imo certas in claſſes & tribus diſtingvant. Quod cum ratiocinando illi aſſequi non potuerint, vero eſt ſimillimum longa & vetuſta narratione τῶν θεοδιδάκτων ad illos perveniſſe. Neque diſſimulat ipſe Plato, cujus hæc in Timæo verba: περὶ δὲ τῶν δαιμόνων εἰπεῖν, καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν, μεῖζον ἢ καθ᾽ ἡμᾶς. Πιστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν. *De Dæmonibus autem dicere & eorum noſſe originem, majus eſt, quam ut a nobis præſtari poſſit. Fides vero iis eſt habenda, quæ a veteribus dicta ſunt.* Apulejus quoque libro de Dæmonio Socratis teſtatur, ſcripſiſſe Ariſtotelem: mirari Pythagoricos, ſi qui homo nunquam Dæmonem cognoverit. Jamblichus ſuo de myſteriis Ægyptiorum libro hanc de Dæmonibus bonis maliſque doctrinam ita proponit, ut homo minime Chriſtianus multa e Theologiæ noſtræ ſacrariis depromſiſſe videatur. Hæc tam luculenta documenta, ut coacervemus, opus non eſt: ſunt enim qui dudum illa collegerunt, inter quos principem locum merito ſibi vendicat Steuchus. Horum teſtimoniorum evidentiam cum deprehenderent profani & parum pii homines, calumnias etiam commenti ſunt, quibus illorum vim ſubverterent, & in ſophiſmatis invidiam adducerent. Pomponatius, homo quidem acutus, ſed ingenio ſuo ad infringendam rerum divinarum autoritatem abuſus, iis, quos de incantationibus ſcripſit, libris in Platonem falſum hoc crimen, quaſi ve-

ne-

nenatum aliquod telum jecit: confinxiſſe illum ſuam de Diis & Dæmonibus doctrinam, cum videret Socrati exitio fuiſſe Deorum contemtum: & tamen de Socrate in Phædone longe alia Plato teſtatur, ut qui morti Proximus ſocietate Deorum & animarum ſe ſolatus fuerit. Ne quid de Dæmonio, perpetuo obſervatore & cuſtode ejus dicamus: cui ſimillimam noſtro tempore hiſtoriam Bodinus in Dæmonomania (lib.1.c.2.) recenſet. Sed mittamus Pomponatium, hominem in iſto libro mire laborioſum, ut ſpirituum commercia in obſeſſionibus & incantationibus intervertat, & ad aſtrorum intelligentias & occultas naturæ vires referat, quod in inhabitatorem & τὸν περιπατοῦντα Dæmonem rejici debebat. Quaſi ſcilicet è ſedibus ſuis ad turbandos homines aſtrorum inquilini ſollicitandi ſint, nec potius è vicinia ſubire corpora poſſint; aut corporea quadam vi peregrina nec ante cognita lingva, qua utuntur obſeſſi, cuiquam aſpirari poſſit. Sane qui ita philoſophantur, intelligendo faciunt, ut nihil intelligant: Quo enim indice nobis innotuit, alligatos eſſe ſphæris cœleſtibus genios? elabi hinc ad res noſtras emiſſarios, mutuos quaſi orbium transfugas. Vetus hæc & jam dudum cum antiquitate ſepulta doctrina, ſed nuper à nonnemine reſuſcitata, qui ſtellas à geniis bonis, cometas à malis agi, aut ipſos eſſe malos genios, adductis etiam in ſuæ ſententiæ firmamentum ſacrarum literarum teſtimoniis, probare conatur.

tur. Qua de re S. Augustini de Gen. ad liter lib. 1. c. 19. aliqua ex parte valere potest judicium. *Plerumque*, inquit ille, *accidit, ut aliquid de cœlo, motu & magnitudine siderum, &c. etiam non Christianus noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat: turpe autem est nimis & perniciosum ac maxime cavendum, ut Christianum de hisce rebus, quasi secundum Christianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur toto cœlo errare conspiciens risum tenere vix possit.* Veniamus ad quotidiana & familiaria documenta, quæ quanquam ἄτεχνα videri poterant; in his tamen rebus, quæ ratione nostrâ satis indagari nequeunt, plus ponderis habent, quam quæ subtilissimo sunt ingenio excogitata. Quæ sacris literis consignata sunt de spirituum apparitionibus, de bonorum malorumque geniorum natura & ministeriis, ea ante oculos vobis sunt, ac à nemine, cui quidem atheismi labe non infecta mens est, in dubium vocari possunt, aut debent. Sed seponamus ista, ne domesticis documentis adversus τὸς ἔξω militare videamur: apud quos pietatis & sacrarum literarum veneratio non tantum in desvetudinem abiit, sed fere in opprobrium. An non habemus omni seculorum memoria, omnium annalium monumentis, à fide dignis hominibus congestas historias? quibus vel bonorum vel malorum geniorum apparitiones, magorum cum Dæmonibus commercia confirmantur, ut qui

illa negare ausit, non præfrictam, sed ferream frontem habere videatur. An igitur tot populi stulti dementesque habendi sunt, qui in artes magicas earumque magistros supplicia statuerunt? Tot sunt Græcorum, Latinorum, Orientalium, Septentrionalium gentium narrationes, quibus magorum per Dæmones operationes in incantationibus, deportationibus, veneficiis, præsagiis, præstigiis memorantur, quas mendacii reas peragere qui velit, adversus humanam fidem pugnam suscepisse videbitur. Quid fiet tribunalibus? quibus præsunt viri gravissimi, rerum divinarum humanarumque peritissimi, an illi fucum sibi fieri patientur, aut aliis imponent? Nimis ambitiose de se, qui ita senserit, judicat: immodeste atque impie de illis, quos in indignam hanc suspicionem trahit. Quare operæ pretium profecto fecerit, si quis earum rerum historias quam accuratissime contexat, omni illo fidei faciendæ apparatu in subsidium adhibito. Sunt enim & providentiæ divinæ, ubi illa vulgo innotescunt, vestigia, & profanis hominibus ad morum & doctrinæ emendationem manifestissima exempla. Quo consilio nuper talium historiarum syllogen non contemnendam Anglica lingva edidit *Josephus Glanvvil* adversus Sadducæismi veteris novique propugnatores, confutatis simul ratiunculis, quas tum Reginaldus Scotus, tum alii quidam ejus populares pro eo stabiliendo ad-

duxerunt. Et vero augeri infinitis modis illarum numerus possit, si quotidiana illa, à viris tamen fide dignis, de spectris, sagis narrata congerantur: ad quæ profani isti scioli vix supercilium demittunt, quæque cum anilibus fabulis explodunt. Quod cum faceret *Spinosa*, omnem veterum & recentiorum fidem insana impudentia exsibilans; movere tamen illum non potuit nigri & scabiosi Brasiliani illi oblata species, de qua ipse narrat, malus forte Bruti illius Philosophi genius, ut nigram sibi esse animam crederet, & infami atheismi scabie infectam. Neque mirum est humanam fidem floccipendi ab illo, cui ne divina quidem sacrosancta est. An qui Salvatoris nostri resurrectionem tot testibus probatam, tot documentis stabilitam negare audet, authoritatem hominum etiam sanctissimorum non infringat? Vos vero, ô Cives Academici, fugite hos qui periculosis ac in religionis fraudem excogitatis argutiis usitatam de Spiritibus philosophiã eversum eunt, & quoniam humana sapientia parum hic proficimus, ad divina oracula confugite. Deo doctore accuratius naturam beatarum mentium explorabitis, & malorum opera Dæmonum damnabitis. Hoc ductore illorum ministeria vobis sociabitis; horum insidias & technas effugietis. Parum ad salutem nostram facit in illorum naturis indagandis tricari & operose nihil agere, ut agunt omnes, qui suo genio ducti sibi sapere αὐτοδίδακτοι, quã divi-

vino niti arbitrio θεοδίδακτοι malunt. Nolite rimari altius cæleſtis illius aulæ & Civitatis arcana: ne vel Scholaſticis contentionibus impliciti parum religioſe de ſanctis illis apparitoribus ſentiatis, vel ad Platonicorum familiaritates dilapſi, divinæ ſocietatis affectatione, in periculoſæ ſuperſtitionis diſcrimen vos ipſos temeritate veſtra conjiciatis. Revolvite animo præclarum illud S. Auguſtini in libro de Vita beata monitum: *Habent in epulis ſuis & animi quandam luxuriem, ſi ultra modum incas & voraciter irruant: ita enim male quodammodo digerunt, unde valetudini mentium non minus, quam ab ipſa fame metuendum eſt.* Vetat & Apoſtolus in epiſtola ad Romanos *plus ſapere, quam oportet;* jubet vero *ſapere ad ſobrietatem.* Quæ verba cum explicat S. Bernhardus ſermone 36. in Cant. *ſapere ad ſobrietatem*, ait, *eſt vigilantisſime obſervare, quid ſcire magis priusve oporteat: tempus enim breve eſt: ut ſcias, quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat: quo ordine? ut id prius, quod maturius ad ſalutem: quo ſtudio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine? ut non ad inanem gloriam aut curioſitatem, aut aliquid ſimile ſed tantum ad ædificationem tui & proximi.* Quod ſi in id nervos ſpiritumque omnem intenderitis, ut ad hanc normam vitam exigatis, id pietate veſtra conſequemini, ut vel corporibus veſtris immerſi, etiam cum angelorum naturam non capitis, ipſi tamen fiatis ἰσάγγελοι, animumque ab omni

materiæ contagione abductum cœlestibus gaudiis imbuatis. Habebitis præterea ipsos ad divina opera Angelos pædagogos, quos hominibus custodes datos esse ajunt Hebræi & ex iis Plato; ut animalibus homines Pastores sunt præstituti. Sin vitiorum sordibus inquinatos, sanctissimæ illæ mentes sibi suas habere jusserint, consortione illarum exclusi, malignos Dæmones consiliorum autores, scelerum adjutores, sollicitudinum socios & omni in cogitatione conjunctos habebitis. His quasi perpetuis stipati consessoribus, collusoribus, compotoribus, imo sicariis & latronibus, in crimina, furias, imo ipsam perniciem detrudemini, bonis omnibus invisi, Deo rebelles, & salutis vestræ proditores, eadem olim præmia, cum principe eorum Lucifero habituri. Mature itaque, neque sero cum Phrygibus sapite, ne in vos dici possit, illud Ascræi Vatis:

— Δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Εἰς τέλος ἐξελθοῦσα, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Valete. PP. KilonI. ipsis SS. Angelorum feriis Anno cIↄ Iↄc LXXXII.

36.

SI quis vobis, Cives Academici, pietatis lætitiæque sensus est, arrigite aures ad insitatum, luctuosissimo hoc tempore celevsma, cum salutem & triumphos vobis

bis nunciamus: eo die, quo reportatæ ab inferorum Duce Dracone victoriæ memoria celebratur, & beatarum mentium Principi MICHAELI triumphales hymnos Ecclesia occentat. Neque enim ante tot secula triumphos tantum de Dracone egit Magnus ille MICHAEL, sed quoties novos Ecclesiæ perduelles infamis ille Draco resuscitavit; toties eadem pugna recruduit, & illo ipso MICHAELE Archistratego felicissime in ipso ortu suo exstincta est. Nemini vestrum incognitum, quam felici prælio ex iisdem antiqui Draconis castris, piorum hominum cervicibus superfusi barbarorum exercitus, Dei cœlitumque ope repressi, profligati & ad internecionem deleti. Sustulimus omnes manus animosque ad mirabilis victoriæ nuncium, & nunc quoque omnium jubila, triumphi, vota, auribus nostris obversari videntur. Quæ eo frequentiora per provincias, urbes, templa, atque adeo orbem universum, qua Christianus est, nunc audiuntur, quo graviora certioraque cervicibus nostris pericula imminebant. Conjuratum scilicet erat in Dei populum. Collectæ erant adversus exiguam nostrorum manum immanes copiæ & genere & numero firmissimæ, probe etiam auxiliis ornatæ; tota Asia atque ipsa in Hungariam, Europa, qua barbara est, effusa videbatur. Per omnes ejus regni partes, tanquam aliqua calamitosa tempestas pestisque hostis ille truculentus pervaserat: excisionem,

inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem, agris, tectis, urbibus intulerant. Omnia illic ad perniciem profligata atque perdita, atque ipsius jam Germaniæ in Vienna circumsessa jugulum petebatur. Quanta hic rabie, quibus furiis illa procella sæviit in obsessos, quos jam spe sua illi latrones devoraverant! Nihil excogitarat in suam perniciem male sedula hominum industria, nihil adeo ferale ex Orci penetralibus, illi novorum fulminum fabri, humani Vejoves, produxerant, quod non in miserorum tecta & capita detonuit. Desuper ipsum pene cœlum globorum sulphureorum displosionibus rumpebatur: subtus e terræ cavernis ipsæ inferorum flammæ in subsidium vocatæ: latera urbis, aggeres, muros, quassabant, lacerabant, sternebant, infiniti tormentorum ictus: ut non aqua & igni, ignem enim in perniciem illorum armaverant, sed cœlo ipso, quod impune tueri non poterant, & terra, cui securo satis talo insistere non audebant, imo ipso aëre & spiritu interdicere viderentur. Quis non ex his ungvibus Draconem ipsum recognoscet, quibus illi Draconis socii in Christianorum cædes se induerunt? e cujus faucibus illæ ipsæ flammæ, quibus pugnatum fuit, proruperunt. Succubuisset tandem vesano furori heroicus ille sub Duce incomparabili pugnantium animus, nisi ille divino præsidio munitus fuisset, Deoque subjiciente stimulos, novi in subsidium exercitus evocati.

Fa-

Fatiſcebant jam præſidia & faucibus urbis ſe immerſerat hoſtis, cum peropportuna illi ſupervenerunt fœderatorum arma. Qui etſi numero copiarum duplo pene majori vincebantur, & hoſti omnia præter animum & Deum favere videbantur; pares tamen generoſo conſilio lacertos attulere. Excitata hic ſub maximo & invicto Rege militantium Polonorum virtus. Inſurgebant Saxonum magni ſui Ducis veſtigia ſequentium animi. Hinc Francorum Bavarorumque robur objiciebatur. Pugnatum eſt minore manu adverſus magnas hoſtium legiones Marte primum dubio. Verum ſive læva mens hoſti fuit, ſive Deus quorum vult perdere fortunam, conſilia corrumpit; ceſſit fortitudini noſtræ illius rabies, verſi in fugam exercitus, ſuperati, profligati, ut dubium certe videri poſſit, utrum illis timor mortis, an noſtris amor laudis & gloriæ curſus velociores alas addiderit. Nox denique illa ipſa, cujus imaginem illi circumferunt, Luna teſte, victoriam conſtituit, exſpectatione omnium deſiderabilem, magnitudine admirabilem, cui parem neque ſecula noſtra viderunt, neque futura temere videbunt, cujus memoria annalibus legetur, gloria ad poſteros, ut æternum virtutis noſtræ monumentum propagabitur. Quam utinam proſequi glorioſo conatu non deſiſtant illuſtres animæ, in hos potius quam in ſe, ut Cadmæi fratres tela converſuræ: ita fiet fortaſſis, ſi divina manus his conſiliis affulſe-

ferit, ut triumphis ſuis palmas, ad ipſas Jordanis ripas eo loco, quo illæ quam lætisſime efflorescunt, aliquando decerpant. Patuerunt hæc omnium oculis, in conſpectu orbis geſta, omnium vocibus & lingvis decantata; Vos vero, o Cives, qui ultra ulla quæ ante pedes ſunt ſapere jamdudum didiciſtis, erigite animos & potentiorem manum in his lacertis, firmius præſidium in hoc apparatu, plusquam fulmineam imo divinam in armis vim agnoſcite. Non soli pugnarunt, (dabunt nobis hanc veniam fortiſſima pectora!) qui hic pugnarunt, etſi virtute incredibili pugnarunt. Nam magni illis multique e MICHAELIS noſtri caſtris ſocii, etiam non intellecti adfuerunt. Hi fœderati in causa ad Deum ſpectante, illis animos & robur addiderunt: Hi grandines globorum a capitibus illorum averterunt: Hi ad celeritatem alas, ad impetum ſtimulos, ad efficacitatem pondus adjunxerunt. Occulta ſunt, ſed certa & inevitabilia, quæ ex æterni Regis armamentario depromuntur tela, *qui facit ventos Angelos & flammas igneas miniſtros ſuos*, ignibus illis ſuis, quibus flagrant, auxiliaribus atque inexſtinctis hoſtiles illas flammas, cum ipſis hoſtibus, facile exſtincturos. Agite ergo, o Cives Academici, canamus in hoc beatarum mentium, earumque Ducis MICHAELIS feſto die, non Capitolio, ſed cœlo cœlitibusque lætos triumphos! Quidni enim pio juſtoque duello ſaltem animis faveamus, vocibusque gratulemur?

Quid-

Quidni Deo fiamus ſupplices, ne victricem illam cauſam, cauſam ſuam deſerat, ut ſub MICHAELIS ſignis militantes perpetui ſimus de his aliisque Draconis aſſeclis triumphatores. Quoniam enim cum Gigantibus nobis eſt bellum ἄσπονδον, oremus illum, ut præſidiarios nobis mittat milites, qui pro aris focisque noſtris excubent aſſidui cuſtodes, rabiem Draconis illius, qui

Viſceribus miſerorum & ſangvine veſcitur atro

compeſcant, adverſus illa quæ undique nobis imminent pericula defendant, conatus malorum hominum reprimant & exſtingvant, ab inſidiis adverſariorum tueantur. Vitam denique noſtram ita inſtituamus, ut his ſatellitibus munitum latus ſemper habeamus, eorumque æterno aliquando conſortio frui poſſimus. P. P. ipſis Angelorum feriis Anno ↀ ↀC LXXXIII.

37.

TErtium jam contigit, Cives Optimi, ut quoties redeunte in orbem anno, MICHAELI ARCHANGELO epinicia canit Eccleſia; toties in Chriſtiano orbe, de Chriſtiani nominis hoſtibus ampliſſime atque honeſtiſſime triumphatum fuerit. Quæ cum non humano conſilio, ſed divinitus data atque oblata beneficia fuerint: non enim integris ſeculis victoriæ tam multæ, tam memo-

morabiles, de hoste atrocissimo auditæ fuerunt, quam nunc aliquot annorum spatiis reportavimus: mussitari illa profecto & silentio involvi non debent; sed plena manu, conspirantibus omnium animis, testibus illis, quorum hodie memoriam celebramus, commilitonibus Angelis, in luce atque oculis totius Christiani orbis, ad cælum efferenda, Deoque immortali gratiæ immortales sunt agendæ. Cum ipsis annis creverunt nobis victoriæ, ex eodem agro & fundo progerminantes: illis enim in messes & vindemias exeuntibus, novis palmarum messibus illa manus, quæ annum opibus suis coronat, arma quoque nostra ditavit. Vidimus illa vestigia rore divino stillantia: Vidimus spoliis opimis auctos gravidosque Auctumnos nostros, & ex iis, sive ab augendo, sive ab auguriis dici velit, semper augustiorem Imperatorem augustissimum, & qui cum illo arma in communi causa sociarunt. Annon primi anni victoria, qua furore Barbarorum Vienna, internecionis metu tota Germania liberabatur, tanta est, ut cum Marathonio possit comparari tropæo. Nam si illius pugnæ laudibus, qua Græciæ salus in extremum adducta discrimen, admirabili Græcorum virtute asserta fuit, satiari non potuit Græcia, ut hunc sibi eloquentiæ campum omnes Rhetorum scholæ proposuerint: ut quasi perpetuos cum nepotibus triumphos sibi ducendos duxerint Græci: quanto idem nos facere æquius est, qui sacra, libertatem,

tem, vitam, patriam, divino beneficio, Heroum nostrorum virtute incredibili servata & quasi ab inferis revocata vidimus. Intercessit ille exercituum Dominus hostilibus copiis, nos jamjam devoraturis; cujus potentissima manu rapaces illi ungves, qui jugulo prope nostro infixi erant, retracti atque præcisi. Turbavit ille Consilii Angelus occultas eorum machinationes, qui vel ipsum Acheronta in capita innocentium movere non verebantur, ut ex ruina publica suas fortunas ædificarent. Magna hinc rerum conversio facta est, & qui a partibus nostris semel militare cœperat Deus, sequenti anno ad castella, ad urbes expugnandas, ad hostium aciem retundendam ipse quasi signum sustulit. Quæ tertio hoc anno res, quam memorabiles gestæ fuerint, toto jam orbe decantatum est, neque in hunc diem hujus lætitiæ sensum exhausimus. Habent de quo gloriose triumphent Veneti. Neque in hoc famæ theatrum vel Poloni, quorum jam ante spectata virtus est, vel Moschi venerunt, ut exirent; a quibus splendidioris victoriæ præludia jam vidimus. Nos vero BUDÆ urbis regiæ expugnatæ gloria propius tangit: qua non illius tantum, quæ restat Hungariæ, sed ipsius pene Byzantii claustra ulterioribus progressibus panduntur. Qua in re quam fataliter omnia definita fuerint, vel ex eo existimare possumus: quod septimæ demum obsidioni succubuerit, toties irrito conatu antehac tentata: & quidem

eo

eo ipſo die, quo in Solimanni poteſtatem, ante CXLV annos pervenerat: & quo Vienna ante biennium cum internecione barbarorum liberabatur. Non parum quoque ad orbis literati honorem & vindictam intereſt, ſupplicia, quanquam ſera nunc de illis ſumi, a quorum majoribus incomparabiles literarum theſauri direpti ac disſipati, quos hæc ipſa Buda olim asſervavit. Extruxerat enim hic Matthias Corvinus Pannoniæ Rex Bibliothecam, cui ſimilem Orbis Europæus non habuit, quam ille Græcis Hebraicisque voluminibus replevit, quæ capta jam Conſtantinopoli aliisque Græciæ urbibus amplisſimis everſis, e media Græcia immenſis ſumptibus coëmerat. Neque Græciæ tantum & Orientis, ſed & Italiæ theſauros huc congesſit, qui Florentiæ liberarios magnis impenſis aluit, ut melioris notæ autores Græcos & Latinos exſcriberent. Vidit illam, ſalva urbe, integram *Johannes Alexander Brasſicanus* JCtus: cujus extat ſuper hoc argumento epiſtola Salviani operibus, quæ ex hac Bibliotheca edidit, præfixa: qua acerbis ejus jacturam lacrymis deplorat, & luctuoſam iſtius Gazæ memoriam orbi erudito commendat. Fuit illic, ipſo teſte, Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum atque Hiſtoricorum vis immenſa, fuerunt autores Græci innumerabiles, infinita in Poetas fere omnes commentaria, nemini doctorum aut paucis omnino antea viſa. Quæ cum recenſet, Alexandrinæ Bi-

Bibliothecæ, ubi millia voluminum ſeptingenta; Byzantinæ, ubi centum & viginti librorum millia incendio perierunt, jacturam, præ Budenſi elevat; & in hæc tandem verba erumpit: *Ego jurejurando affirmare auſim, nos hac infeliciſſima ætate longè plus diſpendii accepiſſe, quam vel cogitatione conſequi, aut oratione poſſit aliquis exprimere.* Quare viderint ſagaciores, an fides habenda ſit illis relationibus, quæ Bibliothecam hanc nuper quaſi poſtliminio nobis reſtitutam, atque ex ipſis orci faucibus ereptam nunciarunt, quam perditam atque deletam eſſe compertiſſimum ſe habere Braſſicanus teſtatur. Maximam ejus partem Byzantium olim translatam, aliquos Codices Viennam deportatos, alios militibus direptos diſtractosque, certiora ſunt documenta, quam ut à quoquam in dubium vocari poſſit. Quod ſi forte ſuperſtites è veteri naufragio tabulæ hac occaſione ſervatæ fuerint, plusquam de Attalico cenſu & talentorum ſpoliis Orbi & Chriſtiano & erudito gratulabimur, non tam Mavortios quam Apollineos, vel utriusque potius & armatæ & literatæ Palladis triumphos acturi. Ac haberet ſane quod in felicitatis ſuæ partæ poneret Magnus & Invictiſſimus Heros LEOPOLDUS, non de ſuis tantum temporibus, ſed & de præteritis & futuris bene meritus: qui mutos priſtinorum ſeculorum magiſtros, è fœdiſſimis barbarorum cataſtis in libertatem aſſeruit, è tumulo & tenebris in vitam & lucem

cem, immortali posterorum bono, non gentium tantum & monstrorum domitor Hercules, sed & Musageta evocavit. Quando ergo tam insigni bono mactata est universa Christiana Respublica, agite ô Cives, Deo immortali supplicatum eamus, & quantas mens concipere potest, gratias persolvamus: quod Angelorum turmas in nostram causam armaverit. Hunc piis tandem precibus erogemus, ut qui nunc prædas & cruentas de hoc populo victorias reportavimus, fœcundas olim animarum messes ex iis colligamus. Respiciat illos aliquando divina misericordia, ut & illi sua bona agnoscant, & suam quoque, quæ universi orbis est, in CHRISTO JESU salutem exspectent, non virga amplius ferrea coercendi, sed æterni Pastoris Pedo in unum nobiscum ovile revocandi. Et sternere illis jam viam divina providentia videtur, gliscuntque jam in illorum animis Christianæ veritatis igniculi, in lætissima olim (atque utinam jam flagrent!) incendia erupturi. Nam si Ricautio, Viro nobili Anglo, Legato, novissimo atque diligentissimo Aulæ Mahumedanæ exploratori fides habenda est, quem ista muneris dignitas facile à falsi suspicione liberat, secta inter illos est, quæ *Hactiti* nominatur. Hi Messiam corpore humano vestitum & olim ad orbem judicandum venturum, æque ut Christiani credunt, atque adeo inter fidei suæ capita referunt, Alcorani quibusdam verbis sententiam

am confirmantes, quæ ita habent. *O Mahomet, videbis Dominum tuum in nubibus tibi occurrentem.* Quæ etsi de Christo publice interpretari non audent, communi tamen consensu de eo hæc intelligenda non dissimulant. Eodem teste inter aulæ proceres istiusque gentis doctiores, qui *Chup Messahites* id est: *Messiæ partibus addicti* vocantur, opinio hæc invaluit: Christum esse Deum ac orbis redemptorem: quam ita tuentur, ut extrema potius subituri sint, supplicia, quam ab illa discessuri. Quare inter honoris titulos illis reponitur cum *Chup Messahisen* aliquem vocant, hominem ita officiosum, ut Messiæ servitio dignus esse videatur. Sunt porro alii, ut idem refert, *Eschrakites* dicti, quibus sacerdotes peritissimi accensentur. Hi imaginis divinæ Trinitatisque, in Deo contemplationi totos se dedunt; rudi exemplo lintei unius in tres plicas infracti ternarium in divina natura adumbrantes, ac in, attentissima Numinis speculatione summum, suum bonum constituentes. Quare nec Alcorani admittunt commenta, nisi in quibus cum doctrinis suis rationeque conspirant,. Quis non meliores ex illis olim Christianos, quam nunc sunt multi, augurabitur? Nam, & sapient aliquando, licet sero sapiant, hi Phryges, ὀψιμαθεῖς in hac schola Discipuli, & inter vespertinos in vinea Domini operarios aliquando comparebunt. Videmur jam nobis videre illa tempora, & si ad Senecæ Tragici

de novo orbe vaticinantis ἐνθουσιασμὸν παρ[illegible]-δεῖν licet, pleno hæc ore prænunciamus:

—— —— Venient annis
Secula seris, quibus Altipotens
Vincula lucis laxet, & ingens
Pateat regnum, Christique novos
Lex regat orbes, & sit cunctis
Ultima terris.

Fiat ô Deus! adveniat regnum tuum! ut in his terris incruentos, & aliquando in cœlis perpetuos cum beatis mentibus triumphos tibi canere possimus. Valete! PP. KiloniI, ipso S. MICHAELIS die Anno cIↃ IↃC LXXXVI.

38.

QUi hodie celebratur dies festus, Cives Academici, beatis mentibus a pia Antiquitate consecratus est: ut quoniam principatum in Civitate Dei tenent, cœlestis aulæ proceres, nos aliquando ordinis sui socios habituri, in hac vita quasi pædagogi nostri & administri, nos & amicos hos nostros noscamus, quidve eorum beneficio debeamus homines, pia contemplatione grataque memoria præcipiamus. Nemo est e vobis, quin e sacrarum literarum fontibus rectam de Angelis eorumque natura cognitionem hauserit; nam veterem Sadduceismum, quem hodie ex orco reducere profani homines la-

laborant, quin toto animo aversemini, prorsus non dubitamus. Quorum aures si ad divinæ veritatis testimonio obduruerunt, vel communi omni gentium consensu illi ad meliorem revocari mentem possent, si rationem sequi, aut prudentium virorum opinionibus niti non recusent. Quæ in Gentium Theologia de Diis habentur, non possunt nisi ad mentes inter Deum hominesque medias referri. Cum enim nomen non haberent vel Philosophi vel Poetæ, quibus eas salutarent, Deorum communi appellatione usi fuerunt, cum præsidem illis Deum summum constituerent. Socratem moriturum Plato inducit, cœlestem patriam commendantem, quæ sit e lapidibus pretiosis, Sardis, Smaragdis, Iaspidibus exstructa, ubi verum sit lumen, & quæ beatis spectatoribus habitetur, Diis scilicet, & Heroibus, quibus non nisi Angelos felicesque animas optimus Senex intellexit. Non dissimilia his Plato, Aristoteles, Tullius dixere,quæ cum alii integris libris coacervarint, intolerabilis illorum stupor est, qui doctrinam hanc ex iisdem divinæ veritatis fontibus haustam non animadvertunt.Asserendæ ergo cœlo suo sunt beatissimæ mentes, Parentis optimi maximi familiares, apparitores, atrienses, Providentiæ divinæ administratores & ad res hominum curandas legati. Hi divinæ lucis radiis immersi undique ab illa obsidentur, aguntur, impelluntur, ut nihil velint, nisi quod illa signaverit, nulla vestigia se-

 quan-

quantur, nisi qua illa præluxerit. Mutuo vero luminum appulsu eoque suavissimo, quasi vinculis quibusdam, juncti, se ipsos in infinita gaudia excitant, ex attentissima Numinis contemplatione orta, omnes quos inter se exercent amores, in divinum amorem, inexhaustum cœlestium deliciarum Oceanum, ineffabili voluptate refundunt. Huic perpetuos illi triumphos, plausus, jubila occentant, admirabilique symphonia voces per omnes orbium anfractus resultantes diffundunt. Huic Cherubini illud suum τερσάγιον acclamant: Huic Throni se demittunt: Huic Dominationes serviunt: Huic se Potestates omnes subjiciunt: Huic omnis cœlorum exercitus militat: Huic omnis, quam late patet hierarchia assurgit nutusque ejus veretur. Huic magnus ille Consilii Angelus, Archistrategus, & Draconis triumphator MICHAEL palmas suas suspendit, & quod ab illo accepit imperium, transcribit. Nos hoc præcipue tempore & officia beatorum Angelorum eorumque beneficia, quibus humanum afficiunt genus, perpendere, idque dare operam debemus, ut fidos Achates illos, qui se ultro nobis offerunt, semper habeamus, neque illorum consortio unquam excidamus. Nec privatæ tantum, sed & publicæ nobis supplicationum causæ sunt, ob servatum ab immani Turcarum insultu Dei populum, ob victorias amplissimas reportatas, ob exutos castris hostes, & cum magna clade profligatos. Nam

An-

Angelorum a latere noſtro pugnarunt Exercitus, illi a jugulis noſtrorum enſes amoverunt: illi panico hoſtibus terrore incuſſo, in fugam illos converterunt. Gemina Angelorum & Belli & Pacis munia ſunt: ut illis omnes humanæ res temporibus diſtingvi ſolent. Neque alia Dei populum fata premunt, cui inter perpetuas cum externis domeſticisque hoſtibus conflictationes ſemper vivendum eſt. Cum enim jam ab ipſis primordiis Luciferi ac rebellium Spirituum copiæ adverſus Deum inſurgerent, potentiſſimis MICHAELIS ac ſanctiſſimarum mentium armis repreſſæ ſunt. Hinc illa bellorum in orbe ſemina ſparſa ſunt, ut quotidie etiamnum boni Angeli in aciem pro nobis, in perpetua militia conſtitutis, prodeant, ac militari ſuo officio defungantur. Laceſſuntur ſemper ad pugnas a Draconis illa familia pii homines, & ſemper aliquid in orbe hoc turbabitur, ne quieti illi ſint ac paci ſuæ permittantur. Angelorum manus populo Iſraëlitico, cum ex Ægypto educerentur, adfuerunt. Illæ per aſpera locorum & caſuum, per mare rubrum in terras promiſſas deduxerunt. Cum ad Jerichuntem urbem caſtra poneret Joſua rebusque ſuis diffideret, ab angelo Dei ad pugnam animatus eſt. Angeli fuere, qui iſtius urbis muros per tubarum clangorem e fundamentis revellerent. Iidem illi in urbibus cœteris populoque Cananitico ſubigendo opem tulerunt. Cum Philiſtæi adverſus Davidem

insurgerent, gens atrocissima, hi sonitum gradientis in cacumine pyrorum excitarunt, & hostes percusserunt. Illi in castris Regis Syriæ, cum Samariam obsideret, curruum & equorum tumultus excitarunt, ut turpissima fuga ab obsidione discederet. Iidem Ezechiam Regem adversus Assyrii Regis Sennacheribi immanes apparatus salvum incolumemque servarunt: Hebræos a Philopatoris Ægyptii furore, & in Machabæorum præliis custodiverunt. Illi Judithæ in castris pudicitiam defenderunt, & victricem reduxerunt. Quodsi recentiorum annalium excutere historias velimus, infinita ex omni gente produci possent divinæ providentiæ exempla, quæ angelorum ministerio in atrocissimis bellis, cum omnia extrema instarent, suos quorum curam habebat, tutata est, & summis periculis eripuit. Sunt & in divina familia, si sacris oraculis sua constat autoritas, qui populis integris præfecti sunt, eorum consiliis ac bellis miscentur, ad præclara facinora impellunt, a vi injusta tuentur, in bello exeuntibus præsto sunt, Heroas in illis quasi cœlo demissos singulari virtute armant, ut felicius pugnent, urbes expugnent, hostes in terrorem conjiciant, fundant, prosternant, & qua arma sua circumferunt, palmas, laureas, victorias reportent. Sed quemadmodum pax una innumeris triumphis potior: ita pacis opera exercentes Angeli gratiore ministerio de rebus hominum merentur. Svavissima Pacis vox est,

&

& ad illius speciem orbis universus erigitur. Quis non divinos feciales, cum Pacem terris, Salvatore nato, nunciarent, libentius, quam bella horrida bella minitantes, audiret? Quare ut Belli, ita Pacis quoque dispensatores illi sunt, omniaque ea officia mortalibus præstant, quibus pacis tempora celebrari solent. Prodeunt ex illorum ordine, qui Respublicas consiliis regunt, qui animorum ad omnes disciplinas quasi pædagogi, qui ad omnia vitæ munia recte obeunda duces sunt, & quod potissimum est, in iis se rebus magistros nobis præbent, quibus æternam salutem consequamur. Ergo non milites tantum præsidiarios in illis, sed & Doctores & Ductores habemus. Sunt enim & virtute contemplativa & operativa ac artibus omnibus perfectissimi. Theologi sunt, qui divina mysteria felicius interpretantur, quia propius atque in Deo ipso intuentur. His doctoribus profecere, qui divina nobis oracula reliquere sanctissimi vates, cum illis secreta habuere colloquia, hi in somno apparuerunt, hi in loca solitaria duxerunt. Quid enim non doceant, qui jam tum a mundi incunabilis non naturalium tantum rerum, sed & divinarum conscii fuere. Cum primum e tenebris prodiret lux, jam tum Dominum Deumque suum laudabant hæc astra matutina, sub ipsam mundi auroram, & nunc in ipsa meridiana luce ac perpetua Dei visione, quo magis ad vesperam suam orbis noster accedit, divinam hanc & Æter-

ternitatis & temporis ἐγκυκλοπαιδείαν absolverunt. Jurisconsulti sunt, in quibus sol justitiæ æternam legem radiis suis depingit, quam & illi annunciant populis. Medici sunt, qui purissimæ naturæ subsidiis uti norunt, cum nos per ςοχασμὸν perpetui hariolatores artem illam exerceamus. Hujus specimen in Tobia ostendit Raphaël, cui oculorum ille usum restituit. Nulla est in omni disciplinarum apparatu, qua illi non omnium seculorum doctores vincant. Politici sunt, qui non cœlestis tantum aulæ arcana dispensant, sed & regna hujus orbis moderantur, & in eum finem omnia dirigunt, quem divina providentia intendit. Oratores sunt, qui causas hominum ad DEUM referunt, ejus jussa & mandata exeqvuntur. Musici sunt, qui perpetuis Deum hymnis celebrant, & in divinas laudes sine ulla cessatione se effundunt. Quare, ô Cives Academici, qui animis excolendis otia vestra impenditis, id operam date, ut mentem vestram paulatim ad eorum similitudinem extollatis, qui fratres aliquando vestri & tribules erunt. Ne spernite eorum monita, cum bonæ vobis cogitationes oboriuntur, cum ad vitiorum sordes nausea excitatur. Illorum enim tacito impulsu hoc accidit. Neque aliter mentes sua cum mentibus sensa communicant. Atque sic non Doctores tantum, sed & ductores habebitis. Videte ut vita casta & pura ad *Angelos*, amore proximi ad *Archangelos*, bene agen-

gendo ad *Virtutes*, triumphis de Diabolo ad *Poteſtates*, contemptu mundi ad *Principatus*, victoriis carnis ad *Dominationes*, juſtitia ad *Thronos*, ſapientia ad *Cherubinos*, charitate & amore divino ad *Seraphinos* quam proxime accedatis. Fiet illud, ſi Deo vos permiſeritis, ſi ejus in vobis impetus non exſtinxeritis. Ita olim, cum hic vitæ extremos dies abſolveritis, mortali jam contagione liberi, ſplendido & triumphali vehiculo, quod cœlites, iidemque per vitam veſtri ſatellites, comitari non dedignabuntur, inter ſvaviſſimos beatarum mentium applauſus, ad beatas illas ſedes evolabitis. Valete. P.P. ipſo Angelorum feſto. Anno cIↃ IↃc LXXXVII.

39.

QUando hodie in Eccleſia SS. Angelorum memoriam pia mente recolimus, quando eorum erga genus humanum merita prædicamus, in animum vobis revocate, Cives optimi, quod vobis ἀκρόαμα pia propoſuerit antiquitas, attenta meditatione expendendum. Ad puerorum illa Scholas nos ablegavit, & ad eorum exemplum inſtitueret vitam jubet, ut fiamus tandem ἰσάγγελοι, & digniſſimi cœlo cives, cum per novam iſtam παιδείαν repueraſcimus. Audite ipſius Salvatoris noſtri oraculum: *Niſi*

conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis regnum cœlorum. Ergo pueros nos esse oportet, qui sumus Reges, potententes, factiosi, nobiles; Pueri erimus, qui vana scientia turgidi in omnes pædagogiam exercemus. Nisi enim pueri fiamus, ad illam Dei civitatem non adolescemus. Ergo id nobis dispiciendum est, ut pueri fiamus, ut purarum mentium ideis, inter qua ut angeli primas, ita pueri, & pueris similes homines secundas tenent, maturæ imbuamur. Geminis itaque virtutibus nobis opus est, quarum altera intellectum, altera mores respicit, in Philosophorum Schola inauditis, SIMPLICITATE & HUMILITATE. Iis enim quasi characteribus à viris, senibus pueri; ab hominibus beatæ mentes distingvuntur: ut has propiore gradu contingere pueri; à viris & senibus multis distare parasangis, totoque quasi cœlo disjungi videantur. Illos enim in regnum cœlorum, velut in possessionem suam evocat Salvator: quemadmodum parvulis & filiis Israëlitarum, qui boni & mali discrimen ignorabant, minime vero rebellibus & refractariis patribus terram promissionis daturus erat Deus. Ac primum à SIMPLICITATE ordiamur, quæ ut plus fidei, ita plus scientiæ habet; ut illa τ̃ δοκησισόφων sapientia plus stultitiæ & ignorantiæ. Pendet à Parentum, à Magistrorum ore credula Pueritia, & fidum præceptorem nacta, simplici fide plus proficit, quam argutis disputatiun-

cu-

culis magni Doctores. Qui etsi Angelicorum, Irrefragabilium, Invincibilium, Lynceorum titulis superbiunt, aut in venerando septemvirum, Græciæ sapientum, Senatu primas tenent, vel à pueris vitæ præcepta capient: ut illis quasi in disciplinam discipulos suos Salvator tradidit, quos magnos Ecclesia postea Doctores vidit. Qui se Deo Doctori permittit, eadem simplicitatis via ab opinantium turba secedit. Nam ut nonnemo è sacris Scriptoribus ait: *Nihil egentius ista mente, quæ de Deo extra Deum Philosophatur*, ita in omni sapientiæ genere sine divina luce nil sapimus. Quis enim divina opera rectius cognoscet, quam qui ab ipso opifice ducetur? Cum alii vix oculis suis credunt, cum anxia & sollicita collatione verum tot ratiociniis indagare laborant: illi qui ita sunt animati, una sola cogitatione plura comprehendunt. Non vident oculis, non audiunt auribus, sed intelligentiis similes, solam operationi suæ mentem permittunt, & quoddam sibi infusum lumen incredibili voluptate persentiscunt; cum alii per tenebras ac umbras rerum, otiosi speculatores, circumducuntur. Non Aquilæ sed Columbæ alas sibi poscebat David, quibus ad rerum cœlestium cognitionem evolaret, ac mentem tranquillaret: *Quis dabit mihi pennas, ut columbæ, & volabo & requiescam?* cum mentis potius simplicitate, quam oculorum acie; morum innocentia, quam doctrinæ profundi-

tate; animi puritate, quam pennarum agilitate, ad illius sapientiæ sublimitatem se perventurum speraret. Ad quem locum apposite Ambrosius: *Intelligebat enim, quod altiora facilius penetrantur simplicitate mentis, quam levitate pennarum.* Ab hac simplicitate cum Viri, Doctores, Sapientes discedimus, fieri plerumque solet, ut cum literatis intra verba nobis subsistat, non in rem præsentem veniat sapientia; & *quemadmodum*, dicente Plutarcho, *apud Athenienses essent verba Philosophiæ, apud Lacones ipsa res;* ita a doctis fugiat, apud idiotas habitet virtus & veritas. Videmus qui ad ravim usque de bonis moribus declamant, & ipsi perpetua vivunt Bacchanalia. Orbem Terrarum in circulos, climata, regna, flumina dipescimus, neque quo loco animus nobis situs sit, ac ubi ille vivat, inquirimus. Omnium populorum mores, Rerumpublicarum formas, populorum ingenia indagamus Politici; & quid in sensuum nostrorum Republica fiat, quæ illic bella plusquam civilia nobis surgant, quam a nobis ipsis diffideamus, non animadvertimus. Hæc cum fieri quotidie videamus, quis non cum Augustino exclamet! *Surgunt indocti:* addimus nos Pueri: *& rapiunt regnum Dei, & nos cum nostris literis ecce quomodo in carne & sangvine volutamur!* Sed tamen nec indocti illi sunt, nec pueri; sed veri Philosophi & plusquam Viri. Verissimum enim est, quod Erasmus præfat: in paraphrasin Matthæi dicit: *Sæpe numero qui mun-*

do

do contemptissimi sunt, apud Christum summo in pretio sunt: Et quos mundus habet pro doctissimis, Christo sunt Idiotæ. Ita scilicet res mortalium comparatæ sunt. Geminæ nobis pestes animum occuparunt, quarum ille veneno infectus suos & in hac vita & post fata manes patitur: Ambitio & ignorantia. Quæ cum inter se conspirant, omnem in nobis pietatis & sapientiæ non dicam perfectionem evertunt, sed ipsa semina evellunt, igniculos exstingvunt. Simulac enim ambitio ac superbia animo virus suum afflavit, statim ille nebulis obsidetur, statím illa cœcitas mentis oculo suffunditur, & velut Cœcias aliorum vitiorum nubem attrahit. Ex illo morbo ortam Philosophiæ suæ Imperfectionem, cum deprehendere satis potuissent Gentilium Philosophi, unde illi cristas erigunt? quid habent quo glorientur? Nam si defectus & errores suos notassent, moderatius de se rebusque suis sentire potuissent. Quare Ille Regum sapientissimus Salomon eo tandem devenit, ut hanc sapientiam stultitiam esse agnosceret, qui & ipse imperfectionem suam, *quod neque prudentiam neque sanctitatem habeat*, non dissimulat, sed pleno ore fatetur. Secundas a SIMPLICITATE HUMILITAS tenet, sed quæ simplicitati quasi innexa eam vel consequitur vel antecedit. Nullos ejus virtutis characteres norunt, nulla ejus lineamenta ducunt, qui in Gentium Scholis morum Philosophiam professi sunt. Cum enim principium ejus non cognosce-

ſcerent, prave omnino de ea ſentire debuerunt. Inter animi enim ignavi & degeneris notas reponunt. Quare vel e ſolo humilitatis contemptu judices, nullum illos vel ſenſum habuiſſe ejus felicitatis, qua fruimur Chriſtiani. Imo vero illa ipſa animi magnitudo & ſublimitas eſt, illa *μεγαλοψυχία*: quam ipſi, ſed ſuam, e vaniſſimarum rerum ſpecie ortam, extollunt; nos noſtro ſenſu, ſub humilitatis ſchemate, omnium aliarum virtutum matrem deprehendimus. Quæ cum oriatur e contemplatione infinitæ magnitudinis, amoris, bonitatis, quæ in Deo eſt, & noſtræ imperfectionis conſideratione: animus quaſi in ſe ipſum converſus, ita ſe divino permittit arbitrio, ut omnia humana contemnens in ſummo hoc bono ſuo unice quieſcat. Illa Humilitas cum non proſternat animos noſtros, ſed ultra omnem gloriæ humanæ apicem erigat, & divinæ luci immergat, quilibet videt ſub humilitate iſta veram animi magnitudinem recondi: qui tum demum vere jacet, ſi ex hoc quaſi cœlo ſuo deturbatus, turbine rerum humanarum, perpetuæ quaſi morti obnoxius, circumagitur. Illa virtus eſt, quæ in nobis divini ſpiritus igniculos conſervat, iiſque perpetuum fomitem ſubminiſtrat, ne ſuperbiæ ac ambitionis fermento mens infecta obtundatur, & e poteſtate Dei ſuaque exiens malignis geniis furiiſque in prædam cedat. Ac ſane quemadmodum tota Chriſtianorum religio cum Autore ſuo ab humilitate orige-

genem habet, desinit in gloriam: ita & vita nostrum omnium, qui sequi hunc ducem nostrum debemus, per humilitatis exilem viam irrepens, ad cœlestis gloriæ fastigium contendit. Ipse maximus Magister suo vos exemplo invitat: *Discite ex me: sum enim humilis corde.* Quibus verbis tota illa doctrina cœlestis continetur. Ille qui cœlum & terram fecerat, ille qui tot ediderat miracula, voluntaria sua humilitate nostram provocare humilitatem, nostram augere gloriam voluit. Ille in quo omnes thesauri sapientiæ reconditi erant, nil nisi humilitatem ex iis nobis commendat. Huic sceptra sua submittant Reges & Principes. Nam & in toga purpuraque splendet humilitas: sæpe sub sordido pallio fastus regnat: credamus nos servos inutiles, etiam cum magna facimus. Nihil in nobis sine Deo magnum est, ac si quid excelsi jactamus, inertiam ac ignaviam sub illius specie abscondimus. Quem nos fortunæ cursum interpretamur, fuga est: cum extolli nos putamus, in præcipitia detrudimur. Quem animo nostro rigorem obducimus, ille ab affectuum afflatu est. In bella & pericula ruimus? non animi hæc in nobis magnitudo, sed imbecillitas est, qui nostris non contenti aliena invadimus, aut licentiæ amore & spe prædæ ac honoris ad extrema etiam pericula subeunda impellimur. Alexander tot laureis & rebus gestis magnus annon suæ infirmitati succubuit? Qui generosum illum & omnis potentiæ con-

tem-

temptorem spiritum ejecit Cato, annon affectibus se suis minorem fassus est, cum hostis fere imperium non posset, quod ferre pueri mulierculæque omnes poterant. Nihil in homine tam sublime videtur, quin defectum aliquem celet: nulla tanta animi magnitudo, quin parvitas & pravitas aliqua pelluceat. Ipsa sæpe humilitatis specie etiam qui sancti videri volunt, ad superbiam tegendam abutuntur. Quo turpius esse nihil potest, cum in fraudes divina virtus convertitur. Non Tiberianæ tantum aulæ, sed & sacro interdum ordini suus Accismus est, cum spernuntur laudes, ut eo majores reportentur: cum rejiciuntur minores tituli, ut ambitio eo securius ad omnes dignitatis gradus procedat, ubi humilitatis larva detracta immane supercilium apparebit. Querebatur de eo Ecclesiastes: *Est qui nequiter se humilitat, & interiora ejus plena sunt dolo.* Cavere ab illis jubet Apostolus in epist. ad Coloss. c. 2. v. 18. ubi esse ait, qui sibi placeant in ficta humilitate. Antiquissimum Ambitio vitium est, & cum ipsis mundi natalibus ortum, quæ Angelos in infernum detrusit; hominem Paradiso ejecit. Illi adspectu divino non contenti ad potentiæ gloriæque fastigium adspirabant; hic ad Dei similitudinem accedere voluit. Nunquam vero fœdius est, quam cum humilitate absconditur, bonisque mentibus insidias struit. Apage omnes ab humilitate dolos! exuamus illos sensus nostros, primos nostros in hoc or-

orbe impoſtores! comprimamus qui in nobis ſurgunt ſpiritus! compeſcamus illum noſtri amorem, ut in Deum humillima mente feramur. *Humiliemur Deo*, (quod Eccleſiaſtæ oraculum eſt) *& exſpectemus manus ejus.* Sacrificavit ſe Chriſtus Patri: Nos ipſi imitationis officium ſacrificemus, & eam quam a ſe diſci humilitatem volebat, vita ipſa piisque moribus exprimamus. Quod ſi Tullio judice: *Nos erigimur, elatiores fieri videmur, humana deſpicimus, cogitantesq; ſupera ac cœleſtia, hæc noſtra ut exigua & minuta contemnimus*: quanto magis ad Deum converſa mens ejus amore tota exardeſcat, & ultra omnia humana efferatur? Quæ vera in humilitate Magnanimitas eſt, vosque vel in hac vita cœli cives efficit, & beatarum mentium conſortio jungit. Diſcite in hac vita ex humilitatis magiſtro veram humilitatem: atque ita diſcite, ut non in ore ac verbis, ſed in pectore ipſo vobis habitet: & idem olim Dominus gloriæ internæ vos gloriæ poſſeſſionem evocabit. Valete P. P. Kiloni. Ipſo SS. Angelorum feſto Anni cIↃ IↃC LXXXVIII.

40.

NOndum, ut putamus, memoria vobis excidit, Cives Optimi: nunquam enim excidere illa debent: quanta animi omnium formidine oppreſſi,

cum intra spem metumque suspensi, nupero Vere, illam rerum, quæ tum agebantur, catastrophen exspectaremus. Nuncupavimus tum in ipso Spiritus S. festo vota, precesque ad illum fudimus, ut ab omni armorum furore nos nostraque omnia tueretur, ac pacis suæ dono bearet, vosque, ut idem faceretis, publica oratione excitavimus. Facile enim intelligebatis, quæ rerum futura facies fuisset, quæ agris vastitas, urbibus pernicies, nostro illi Musarum domilicio calamitas inducta fuisset, si ad bella horrida, bella, quæ jam tum animo multi versabant, in publica miseria triumphos acturi, ventum fuisset. Nos tamen, ut ipsi fuimus, ita semper bono vos esse animo jussimus, &, cum tanti undique terrores circumstarent, cum variis rumoribus animi hominum fluctuarent, nunquam tamen spem pacis deposuimus. Ac sane propiores periculo fuimus, quam ipsi putavimus, Imminebant jam tum capitibus nostris spissæ nubes, fulmina in caput nostrum excussuræ. Movebantur ex utraque parte copiæ, & numero & robore firmissimæ, acerrima utrinque animorum contentio flammam fumo proximam minabatur, in extrema regula atque adeo in præcipitio stare omnia visa sunt: cum non, ut in fabula, Deus è machina interveniret; sed ipse Spiritus divinus animos eo inclinaret, ut pacem præ bello amplecterentur. Quod ergo nuper vobis εὐαγγέλιον magna futurorum spe promisimus, id

id alta nunc voce proclamamus: PACEM terris noſtris divino munere redditam. Nam quanquam ea dudum omnium ſermonibus fama celebrata eſt, adeo tamen pulcherrimum illud Pacis nomen, tot votis expetitæ, tot precibus expugnatæ, amabile nobis viſum eſt, ut etiamnum aures circumſonare noſtras ipſe plaudentium vocibus aër ferveſcere, animus denique noſter illo ſaturari non poſſe videatur. Adeo nullum nobis ſerum pietatis officium eſt, in illo munere, cujus perpetuos, non nobis ſolum, ſed & poſteris fructus ſperamus. Quare ſupplicatum nunc eamus divino Spiritui, ut nobis ille proprium hoc Pacis bonum ſolidumque eſſe gaudium velit: erit autem, ſi reddito nobis Sereniſſimo Principe, ille in plenam terrarum ſuarum, nos in plenam Pacis poſſeſſionem mittamur. Utinam vero vel hoc Autumno dies illuceſcat illa, quæ ſerenos ejus vultus nobis oſtendat non ſolum, ſed & in avitas ſedes agroſque, non hoſpitem amplius, ſed Dominum reducat, noſque omnes fortunæ ejus compotes faciat. Sic lætior erit illa auctumni, quam erat Veris triſtiſſima facies, ut mutato fortunæ vultu, pulchriore Auctumnum hunc, quam vernum tempus Maro, ornare elogio poſſimus:

Omnia nunc rident, nunc formoſiſſimus annus.

Sic fiet, ut & noſtris ille amplexibus ſiſtatur, & nos cum eo Pacem, cujus ſignum adhuc oſtentavimus, non nudam ac inanem, ſed illo bea-

tæ ubertatis cornu decoram gravidamque amplexemur. Sic fiet, ut quæ abſente jam iterum per ſeptennium Domino, Patria totidem ſtrigoſa Pharaonis pecora repræſentavit, illo reddito, lætiore vultu niteat, ac opimiore ſpecie vetus illa macies abſorbeatur. Neque erunt nunc amplius, qui cum Virgiliano illo Menalca querantur,

Quod ſuccus pecori, quod lac ſubducitur agnis,
ubi magnus noſter ſua per ovilia Daphnis, qui & oves, oviumque magiſtros curat, regnaverit. Fruamur ergo, o Cives, non tanquam horno aliquo fœtu, ſedperenni & æterno Pacis bono, Pacis omnes alumni, togati, & ſi qua noſtra eſt, vel ſacram vel togatam militiam, ſed incruentam illam, ſed innoxiam, omnibus armis & triumphis potiorem, profeſſi. Quod ſi enim bella nobis arriſerint, habemus, cum quibus manum conſeramus, hoſtes, ignorantiam, barbariem, affectus pravos, malos mores, Dæmonem, Draconem illum veteratorem, omnesque e viperea illa ac ſerpentina familia ſodales, quorum vindici & triumphatori MICHAELI diem hunc feſtum celebramus. Hoc Duce & olim in Civitate Dei pugnatum, & nunc quoque omnibus armis, telis, machinis, & eo quidem fortius pugnandum eſt, quo majoribus in nos copiis Draco ille antiqvus inſurgit. Varium enim multiplexque ſerpentum genus eſt. Ipſi, quot vitiorum fermenta in nobis ſunt, tot in ſinu angves fovemus. Jam pridem enim

ſunt, qui omnia in nobis vermiculis obſideri ajunt. Eſt viperarum progenies, quæ ex inſidiis venena ſpargit, quæ oſculis lædit, ac ſub pacis & amoris blanditiis vulnera figit. Sunt quæ per ſoporis ſpeciem occidunt Aſpides, ſunt quæ perpetuam opum, libidinum, honorum ſitim incutiunt Dipſades. Sunt, quæ duplici in collo & in cauda capite præditæ Amphisbænæ duabus viis ingrediuntur. Sunt qui viſu ipſo interficiunt, qui ipſum aërem veneno inficiunt Baſiliſci. Sunt quibus poſt abſciſſa capita, nova repullulant, Hydræ, non niſi à Chriſtiano aliquo Hercule domandæ. Sunt qui non niſi devoratis aliis ſerpentibus fiunt, Dracones, Tyranni, qui non piorum tantum hominum, ſed & ſui ſimilium ſangvine paſti in formidabilem corporis molem excreverint. Quorum imaginem graphice nobis in Apocalypſi ſua S. Johannis depinxit. Vocandus in hac pugna in ſubſidium eſt perpetuus ille Draconis Triumphator, MICHAEL, & quæ e cœleſti exercitu pro nobis excubias agunt, divinæ Mentes, ut non tantum adverſus aſpides & viperas, ſed & adverſus ipſum, qui cæterorum omnium familiam ducit, Draconem, quique ejus in his terris imaginem repræſentant, Gigantes & Cyclopas triumphemus. Jam tot annis propitium Dei populo MICHAELEM ſenſimus, illum cœleſtis militiæ Archiſtrategum, cujus potente præſidio adverſus barbarorum hoſtium inſultus non tantum defenſi ſumus, ſed & ſplendi-

dissimos ab illis triumphos reportavimus. Semper messes nostræ, semper vindemiæ segetem ac materiam victoriarum nobis dederunt: semper fuit, quare in hoc Angelorum festo immortali Numini gratias immortales ageremus. Quis nescit quot quantæque petitiones in Ecclesiam puriora sacra professam conjectæ fuerint? ut vitari non posse viderentur. Nectebantur undique doli: vita multorum etiam principum, ferro atque insidiis appetita: pulsi in exilium, ad carceres & catastas damnati Antistites: conspirationes potentissimorum Principum in purioris Religionis excidium, in hominum innocentum capita institutæ, ut jam in præcipitio omnia starent & ruinæ proxima essent: cum subito tot machinationibus tanta vafritie comparatis, divina providentia intercessit, ipsisque hostium faucibus eos eripuit, quos jam spe devoraverant, & ad cædem, exilia, cruces, rapinas oculis animisque designaverant. Quam atroci furore in Germaniæ nostræ viscera, ab hoste primatum Christiani nominis jactante, sævitum sit, tot urbium, oppidorum imo populorum excidia, inaudita inter Christianos imo ipsos quoque Barbaros barbarie suscepta, loqvuntur. Pugnavit tamen & hic a nostris partibus sanctissimus MICHAEL, quique Christiani nominis juratos hostes non retudit tantum, sed pene evertit, etiam eorum rabiem, qui illorum ruinas suo robore fulciunt, a cervicibus nostris avertet, & nuper adeo memo-

mo-

morabili Moguntiæ expugnatione, quaſi quodam præludio victoriarum curſum ingreſſus eſt. Hunc quoque, o Cives, rebus noſtris præſidem ac defenſorem exoremus, ut ille validâ manu nos porro tueatur, proque pace & ſalute noſtra acerrime propugnet. Venerentur Herculem ſuum ἀλεξίκακον Gentiles: Vos hunc malorum propulſatorem veneramini, atque ita, eo Duce & auſpice, adverſus omne vipereum genus, etiam illud, quod in ſinu & viſceribus veſtris nidulatur, pugnate, ut cum MICHAELE, omnique piarum mentium exercitu, æternos aliquando triumphos agatis. P. P. KiloniI. ipſo SS. Angelorum feſto Anno cIɔ Iɔc LXXXIX.

41.

QUi moralis doctrinæ ſcholis innutriti eſtis, Cives Academici, optimè meminiſtis, disquiri hic ſolere: An idonei ejus auditores Juvenes ſint habendi: & tantum abeſt, ut ſecundum illos ſententiam dixerit ſummus ille è Peripato Doctor, ut hinc omnino removendos judicarit. Nam cum illa ætate ſint conſtituti, quæ vitæ ſuæ modum habere neſciat, quæ cupiditatibus in transverſum rapiatur, ſurdis ille fabulas minime narrandas exiſtimavit: niſi forte, quod pauciſſimis contingit, ſenili prudentia juven-

tutis annos præverterint. Verum novum plane & inauditum vulgaribus Scholis ἀκρόαμα hodie vobis è divinæ sapientiæ arcanis Salvator noster proponit. Ille enim cœlestis Sapientiæ Candidatos non Juvenes, non Senes, sed pueros requirit: adeo ut ipsos repuerascere Senes jubeat, si quidem ad regnum cœlorum aditum sibi interclusum nolint. Redeundum ergo nobis vobisque, o juvenes, in pueritiam est, non Medeæ artibus, ut in fabulis est, recoctis; sed divini Spiritus ope, origini nostræ redditis: qui nos in innocentem illam pueritiam reducat, & nova generatione refingat. Multa antiqui Hebræorum sapientes de animarum ἀνακυκλώσει commenti sunt: Nam eorum, qui ex hac vita criminum sordibus contaminati discesserint, animas cœlo recipi negabant; nisi ad nova corpora postliminio reversæ omnes illas maculas & priscæ vestigia fraudis sanctiore vita piisque moribus absterserint. Neque vel e Christianis nostro tempore defuere, qui revocare hanc doctrinam novisque inducere coloribus conati sunt. Sed quoniam, ut proverbio dicitur, sera mortuorum medicina est, frustra a futuris seculis exspectatur salus, quam nunc viventes oblatam aspernamur. Nobis quoque, sed meliore sensu, hoc dictum putemus:

sera nimis vita est crastina: vive hodie:

Vive hoc seculo, hoc anno, vive hodie, atque in pueritiam & ad mores vitamque sanctiorem re-

revertere. Hæc enim vera illa ἀνακύκλωσις est, quam hodie Salvator noster nos docuit, ut ad ortum nostrum & illam pristinæ aureæq; simplicitatis ætatem, in ipso hoc temporum nostrorum cursu, revolvamur. Quare, si sapere velimus, PUERILIS illa in DIVINIS SAPIENTIA, doctore DEO nobis amplectenda est, ut sana de rebus divinis intelligentia veraque pietate mature imbuamur. Ex utraque enim vera Christiani hominis lieneamenta ducenda sunt. Ac primum quidem puerilis illa sapientia præcipue in divinis inepta ridiculaque videatur illis, qui Giganteo spiritu omnium divinarum humanarumque rerum scientiam se complexos gloriantur. Verum hos, quicunque demum illi Aretalogi & θεριστῆρες sint, vel cum Phrygibus sero sapere, vel ne quidem ultra pueros sapere, & ad eorum scholas ablegandos existimamus. Sunt è Philosophis Virisque doctis, neque sane reprehendendi, qui pueros sibi ac naturæ suæ relictos, nondum Sophistarum opinionibus imbutos, plus in rerum naturalium principiis sapere, quam magnos Doctores arbitrantur. Videmus non exigua sæpe voluptate, quas illi de rebus ideas sibi forment, quas animis notiones imprimant: has enim quasi ἐννοίας & προλήψεις, æternæ lucis scintillas, secum circumferunt; quæ progressu ætatis opinionum ignibus fatuis, & quibusdam quasi præstigiis obnubilantur. Suæ sunt scilicet omnibus scientiis & arti-

tibus præstigiæ, in quibus hærent μετέωρα ingenia, quibus sibi aliisque imponunt, nubem pro Junone amplexa; & bona fide fraudes, quibus decipiuntur, in alios transmittunt. In divinis eo magis puerilis illa Sapientia laudanda est, quò minus illa sibi sapit, sed DEO, Patri suo, adhærens, ejusque nutus observans, à via illa divina & regia ne latum quidem ungvem sibi discedendum arbitratur. Pendet ab ore Magistri sui puer discipulus, à DEI Parentis præceptis & mandatis Puer Christianus, atque illis limitibus omnem suam sapientiam circumscribit. Quæ extra illam orbitam fertur, contrario motu incedit, & quasi è centro suo dejecta errorum vorticibus circumducitur. Quare inter Puerilis hujus Sapientiæ characteres referendum è monito Apostoli est: *Non plus sapere, quam oportet*, & quod alio loco ille inculcat, ne *prudentes simus apud nosmetipsos.* Modice itaque primum sapere, nostram deinde abjicere sapientiam jubemur. Ut in humanis & naturalibus quædam sciendi intemperies est, qua nos aliosque inutiliter fatigamus; ita in divinis sciendi intemperies cum periculo summo conjuncta est, quibus si nos lucem inferre nostram conamur, nebularum vertigine excœcamur, aut ingenii alas, quemadmodum pyraustæ, temerario ad lucem hanc accessu comburimus. Illa vera, illa puerilis in divinis Sapientia est, quæ se DEO & luci divinæ ejusque arbitrio totam permittit. Hic o-

omnis illa mentis nostræ sagacitas abjicienda, omne animi lumen in accessu ipso exuendum est, ne quicquam nobis tanquam à nobis sapere velimus. Magnus ille animi morbus est, quo ultra quam par est cœlestem sapientiam δοκησίσοφοι venamur: qui totum humanum genus à primis Parentibus funesta contagione infecit. Quam primum enim illi, serpentinis suggestionibus aurem commodantes, DEO pares sapientia fieri cupiebant, ab isto puerilis sapientiæ fastigio in errorem, miseriarum, tenebrarumque abyssum dejecti sunt, ut & vero rerum naturalium sensu orbarentur. Quemadmodum in Parentis sui familia vivit, Puer filius, ut jussa ejus observet, ad quosvis ejus nutus paratus, ut omnibus obsequiis amorem ejus conservet, & ne vultu quidem offendat, domestica administratione securus; ita in divino amore nobis subsistendum, in divina voluntate nobis acquiescendum est, cæteraque, quæ ille voluit nobis esse abscondita, ad nos non pertinere arbitremur: ne vel providentiæ divinæ obniti, aut illam curiosiore, quam fas est, oculo rimari videamur. Si qui sunt ad intima consilia admissi Prophetæ, Apostoli, illis hanc prærogativam ne invideamus, neque pari cum illis loco esse contendamus; neque has nobis partes insano ausu rapiamus. Quare cum secreta cum DEO colloquia, oracula, futurorum prænotionem, visiones, geniorum commercia venantur nonnulli & jactitant,

tant, in inextricabiles labyrinthos se ipsos immergunt, & spiritu vertiginis ducti à via λεωφόρῳ ad præcipitia & horrida tesqua infatuatos animos abducunt. Nam ut Sabini quod volunt somniant, ita nihil tam stultum est, in quo non illi delirent, postquam sua semel sapientia niti, eamque divinorum oraculorum pigmentis incrustare cœperunt. Malimus ergo, Juvenes, pueriliter sapere, quam κεϱνολῃρεῖν: contenti simus hac παιδαϱιώδη sapientiâ, quæ illud αὐτὸς ἔφα sibi perpetuo præfixum habet. Nam ut in pueris balbuties & intellectus imbecillitas grata Parentibus esse solet, suspecta autem, quæ ætatem illam anteverterit, ingenii maturitas? ita vel DEO ipsi puerilis illa sapientia, etiam, cum multum insipientiæ, sed innoxiæ, admistum habet, non displicebit. Si cogitationes nostræ ad illum intelligentiæ divinæ fundum non pertingant, pueros nos esse meminerimus, qui puerili vagoque impetu feramur, inque superficie rerum hæreamus: & puerili errori venia promtior futura est. Levia sunt, quæ pueri metuunt, graviorum periculorum nullus illis sensus est, rerum frivolarum jactura cruciantur, pretiosas nihili æstimant, semper tamen ἐυέλπιδες sola spe animum sustentant, & Parentum amorem bona voluntate lucrantur: cum æqualibus vero ita vivunt, ut nemini graves sint, mutuoque se amore prosequantur. Quare & pietatis hanc regulam è puerili hac Sapientia, Juve-

venes, Viri, Senes nobis præscriptam censeamus, ut DEO fidem, obsequium, amorem, præstemus; omnes omnibus pietatis humanitatisque officiis nobis devinciamus. Et senes quidem præcipue, quo magis illa veteris Adami nequitia in nobis inveteravit & insedit, ut, qui temporis acti laudatores esse solemus, novas e futuri temporis pueritia spes inchoemus. Fuere inter Judæos, qui Senes eorum puerorum halitu, qui legis discendæ causa ludum frequentant, mundos conservari crediderunt, quod purior ille esset: mundi erunt Senes, qui puerili spiritu ducti, huic se sapientiæ etiam in extrema senectute totos dicaverint. Quemadmodum enim non qui multum jactatus est, multum navigavit: ita non semper diu vixit, qui diu fuit, multosque menses, annosque vacuos habuit, & ut Rex Psaltes ait, *in circuitu cum impiis ambulavit*. Nunc ergo e tot annorum sepulchro eo facilius in novam pueritiæ vitam redeant Senes, quo minus vitæ transegerunt: qui dulci fortuna ebrii, vel nullam, vel tumultuariam inter crapulæ dolores vitam duxerunt. Illic veteris Adami exuviæ in tumulo relinquantur: hic puer Christianus, id est novus Homo, reviviscat, seque DEO Magistro in disciplinam tradat. Vos vero, o Juvenes, qui a pueritia propius abestis, in qua bonæ illa mentis aurora nitidior elucet, nondum nebulis, quæ per totum vitæ diem ex illo voluptatum & cupiditatum æstu colliguntur, obsessa, breviore ad

ad puerilem hanc ſapientiam via regredi poteſtis. Date operam, ne inter filios Agar deprehendamini: qui, ut eſt apud Baruchum Prophetam, *exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, viam autem ſapientiæ neſciverunt.* Nihil terrenæ huic prudentiæ cum divina ſapientia commercii eſt, quæ quoties divinæ ſe ingerit, eam turpi mangonio adulteratam relinquit. Non novit illam puerilis, quæ ſimplicitatem amat, Sapientia. Qua qui ducitur, nulla ne quidem ambitione pietatis, nullo ſcientiæ & ſanctitatis faſtu laborat, nullos a piorum cœtu ſeceſſus molitur, nulla ſibi regna cum Apoſtolis de primatu litigantibus promittit, omnes Phariſaiſmi colores toto animo deteſtatur, ſed ſibi Deoque vivens mortalis vitæ annos in perpetua animi tranquillitate abſolvit. Quod ſi & vos, o Juvenes, feceritis, eritis & vos in Eccleſiæ & Reipublicæ viridariis non Platani, quæ umbras tantum inani foliorum pompa ſpargant, aut luminibus obſiſtant, ſed arbores fructiferæ, quæ mala aurea ferant, unde ſua ſeri nepotes poma decerpant. Valete & vitam puerili ſapientia angelis ſimilem, quorum hodie feſtum celebramus, his in terris agite, ut olim iis ſociati perpetuos una cum illis triumphos agatis. PP. Kiloni, ipſo SS. Angelorum feſto Ann. cIↃ IↃc XC.

AD



AD HONORATIORUM EXEQUIAS INVITAMUS.

42.

EX quo primum Sapientiæ ſacrarium hoc in loco erigi cæpit, Cives Academici, vel primo hoc triennio exemplis noſtris docuimus, quam conjungi cum Sapientiæ ſtudio debeat, imo quam nihil aliud ſit ipſa Philoſophia, quam mortis meditatio, qua omnis humanæ ſcientiæ orbis Platoni continebatur. Vix menſes aliquot naſcenti Academiæ effluxerant, cum primus inter Philoſophiæ Profeſſores obitu ſuo ſignum ſuſtulit, quem ſubſecuti hinc tres bonarum artium Studioſi, & nunc eximius earum Magiſter, in tantum laudandus juvenis, in quantum pietas & doctrina intelligi poſſunt, quem hodie non ſine magno dolore noſtro componimus. Quod quamvis inuſitatum videri quodammodo queat, intra exiguum hoc temporis ſpatium tot florentiſſima in ætate juvenum ſpes præmaturo fato intercipi; quamvis tot Parentum & noſtra everti vota luctuoſum ſit: ex uſu tamen noſtro ſunt luculenta illa exempla, monentque quam ſæpe in ſummo juventutis decore

Sur-

Surgat amarum aliquid, quod in ipſis floribus angat.

Habemus nunc ipſos Diſcipulos noſtros Doctores mortalitatis, & qui effertur hodie liberalium artium Magiſter unam illam & ſumme neceſſariam moriendi artem, ut habuit ſemper ætate ſuperius ingenium, mature admodum ipſa in juventute addidicit, ut ipſos capulares ſenes hac in ſchola ἀναλφαβήτους e tumulo ſuo erudire videatur. Ita ſcilicet res ſe habent noſtræ, o Cives, quod nunc & illo & nobis monitoribus diſcite: non niſi per mortes meras vita ſapientis ducitur; nec aliter ſalva eſt ſapientia, niſi qui in nobis vivit animus ſubducere ſe ſenſim corpori & ſenſibus adſveſcat, ut demum, quæ vera vel in hac mortalitate vita eſt, ſupremæ menti conjungatur. Nunquam ergo Viro Sapienti mors gravis eſſe poteſt, qui quotidie moritur & dulciſſimam illam quietem & vitam, quam jam tum in ipſo hoc corporis ergaſtulo ab eo ſejunctus perſentit, non cum morte commutat ſed continuat, ſine ullo vel mortis vel doloris ſenſu, quem dudum pedibus conculcavit. Enimvero, ſi quid recte ſentimus, manu ſua illuc ducunt omnes Philoſophorum Scholæ, quæ in ſcientiis ſemper animum ab inferioribus illis ablactare quaſi & abducere ad ideas rerum ſupra omnem materiæ contagionem poſitas jubent. Cum orbem hunc a cœlo ad terram percontamur, veritatem inter alterna Philoſophorum & naturæ jurgia inveſtigatu-

turi, in puteo, ubi latitare illam ajebat Democritus, vel in sepulchris potius, quæ inhabitare is solebat, inveniemus. Cum silet Pythagoras, silentio suo morti suæ præludit, in animum suum, ad se ipsum, & ad numen suum secedens. Cum oculos excœcat Democritus, lucem hanc sibi invisam fatetur, quæ impedit, quo minus ad ἀόρατα illa erigatur eorumque imagines mentis oculis repræsentet. Cum in exilium abit Anaxagoras, non ab hominibus tantum & e patria urbe, vivorum, ut ajebat, sepulchro, sed & a se ipso abiit, ut ad mentem suam rediret. Ipsa ista Gymnosophistarum nuditas, non nisi terram, qua obtegeretur poscere visa est. Ipsa sapientum macies & contractus e studiis pallor docet, quam parum a cadavere distent, totaque vita moriantur. Quæcunque hic vel in utramque partem dissserimus, vel tricubitalibus illis commentariis operose inculcamus invitis etiam nobis istam moriendi necessitatem ingerunt, & quibusdam quasi signis ob oculos sistunt. Quanta hic contentione disputant multi, quid simus homines: aliqui etiam, an simus: nec, dum de eo cogitant, jam se fuisse cogitant? Quam belle etiam de duratione philosophemur, omnes tamen nostros conatus temporis antevertit vertigo, nec intelligimus miseri, cum præsentia semper exspirent momenta, nihil nobis esse morte præsentius, nosq; ad futuram illam vitam ipsis promovenibus fatis quasi pro-

pelli. Scilicet, quemadmodum ſtudiorum; ita & vitæ ac fortunæ in Orbe hoc perpetua eſt ἐγκυκλοπαιδεία, qua in orbem ſemper acti ludos quosdam quaſi circenſes agimus: quotque hic nobis ſoles occidunt, quot anni quot horæ pereunt, tot mortes vel ipſi obimus vel alios obire videmus. Qui quod perpetuam iſtam intra ſe moriendi legem non capiunt, obeſioris ſunt animi, quam ut aliquo vitæ ſenſu adficiantur. Dum enim vel in Voluptatum orcheſtra ſaltant, vel in Martis palæſtra pugnant, vel Fortunæ Sphæriſterio ut pilæ jactantur, tempus illis non advertentibus elabitur, & vita perit, antequam ſe vivere intelligant. Alii Argivo illi apud Horatium ſimiles videntur, qui ipſi ſibi theatra & ludos ſcenicos gratiſſima fingebat inſania, qua adeo ſibi placuit, ut ne gratias quidem egerit cognatis, qui hoc ei mentem errore liberaverant. Longe aberat à perverſo hoc hominum genere, & peſſimos abs ſe mores deteſtabatur ὁ μακαρίτης noſter, qui prudentum calculonum inſtar ita de vita ineunda, ab ineunte ætate, rationes ſubduxit, ut ſemper ad exitum ejus ſollicite reſpectaret. Quare operæ pretium facturi ſumus, ſi pulcherrimæ exemplum virtutis ab origine ſua ad tumulos usque deductum ob oculos vobis ponamus. *Patrem habuit* JACOBUM: *Avum,* DANIELEM, HEIDEROS: *utrumque* JCtum *celeberrimum & Syndicum Civitatis Imperialis Lindavi, quo in loco primum ducere ſpiritum cœpit Noſter, Anno ſeculi hujus ſupra quadrageſimum quinto:*

Vi-

Viros ob præclara in Remp. merita ab omnibus adamatos, variis ad diverſos Imperii Principes & ad ipſos Auguſtisſimos Cæſares, FERDINANDUM II & III *legationibus defunctos, à quibus quos retulerunt honores & titulos amplisſimos, in meritorum ſuorum ſolatium & clementiæ Imperatoriæ teſtimonium ſibi ſolis ſervare, quam in vanæ ambitionis fomentum jactare maluerunt. Mater illi fuit magnis ornata virtutibus* Matrona SABINA, JOHANNIS DORNII, *benè meriti apud Campiodunenſes Conſulis filia: Avia Materna* ELISABETA *ê nobilisſima* FUNCKIORUM à SENFTENOW *familia oriunda, ut cætera præclara utique & nobilisſima nomina ſilentio prætereamus. E laudatisſima hac ſtirpe Noſter ille genitus ab ipſa ſtatim pueritia iſtos bonæ mentis igniculos exeruit. Academiam Jenenſem* XVII *ætatis anno acceſſit, ubi â celeberrimi Theologiæ Profeſſoris* NIEMANNI *cæterorumque fidelisſima inſtitutione ſolida jecit in lingvarum & Philoſophiæ ſtudio fundamenta, ut jam tum Magnificus Reip. Lubecenſis Conſul* DAVID GLOXINIUS JC*tus Celeberrimus, &* HENRICUS SCHABBELIUS *Conſul itidem Wiſmarienſium Amplisſimus, alumnorum Schabbelianorum Patroni, dignum cenſerent, cui inſigne illud ſtipendii beneficium conferrent. Quod cum quam optime illi collocatum viderent, eum cæterorum etiam inſpectorem conſtituerunt. De cætero non facile quisquam igneam illam ingenii vim, ferventisſimum in literarum ſtudia amorem expreſſerit; quas ille tam in Giſſenſi quam in hac noſtra Academia pulcherrimas ſpes oſtenderit, quam*

ferreos labores subierit: cujus testimonia supersunt Theologica Præside Professore Theologo meritissimo SIRICIO, *& Philosophica Præside* M. ADAMO TRIBBECHOVIO, *nunc Collega nostro Clarissimo, habita in Academia Gissensi disputatio, & magna vis Excerptorum in omnibus Philosophiæ partibus, improba diligentia ab illo collecta, dum pene dies noctesque in liberis habitaret. Quorum omnium nunc quoque domesticus testis est Admodum Reverendus & Celeberrimus Collega noster* KORTHOLTIUS *cujus hospitio & informatione præcipue apud nos utebatur. Dignissimum denique Philosophiæ Candidatum se exhibuit habita eruditissima de Chiliasmo, quam ipse confecerat, disputatione Historica, præside* ADAMO TRIBBECHOVIO *Sacr. & Civil. Historiæ. Professore, & Magisterio titulo insignitus est à* DANIELE GEORGIO MORHOFIO, J. U. D. *& Eloq. Profess. tum temporis Collegii Philosophici Decano. Jamque Disputationibus de immortalitate animæ, quibus Ajuncti apud amplissimum Collegium Philosophicum titulum ambire meditabatur, conscribendis manus admoverat; cum ecce vehementissima febris præclaris obstitit conatibus, & DEUS ad æternæ veritatis scholam evocavit, ut suomet exemplo immortalitatem animæ suæ demonstraret.* Quare nescio an male precari Morbo illi debeamus, qui illum & suis & nostris vinculis solvit, ut ab omni corporis & terrenarum rerum contagio solutus, quam liberrimus ad superos evolaret. Quin potius aras Divæ & Sanctæ Febri erigimus, ut illa olim Camilla, cum tanto

to illum bono beaverit, quod pii omnes unice in votis habent, ob quod tot DEO preces allegant. Illi quidem bene eſt, nec quidquam noſtri vel luctus vel officii ad illum pertinet, noſtrarum tamen erat partium, Cives Academici, exſangve illud corpuſculum, in quo pulcherrimus ille animus hoſpitabatur, quo poſſumus honore proſequi. Cum ergo hora III funus efferatur, frequentes, quod extremum ſodali veſtro munus perſolvere poterimus, nobis etiam non monentibus, ibitis exequias, quo contentius id ipſa pietas, ipſa τοῦ μακαρίτου in vos ſtudia, denique & communis iſta, quæ inter vos omnes eſt conciliatio, efflagitant. PP. a. d. XXXI. Maji Anno cIↄ Iↄc LXVIII.

43.

QUoties ad funera deducenda noſtra Vos invitat oratio, Cives Academici; toties animos veſtros recondita aliqua doctrina, excolimus: vosq; quod ex uſu veſtro in omni vita eſt, ex humanorum caſuum documentis diſcitis, quæ animo & cogitatione ſemper oportet habere comprehenſa. Magna enim vero ſapientiæ humanæ pars eſt, quæ metuenda ſunt ſingulis, & inſperantibus ſæpe cadunt pia aliqua & divina non ſolum divinare prudentia, ſed ipſa hæc a-

liorum etiam exemplis & præceptionibus præcipere quasi & explorare. Et vero admonendi præcipue estis auresque vobis vellicandæ, dum eam ætatem degitis, quæ virium isto robore integroque confisa sangvine & præterea inter seculi malitiam & Voluptatum illecebras posita vix aliquam mortis ad animum admittere memoriam dignatur. Nec parum sane fructus & utilitatis ad vos ab illustribus redundat exemplis hominum, quorum virtus ab ipso lucere rogo incipit, & ab cineribus lacrymis omnium irrigatis ad seram posterorum memoriam germinare. Ex illorum numero ob oculos vobis nunc ponimus Nobilissimum Amplissimumque Virum, MARCUM Kohlblad/ Archivarium & Protonotarium Regio-Ducalem, quem tota nunc sibi ereptum dolenter luget Civitas, magnæ Virtutis & spectatæ probitatis hominem, quique ita vixit, ut vita ejus pro exemplo esse possit; ita mortuus est, cum viveret, ut jam cum moritur, ne mori quidem videatur. Hujus a primis adeo natalibus vitam, moresq; enarrare Viri Virtus & dignitas efflagitat. Natus is est priori exeunte seculo Anno cIɔ Iɔ XCIX octavo & vigesimo Septembris die, Patre PAULO Kohlblad/ Amplissimo Prudentissimoque Urbis hujus Consule, & ob præclara in patriam merita Civibus suis celebrato; Matre vero honestissima fœmina ANNA Berendsen/ Civis Kiloniensis Viri integerrimi BERNHARDI Berendsen filia: quibus ille parentibus

&

& lucis hujus uſuram & bonæ mentis igniculos referebat acceptos. His cum ex ſacro primum fonte frigida ſuffunderetur, per ipſam ſerpere infantiam, tenerrimamque etiam ætatem diffundere ſe cœperunt. Non defuit hic optimorum præceptorum diligentia, eosque ſollicite circumſpexerunt ſemper Parentes, quibus ad pietatem & rerum intelligentiam ducibus uteretur: Quæ & feliciter adeo cecidit, ut magnam ingenii ſpem omnibus oſtenderet & præclaros operæ ſuæ fructus jam tum Parentes magna lætitia aucti a filio ſibi pollicerentur. Poſt firmatum ſtudiorum rudimentis animum, anno 1616. ad Academiam Roſtochienſem ablegatus & JOHANNI HUSWEDELIO Profeſſori Clariſſimo in diſciplinam traditus eos fecit integro biennio progreſſus, ut ſpem Parentum cumulatiſſime impleret. Excepit hinc altero biennio illum vicina Gryphisvvaldenſis & JCti Celeberrimi MATTHIÆ STEPHANI domus & muſeum; poſtea vero Gieſſenſis, in qua per annum & quod excurrit, commoratus fuit. Nunquam hic, quod fieri plerumque adſolet, ad inania frivolaque abripi ſe paſſus eſt; nusquam inter homines perdendo cibo natos, poculorum remiges, & quibus plus palatum quam cor ſapit, ut ajebat Cato, dies vel noctes conſumere viſus eſt: ſed totis in juridicis & politicis ſtudiis habitavit, nec quicquam eorum, quæ ornant illa quam maxime, in ſe paſſus eſt deſiderari. Quæ ut experientia ipſa perfice-

ret, Spiram ſe contulit, ubi in ipſa rerum & jurisprudentiæ luce verſato multum quoque doctrinæ acceſſit, quam poſt experimenta illa iterum in Gieſſenſi Academia & denuo in Gryphisvvaldenſi feliciter adeo abſolvit, ut non ſemel a Celeberrimo JCto MATTHIA STEPHANI ad ſummos in Jurisprudentia honores capeſſendos fuerit invitatus, quos tamen, quod a ſuo inſtituto eſſent alieni, modeſte detrectavit. In Patriam a Parentibus ſuis revocato honeſtiſſime cupierunt omnes, nec aulicorum illi favor defuit, ad peritiam ejus, virtutes facillimosque mores reſpectantium. Quorum commendationibus id effectum eſt, ut Viro Nob. & Ampliſſimo RUDOLPHO Fauſten/ Archivario & Protonotario Regio-Ducali meritiſſimo, cum propter affectam ætatem perfungi tam gravibus laboribus amplius non poſſet, velut altera quædam manus jungeretur. Quo vero arctius illi ſe jungeret, affinitatis præterea vinculo ſibi obſtrinxit, domum ducendo filiam ejus cariſſimam ANNAM Fauſten/ omni Virtutum genere animique dotibus ornatiſſimam Virginem. Quam præclarum hoc, quam ſvave, quam honeſtum cum adjuncta vitæ & curarum illa ſocia conſortium fuerit, dici vix poteſt, ut ſe illi ſuperſtitem, niſi quod in liberis reliqvum fuit ſolatium, ægerrime tulerit. Suſcepti hinc filii duo, & quinque filiæ, e quibus filii bini totidemque filiæ digniſſimis jam generis in matrimonium datæ acerbo funere ere-

ptæ;

ptæ; ſuperſtites vero tres lacrymis & mœrore continuo pene conficiuntur. Poſt Soceri ſui exceſſum Succeſſor illi conſtitutus Noſter ea fide ac diligentia muneris ſui partes per ipſos ſeptem & triginta annos executus eſt, ut perfectiſſimum ſpectatæ virtutis cumulum expleverit. Eluceſcebat in moribus ſvavitas quædam & lenitas amabilis,& in omni vita clementia atque ingenuitas: In mente illi candor, in verbis modeſtia, in actionibus integritas, in promiſſis fides, ut plane abludentem a maligni ſeculi noſtri ingenio animum habuerit, & in nullo injurius exſtiterit, niſi quod a nobis abierit. Aberat illi fucus omnis & fumus animusque duplex & varius; namque e Pythagoræorum præcepto, qui Virum bonum eſſe vel fieri unum volunt, ad ſimplicem juſtitiæ amuſſim omnia examinans omnibus eundem ſe præſtitit, nihil improborum veritus calumnias, qui cum fraudibus, præſtigiis, & perjuriis ipſi omnia agunt, parum efficaces habent & tardos, qui non ſimili fallacia erga alios utuntur. Verum aures vellicavit Pietas familiaris illi Virtus,qua in Deum flagrans & homines nihil admiſit unquam, quod bonæ menti, ſanctiſſimisque legibus erat adverſum. Oborta illi jam vitæ quædam fuit ſocietas in cadaveroſo mundi ſpectaculo, & pulcher ille animus ad aliam illam vitam, cui nati, cui facti ſumus anhelavit. Ingreſſus eſt hanc mortalitatis ſemitam tentabundus,& gradu ſuſpenſo quaſi in cœnoſa via ſummis pe-

dum digitis, ceu in loco Ædilem metuente incessit. Subierunt demum, cum senectute morbi, animique ægritudines, quas filii unici superstitis PAULI RUDOLPHI in Gallia peregrinantis obitu præcipue contraxerat. Ex eo enim tempore, cum fallerent illum præclaræ spes, quas de egregio juvene conceperat, cum animo deficiente, vires etiam corporis sunt imminutæ. Quare simulac portio illa pectoris ab illo fuit divulsa, pectoris angustiis vehementius laborare cœpit; quasi apud se habitare non posset spiritus, ab altera sui parte magna quadam naturæ vi & propensione attractus. Quod ergo Vitæ bene peractæ gloriosum restabat corollarium, feliciter placideque, inter lacrymas suorum & preces ardentissimas exspiravit, postquam ipsum mortis suæ momentum, eo ipso die, animo divinitati jam propinquo prædixerat. Ad binos enim horæ mediæ undecimæ (eam enim nominaverat) pulsus, binis singultibus animam efflavit, simulque nonum & sexagesimum ætatis suæ & seculi annum implevit, post magnam illam sex annuarum decadum hebdomadam septuagesimi anni sabbathum cum filio suo in cœlis celebraturus. Ceterum nos quibus triste sui desiderium reliquit, hodie hora II. ejus quod reliqvum est, efferemus. Agite ergo Cives Academici, & bono pioque Quiriti, qui leto jam datus est, supremum persolvite officium. Præterquam enim quod impense vos invitamus, impellere vos ipsa

pſa beatiſſimi Viri ob oculos nunc poſita, quamvis ex oculis ſublata Virtus, ipſe Familiæ Generorumque funus procurantium eximia dignitas debet; ipſa denique humanitas veſtra, ne ſegniores in officio exequendo deprehendamini, vos admonebit. P. P. ſub Sigillo Academico. d. 25. Jun. Anno clↄ Iↄc LXIX.

44.

VEtus illa eſt hominum de miſeriis vitæ humanæ moriendiq; neceſſitate querela, ſed ſtulta ſi Chriſtianam ſequimur philoſophiam, & iniqua. Quid enim perverſius eſt & ineptius, quam magnam DEI immutabilemque legem de moriendi neceſſitate latam: MORTE MORIERIS, criminari, aut inanibus proſequi lamentis? Veriſſimum illud eſſe decretum tot ſeculorum conſtat experientia, tot humanorum caſuum univerſæque naturæ exemplis quotidie docemur. Dubitare de eo mulier prima omnium viſa eſt in colloquio, quod cum ſerpente inſtituit; dum ait: NE FORTE MORIAMUR. Diabolus vero ſua contradictione NEQVAQVAM MORIEMINI, & credulam mulierem decepit, & in extremam perniciem totum humanum genus præcipitavit. Moriendum ergo nobis eſt, & hanc nobiscum natam legem animadvertimus, quanquam plurimi ſint quorum in animo

mo Diaboli illa vox hæret, quibus Hieronymi iſta querela merito occini queat: Quotidie morimur & tamen æternos nos eſſe putamus. Ea enim invaſit multorum animos ſecuritas, ut ad tot funerum deductiones cæci, ad tot præficarum leſſus ſurdi, ne meminiſſe quidem ejus temporis ſuſtineant, quo e vita ſibi migrandum, rigidiſſimique Judicis decretiora ſententia exſpectanda. Si per univerſam hanc mundi compagem oculos circumferamus, ubique rerum matri Naturæ ſuum parari ſepulchrum videmus, quotque ſplendidiſſima illa ſolis lux radios accendit, tot faces ad mortem præferre & omnia ſecum in occaſum rapere videtur. Quin illa ipſa vita noſtra continuis ducitur mortibus, dum anni annis ſuccedunt ætasque alia ætate jugulatur, cogitationes cogitationibus interficiuntur. In miſeriarum hereditariam poſſeſſionem, quando naſcimur, mittimur, & ex utero tanquam e carcere quodam eductis vita hæc via eſt, per quam ad locum imus, in quo extremum a nobis ſumitur ſupplicium. Quare ſolet Chriſtianis animis generoſa aboriri vivendi impatientia, dum mundo ſubducti aliam ingrediuntur vitam morti vel in ipſa morte non obnoxiam. Numerari inter illos ſuo quoque jure poteſt Vir Reverendus & Clariſſimus JOHANNES BRAUER, ad D. Nicolai hic Archidiaconus quondam vigilantiſſimus, quem nunc in tumulum, alterum illæ magnæ matris uterum

fe-

ferimus, a quo ad alteram illam vitam novus cœli civis naſcatur. Natus ille Parentibus hac in urbe honeſtiſſimis ſpectatæque integritatis e mercatorum ordine præcipuis, qui ortus ejus Pythagoræ illud in memoriam Noſtro revocare poterat, quod tota noſtra vita mercaturæ ſimilis ſit publicisque nundinis, in quibus bona ſua Dii vendant laboribus. Nec immemor ejus juvenili ſtatim ætate ad Roſtochienſem & Gryphisvvaldenſem Academiam, velut ad mercatum quendam bonarum literarum abiens non exiguos inde fructus reportavit. Hinc muneri Eccleſiaſtico in Exercitu Epiſcopi Bremenſis Anno 1643. admotus non ignobilem Eccleſiæ militantis alumnum, nec ſegnem in præliis Domini athletam ſe exhibuit. Habuit certe hic ob oculos ſibi poſitam omnis vitæ humanæ faciem, quam militiæ ſimilem non ſemel pronunciant divinæ literæ. Quare & toto vitæ ſuæ tempore eoque maxime, quo in Patria ſacro vacavit muneri, quod biennio poſt ſuſcepit, Chriſtiani militis partes optime egit. Noverat n. quotidie ſibi ſecum ipſo in arenam eſſe deſcendendum, cum affectibus rationis arcem obſidentibus pugnandum, nec niſi per inteſtina hæc bella ſalutem & victoriam obtinendam. In mundo perpetuam ſibi palæſtram paratam vidit, ut illius tandem pertæſus ad cœleſtem illam Jeruſalem, veræ æternæque pacis viſionem adſpirarit. Triumphavit denique. poſtquam & mortem, quem noviſſimum hoſtem

ſtem vocat S. Paulus ardentiſſimo prælio, in ipſis venis, inter vitales ſpiritus a febre an maligna, an benigna excitato, devicerat, Placide ergo octavo Septembris die, ætatis anno ſeptimo & quinquageſimo, poſtquam per ipſos quatuor & viginti annos munus ſacrum fideliter geſſerat, magno in civium ſuorum animis relicto deſiderio, e vita exceſſit, ſi excedere vita dicendus, qui per mortem ad alteram vitam renaſcitur. Nam dubitare non ſolum de ejus morte cum magna humani generis matre poſſumus, ſed & ipſam Diaboli vocem, NEQVAQVAM MORIETUR pio ſenſu de eo pronunciabimus. Luget tamen illum ſibi ereptum uxor mœſtiſſima, omni virtutum genere ornatiſſima femina, DOROTHEA Langemaken / infelicior nunc, tum quia ſecundum vidua (nupta enim anteceſſori ejus M. CHRISTIANO FREIMANNO olim fuerat) tum quia tam placidum amoris vinculum non ſine magno doloris ſenſu rumpitur. Luget eum eximiæ ſpei filius JOHANNES, qui Jenæ jam ſtudiis operam navat, tresque filiæ, IDA, MAGDALENA ELISABETA, MARGARETA, quibus Paterni nominis memoria nunquam animo delebitur. Quare cum humanitatis leges a nobis efflagitent, ut his doloribus afflictos ſolemur, facere id vos, Cives Academici, aliqua ex parte poteſtis, ſi extremum officium funeri, quod hodie hora II. pomeridiana effertur, perſolvatis. Quod uti vos facturos non dubita-

itamus, ita ut facere ſedulo velitis, peramanter officioſeque rogamus. PP. ſub Sigillo Academ. d. XII. Sept. Anno cIɔ Iɔc LXIX.

45.

SExtus jam ipſe menſis exit, *Cives Optimi*, nec ex animis veſtris effluxit ejus diei celebritas, quo in ipſo ſanctiſſimi Numinis domicilio, in ornatisſimo ſplendidiſſimis aulæis ſuggeſtu, Nobiliſſimo, Amplisſimoque Viro, CÆSONI GRAMMIO oblatum Ordinis literarii principatum gratulati ſumus, votaque pro ſalute ejus nuncupavimus. Circumſonare etiamnum aures noſtras nobis videntur, illi turbarum clangores, feſtæ plaudentium voces: quas inter, purpureâ epomide, ſceptrisque, quæ purpurati prætulere miniſtri, ſpectabilem domum deduximus. Nunc verò, quam rerum ſit immutata facies, triſtiſſimum vicisſitudinis humanæ, quod ob oculos vobis verſatur, ſpectaculum commonere vos poteſt. Quis enim fore unquam credidit? ut quem lætabundi olim inter campani æris ſtrepitus ad ædem ſacram deduximus, illi, cum deducendus nunc denuo eſſet, ut eo, quem acceperat, Magiſtratu ſe abdicaret, funus duceremus. Purpurati tum præibant Pro-Rectorem ſuum Miniſtri; nunc illi feretrum pullati præcedunt: Geſtabant erecta Academiæ Sceptra,

ptra, ampliſſimi honoris inſignia; nunc inverſa tenent, atque ad terram inclinata: Publicæ tum lætitiæ; nunc luctui noſtro æra ſonant. Tum vocum ac modulorum ſvaviſſimis concentibus feſtum lætumque erat templum; nunc illud planctu lamentisque triſte eſt & horridum. Ibat tum Ipſe, atque hoc ipſo adire die templum debebat, inter aſſectatores Collegas puniceo ornatus amiculo: nunc ille, feretro hoc recumbens, veſte ferali amictus, non in ſuggeſtum, ſed in tumulum, veſtris, Cives Academici, humeris effertur; a nobis, non jam ut olim, exporrectis in lætitiam frontibus, compoſito ad hilaritatem habitu, ſed dejectis mœſtiter in terram vultibus, ſed facto ad ſqualorem luctumque veſtitu deducitur. Quis præcipere cogitationibus auſpicatiſſimi Magiſtratus triſtiſſimos hos eventus potuit? Quis ex iſto, quod humeris ejus circumponebatur, oſtro, velut ex ipſa ſuſcepit regiminis aurora, has infandi doloris umbras, hanc acerbiſſimi funeris noctem divinare tum potuit? Nobis vero, quibus inſperatum hoc objectum funus eſt, ut e cariſſimi capitis interitu, maximus oboritur dolor; ita diſſimulare illum veſtro in conſpectu non poſſumus, & ut olim effuſione animi lætitiam, ita nunc ejusdem contractione ægritudinem noſtram teſtificamur. Nullius enim e noſtris obitum dolentius comploravimus, quam ejus, cui juſta hodie facimus, ejusque magnas habemus cauſas & juſtiſſimas.

Et-

Etenim quam alii ſimplicem ac privatam dolendi cauſam habent, dum liberi parentem, uxor maritum, ſocer generum, affines affinem ſibi ademtum delamentantur; nos publicam habemus, dum veſtrum vos Doctorem, nos Collegam noſtrum conjunctiſſimum, atque hujus ampliſſimi Senatus Principem nobis ereptum lugemus. Cujus in luctus ſocietatem ipſe etiam Dominus noſter Sereniſſimus, qua fertur in nos clementia, venire dedignatus non eſt. Quia enim Noſter hoc in regno perſonam ejus vivus circumferebat, nunc in ipſo ſuo funere ejus per Legatum Excellentiſſimum præſentia cohoneſtatur. Nec poſtremæ hoc in luctu partes dandæ ſunt ampliſſimo Philoſophorum Ordini, tum quia propiori illi conſortio juncti fuerunt; tum quia alterum hunc primo Academiæ octennio Collegam letho datum vident. Primi enim illi inter nos e ſtatione ſua emigrarunt, & humanitatem profeſſi, nihil a ſe humani alienum ſuo exemplo monſtrarunt. Cumque ſub ipſa Academiæ auſpicia in Beati *Watſonii*, quæ tum parabantur exequiis parentaret *ὁ μακαρίτης* noſter GRAMMIUS, ab ipſis fatis ad hoſtiam quaſi ſuccidaneam viſus eſt deſignari. Vos quoque, Cives Optimi, in Doctoris veſtri jactura, intimis angi ſenſibus non dubitamus; cujus in ipſo ætatis flore erepti, præclara præcepta in ipſa jucunditate fructuum nunc ſubamareſcunt, dum memoriam refricant ſvaviſſimæ converſatio-

nis. Quem fide summa atque diligentia Naturæ vobis adyta recludentem rerumque caussas vobis inculcantem audivistis, is nunc hoc extremo velut complemento disciplinæ suæ fundum omnem emensus est: dum in ejus investigatione spiritum ponens Naturæ debitum persolvit: quæ in puero juvenem, in juvene virum, in viro senem absolvisse, atque ultra fines suos nunc ablegasse videtur. Qui ergo scientia vos augere vivus, nunc exemplo suo potest mortuus, unde vitæ etiam rationes vos subductas habere nostra admonitione potestis. Illi quidem exiguum Vitæ curriculum Natura circumscripserat: quod, licet omne quis ævum pervixerit, ob artis amplitudinem, brevissimum Hippocrati videbatur: ea tamen doctrinæ suæ, paucorum annorum decursu, complevit spatia, ut in media ætate grandævæ etiam artis gloriam præciperet. Editus in hanc lucem est anno a CHRISTO nato supra millesimum & sexcentesimum quadragesimo, die Margaretæ sacro, in munitissimo Holsatiæ oppido Tonninga, honestissimis parentibus, CHRISTIANO GRAMMIO, Cive ejus loci & Mercatore, ac CATHARINA, Viri Reverendi Presbyteri Milstediensis CÆSONIS HAGGII filia, quam ille e conjugio cum Admodum Reverendi, Nobilissimi atque Amplissimi Viri CÆSONIS AB EMINGA Canonici, atque in Gymnasio Schlesvicensi Theologiæ Professoris rum meritissimi nepte susceperat. Ab his Viris

ris & doctisſimis, & Reverenda dignitate conſpicuis CÆSONIS illi prænomen impoſitum eſt: GRAMMII nomen a prædio quodam Jutiæ GRAM, per Majores ejus, qui illic habitarunt, & quorum accurata adeo haberi notitia nequit, in Noſtrum hunc pie defunctum traductum eſt. Primas in tenero animo bonarum artium lineas duxit, Scholæ Huſumenſis tum temporis Con-Rector, nunc Schleſvicenſis Rector M. ABEL FINCKIUS, cujus ille fidem diligentiamque, non immemor præſtiti beneficii diſcipulus, vivus ſemper prædicavit. Ex ejus manu quaſi & ſinu Scholæ Lüneburgenſis ad D. Johannis Con-Rectori traditus profligavit indies, ac bene in literis, lingvis, artibus inchoata percoluit. Quibus optimæ indolis ſpeciminibus facile effecit, ut ſuſpicerent illum Condiſcipuli, amarent Præceptores. Eisdem tum literis initiabantur Generoſisſimi Domini ALBERTI BALTHASARIS BERNHARDIDÆ Hereditarii in Wansbeck duo filii, cum GEORGIO SEGERO, Medicinæ nunc Doctore ac Phyſico Thorunenſi, ſtudiorum moderatore eo misſi. Quorum in familiaritatem a condiſcipulatu ut intraret, morum facilitate ac indolis ſuæ elegantia non difficulter effecit. Eaque arcta adeo inter illos contracta fuit, ut nec diſceſſu ſuo diſtrahi illam pasſi fuerint. Quare quem hactenus a ludo literario ſodalem in ipſa ſtudiorum incude poſiti habuerant, eum quoque in Altorfinam Academiam comi-

tem ſponte ſua ſibi adſciverunt. Eo itaque ſe trajecerunt, poſtquam eas, quæ interjacent urbes, natura, ſitu, ædificiorum pulchritudine inprimis nobiles accurate perluſtraverant. Hic NICOLAI RITTERSHUSII, Celeberrimi JCti & Philologi CONRADI Filii, Juris Profeſſoris ac Philologi clarisſimi, domicilio ac convictu uſi fuerunt. Cujus nomini primam ſuam diſputationem conſecrare noſter voluit. Publica ille præſtantisſimorum Medicorum HOFMANNI & NICOLAI; privata SEGERI doctrina imbutus, non leviter timideque pulcherrima hæc ſtudia ligurire, verum ſic celeriter avideque, quaſi diuturnam explere ſitim cupiens, arripere viſus eſt. Per ipſum hic biennium commorati, perſpectis prius, quæ erant in confiniis, pulcherrimis, florentisſimisque Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Helvetiæ urbibus, Academiam Baſilienſem conceſſerunt. Hic tres admodum annos Philoſophiæ diſciplinis, artique Medicæ Noſter impendit, BAUHINI, STUPANI, ZWINGERI aliorumque Virorum doctiſſimorum monitis ductus. Prima illi ingenii fœtura, de Naturæ abortibus, Monſtris ſcilicet, docta diſſertatio, JOHANNE ZWINGERO obſtetricante, in lucem edita eſt, cujus poſt auſpiciis ſummos in Philoſophia honores Competitorum ſuorum ſignifer ac princeps obtinuit: quibus ut ultimum accederet complementum, de rarioribus quibusdam problematibus, ipſe eruditæ velitationis archite-

tectus atque moderator, anno ætatis XXII. ſ-
putavit. Dici non poteſt, quam honorificis
elogiis e complexu cariſſimorum ſibi Docto-
rum, quamque ægre dimiſſus Noſter fuerit,
cum in florentiſſimam artium literarumque
matrem Galliam iter ſuum dirigeret. Quo per
vicinas urbes inſtituto, primum Lugduni ali-
quantum ſubſtitit, contracta cum Parabolano
quodam ejus loci amicitia. Hic in Noſocomi-
um, velut in Morboniam quandam ſe ipſum
ablegavit, ut quaſi compendio quodam tot
ſparſa per populos, urbes, domos morborum
mala, oculis ſubjiciens, altius eorum ingeni-
um penetraret, & cominus eos, in rem ipſam
deductus, aggrederetur. Hinc ad ipſam Regni
principem urbem Lutetiam contendit, notataq;
illic tam ingeniorum quàm operum elegantia,
poſtquam Viris illic doctiſſimis innotuerat, illã
Galliæ percurſationem abſolvit, inque reditu
vel potius reverſione ſua non paucas Galliæ,
Lotharingiæ, Germaniæ urbes celebratiſſimas
pervidit. Cæterum quos ille hac è peregrina-
tione fructus ceperit, teſtari liber commen-
tarius poteſt, quo omnia, quæ vel in Bibliothe-
cis, vel in Muſeis, rariora ac ſingularia offen-
derat, vel è doctiſſimorum Virorum conſue-
tudine exploraverat, diligentiſſime conſigna-
vit. Nihil itaque amplius reſtabat, quam ut
publico Collegii Medici ſuffragio, titulisque
ordinem hunc decentibus, ſtudiorum ſuorum
formam expletam haberet. Qui in Lugdu-

nenſi Batavorum Academia cupide cumulateque dati ſunt, poſtquam enucleatam de Syncope diſputationem ingreſſus fuerat. Illis ornatus ubi ſe Kilonium retulit, non difficulter in amorem ſui pellexit Nobiliſſimam Lectiſſimamque Virginem, DOROTHEAM CHRISTINAM, Plurimum Reverendi Clariſſimique Viri M. FRIDERICI JESSENII Paſtoris ea in urbe primarii, omni virtutum genere ornatiſſimam filiam, nunc viduam heu! mœſtiſſimam. Qua cum jus ille matrimonii caſtum, legitimumque ad extremum usque ſpiritum ſanctiſſime cuſtodivit; quam tenerrime amavit, adeo quidem, ut nunquam cum illa in gratiam redierit, cujus pulcherrimi amoris viva ſpirantiaque documenta habemus, filium unum, tresque filiolas, quibus immaturo hoc Parentis diſceſſu, ſpes omnes proſtratæ, omnia humana quidem præſidia ſublata videntur. Circa idem tempus, cum hoc divinæ humanæque ſapientiæ ſacrarium in urbe ſua Kilonio (cujus Noſter ille ſitum, ac elegantiam delineare juſſus erat) exſtrueret Sereniſſimus noſter Princeps, non exiguas ejus in hoc eſſe partes clementiſſime voluit. Nam cum Phyſiologiæ ac Græcæ Lingvæ illi ſcholam daret, in hujus Univerſi omniumque elegantiarum poſſeſſionem vocare videbatur. Quam Spartam, qua fide & diligentia tam publicis quam privatis diſſertationibus exornat, pervulgatum apud vos eſt, *Cives Academici*, nec longa ab nobis ora-

ra-

ratione commemorandum. Quam jucunda cum illo Collegis conſvetudo converſatioque fuerit, quam ille in omnibus vitæ partibus moderatus, honeſtus atque integer, & ſuam tractare perſonam & pertractare aliorum animos noverit; teſtari omnes poſſumus, quibus e prioris illius neceſſitudinis imagine, quæ ante oculos nunc ſubit, inflictum illud doloris vulnus recrudeſcit. Ut breviter ac luculentis Comici coloribus depingamus:

Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cumque una, iis ſe dedere,
Eorum obſequii ſtudiis, adverſus nemini,
Nunquam præponens ſe aliis. Ita facillime
Sine invidia laudem invenit & amicos pares.

Denique & artem illam ſalutis humanæ præſidem mira exercuit diligentia: cujus tot apud Viros tam nobilis quam plebeji ordinis ſuperſunt argumenta, ut non paucis ſalutiferæ illæ manus non exiguis jam tum adverſus morbos præliis, deque iis tropæis ſpectatæ, deſiderentur. Sed & illi accidit, quod plerumque uſu venire ſolet, ut lucernæ inſtar, quæ aliis lucendo ipſa conſumitur, ipſa inter officia illa conficeretur; ac, quibus alios ſæpe mortis faucibus eripuerat, ſibi imbellia ac inermia arma ſentiret. Cum enim paululum eſſet a ſanitatis ſuæ cura omiſſior, ac ad medicamentorum uſum ſegnior, procedentibus ſenſim, quibus debile corpus fatigabat, laboribus, ipſe non advertens, & cauſam morbo ac fomenta ſug-

gesſit. Qui barbarus utique, ut barbarum, ipſi Scorbuti nomen eſt, cum inſidiari literatis ac barbariei omnis oſoribus ſoleat; nec Noſtro pepercit, ſed ipſa illius viſcera, antequam idonea illi tela obverteret, occupavit. Cum illo ſuperiore anno graviſſime conflictatus vix tantillum reſpiraverat, cum jam per cuniculos iterum adreperet, ipſam vitæ arcem invaſurus. Nam poſtquam & ſtomacho male eſſe cæpit, illeque viribus coquendi deſtitutus, qui ingerebantur, cibos regereret, omni hinc vitæ ſucco tabeſcente, fatuis vero humoribus ingraveſcentibus, nulla medicamentorum vi coercendis, animum in ipſo etiam mortis articulo compoſitiſſimum, non ſine maximo religionis ſenſu, inter lachrymas complexusque amicorum, in manum Sanctiſſimi Salvatoris ſui die Septembris XXI. placidiſſime exhalavit, cum ætatis annum ageret tertium & trigeſimum, muneris profeſſorii octavum. Nos interim exſangvi huic corpuſculo extremum perſoluturi officium, veſtri vos, *Cives Cariſſimi*, commonefacimus officii. Quod quamquam vel non rogatos facturos vos confidimus: (neque enim quenquam inter vos adeo ab humanitatis ſenſu, ut facere nolit, alienum fore ſuſpicamur:) ut tamen facere velitis, peramanter rogamus. Valete. P.P. Kilonl. ad d. V. Octob. An. clↄ Iↄc LXXIII.

46.

QUanquam uſu venire rarius ſolet, ut florentes ætate & virium robore insignes juvenes, ad vitæ exitum ſub ipſis vocentur auſpiciis, non uno tamen nobis exemplo innotuit, Cives Academici,

medio de fonte Leporum
Surgere amari aliquid, quod in ipſis floribus angat,

ut iſta Lucretiana nunc uſurpemus. Aliquoties è noſtro ordine extulimus, non veteres colonos, quibus migrandi illud jus accidere poterat, ſed tirones & in publico Vitæ hujus ludo nondum ſatis exercitatos. Quare bono veſtro erit, ô Juvenes, ſi exemplis illis commonefacti maturè & vitæ hujus & ætatis veſtræ lubrica diſpiciatis, animosque à mortis tempeſtiva accurataque contemplatione obduratos ad quoscunq; caſus paratos ſemper inſtructosque habeatis. Nam ex quo tempore in lucem primum ſuſcipimur, & cœleſti hoc ſpiritu augemur, cum rationis uſu id nobis opera danda eſt, ut futura nobiscum fata commentantes hunc vitæ finem, velut metam aliquam, ad quam omnes tendimus, tota mente oculisque reſpiciamus. Quo plura itaque juvenes circumveniunt obſtacula, quo majora affluunt voluptatum blandimenta, quibus titillantur ſenſus, abducuntur ab divinarum

rerum meditatione animi: eo annitendum, magis eſt, ne in perdito hoc otio ante ætatem conſeneſcentes omnem bonæ mentis, vitæ mortisque ſenſum exuamus. Quod cum fieri ſæpe viderent homines ſapientes, non deſtiterunt ſalutaribus in tam proclivi erratu præceptis erigere lapſantes. Nam cum omnem Philoſophiam in meditatione mortis conſiſtere, judicarent, æqvum eſſe crediderunt, ut iis ſtudiis intenti, ſumus autem omnes, quotquot bonam mentem profitemur, quotidiana mortis imagine animum paſcerent, & à rerum caducarum contubernio ſejunctum ad divina, æterna & immortalia excitarent. Quo eventurum arbitrati ſunt, ut in ſublimitate cœleſtium rerum defixi tota mente ſvaviſſimas voluptates contrectarent, rerum humanarum, & fortunarum contemptores non tantum, ſed & triumphatores. Nam prout vel metus mortis incutitur, vel ſpes æterni boni oſtenditur: ita è duplici affectu ſuus quemque fructus, ſua utilitas conſequetur. Impiis mortis prodeſt memoria, ut à vitiis abſcedant. Infelicibus, ut à moleſtiis & miſeriis liberentur: Probis, ut in promiſſæ ſibi ſalutis ſpem erigantur: ſapientibus, ut humana hæc & fortunæ bona nihili eſſe intelligant, & divinis illis poſthabenda. Ad omnes denique ſumma, hæc redundabit utilitas, ne immemores & imparatos inveniat ille, qui è ſtatione ſua ſeu tirones, ſeu veteranos evocat Imperator. Quam

ob

ob rem felices æſtimandi ſunt, qui vel bono ſuo genio ducti longisſime quaſi è ſpecula ſupremam hanc tempeſtatem provident: vel morbis longinquis quotidie moniti in fatali lectulo, quaſi in tumulo, ſe ipſos ad placidam illam quietem componunt. Inter eos in ſingulare exemplum commemorari poteſt optimus eximiusque Juvenis, cui funus hodie deducimus. Vixit enim ita, dum vixit, ut ex moribus ejus ſuavitas: actionibus virtus, & probitas: ſtudiis diligentia & optima indoles eluceſceret: & cum diuturno gravique morbo tentatus ſemper vitam extrema per omnia duceret, ardentiſſimam omnibus pietatem probaret. Editus in lucem noſter ille JOHANNES LINDEMANNUS eſt d. XXI. Febr. Ann. cIↄ Iↄc LIII. à Parente cognomine, Ampliſſimo Prudentiſſimoque urbis hujus Senatore, & Matre MARGARETA, JOANNIS GABELII, Notarii publici filia. Non attinet recenſere hic Avos & Proavos honeſtiſſimos, ignota vobis nomina. Id certe ut notum in hac urbe omnibus eſt, ita præcipuis laudibus efferendum eſt, fuiſſe Optimi Parentis Optimum filium. Plerumque enim Parentum bonorum indolem oſtendunt liberi, & cum in ea velut in ſpeculo quodam ſe intuentur Parentes, incomparabilis illa animo voluptas oritur, quem non capiunt homines, quibus geniales has delicias natura invidit. Non immerito itaque de tali filio gratulari ſibi poterat

Pa-

Pater, quem ſua ſponte ad honeſtisſimas artes optimaque ſtudia excitatum videbat. Poſtquam itaque primas in Patria Schola lineas duxerat, Anno ætatis XVI. prudentisſimo ſane, conſilio Lubecam miſit, ut rudimenta domi inchoata illic ſub clarisſimis doctoribus perficeret. Nam cũ Magnificus ejus urbis Magiſtratus ſemper in id laudabili cura incubuerit, ut Viros ſingulari eruditionis laude conſpicuos juventuti formandæ præficeret: & ex eo bonarum literarum ſeminario præclara ſemper prodierint ingenia: rectisſimè profecto & providenter à Parente hæc primordia ſtudiorum, à quibus pendent cætera, ſunt inſtituta. Quis enim non Phidiam potius aut Polycletum, quorum ſpectata ſapientioribus peritia eſt, in fabricandis Hermis adeat, quam aliquem ex illo genere, qui, ut eſt apud Venuſinum Vatem,

Æmilium circa ludum faber imus & ungves
Exprimet & molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis ſumma, qui ponere totum
Neſciet.

Qua diligentia fundamenta illic jecerit, & quibus artibus ſe ad palæſtras majores firmarit, ex eo poſtea patuit: cum jam patiens pulveris atque ſolis in latisſimos Muſarum campos, in ipſam Academiæ lucem, prodiret. Nam cum divino & Principis noſtri beneficio faciles ſibi ad omnia doctrinæ genera aditus patere in Patria intelligeret, noluit apud exteros anxie & faſtidioſe quærere: ut ſolent quibus domeſti-

ca

ca ſordent, & omnia ignota magnifica ſunt: quod in conſpectu ejus poſitum in ſinum atq; amplexum incurreret. Quoniam itaque ad juris ſcientiam applicabat animum, quæ illi cognatæ ſunt diſciplinæ in ſocietatem ab eo cooptatæ ſunt. Eas avide arripuit, doctoresque earum Viros celeberrimos magno ſemper in pretio habuit. Memini ipſe, cum a me privatim elementa juris doceretur, agili ingenio ita omnia complexum, ut non exiguam optimorum ſucceſſuum ſpem jam tum mihi oſtenderet. Eandem poſtea telam in Academia Regiomontana pertexuit, ubi integro triennio commoratus in hanc exercitationem ita ſtudioſe ſe dedit, ut a Præceptoribus laudaretur, æqualibus exemplo præiret. Domum revocatus Anno cIↄ Iↄc LXXV. menſe Novembri, ut & rebus ſuis conſuleret, & ſumptuum faceret difficillimo iſto tempore compendium, accepit, quæ apud Ampliſſimum Virum HENRICUM Suhmen/ Reg. Maj. Daniæ Commeatuum Præfectum generalem & Quæſtorem Pinnebergenſem illi conditio oblata eſt. Nam liberis ejus præfectus, ratione, conſilio, præceptis ita mores eorum formavit, ita ſtudia eorum ordinavit, ut ægerrime a ſe demitteret. Sed pertinacior atque adeo in ipſis illi hærens viſceribus morbus laboribus ejus a primis ſtatim menſibus manus injecerat: & quanquam cum illo per intervalla utcunque in gratiam redierit, cœperunt tamen ignes ejus ſuppoſiti

cineri doloſo reviviſcere, & per totum corpus fatale ſpargere incendium. Quare ut in filii valetudine accurarent atque advigilarent magis pii providique Parentes, domum ſub hujus anni initia reduxerunt. Ex eo tempore ſemper amplior factus morbus: cumque lenta illi tabe omnes corporis vires affligerentur, nequicquam valentibus, quæ ad vim ejus infringendam adhibebantur remediis, circumſpectis rebus omnibus rationibusque ſubductis Ipſe Noſter omnium cogitationum ſuarum hanc ſummam fecit: diſcedendum ſibi eſſe ex hac vita. Quod itaque reliqvum ſibi erat in vita hac mortali temporis, omne illud in acerrima atq; attentisſima cogitatione rerum cœleſtium poſuit. Cumque omnem ſibi diluxiſſe diem ſupremum crederet: intra illud tempus bis cœleſti pabulo animæ ſuæ proſpexit, ut ſpiritus divino robore increſceret, quo magis decreſcebat exſangve corpuſculum & concidentibus ſucculentis partibus in Spiritum ipſum quaſi extenuari aut cum ipſo exire videbatur. Cum jam omnia ad finem ſpectarent, ipſo S. Johannis feſto die, & nomen illud ſuum & vitam poſiturus, tertium divino cibo recreatus ſub noctem poſtridie inter preces & lacrymas parentum ac fratrum placida & benigna morte exſpiravit, cum quartam ſeculi partem, ipſos XXV. annos, vel integro illo, ſi Deo ita viſum, non indignus, abſolviſſet. Mortalem ſe genuiſſe novit optime mœſtisſimus Parens: & cum

cum in filio vivam mortis imaginem ſibi intueri toto hoc tempore viſus ſit, nunc eo æquius feret caſum, quo illi minus improviſus atque inopinatus accidit. Vos, o optimi Juvenes, qui ſpes inchoare longas ſæpe ſoletis, exemplo hoc ſapere diſcite: atque in ipſo ætatis flore novisſima hæc cogitate. Quoniam autem hodierno die terra condetur, quod ejus reliqvum eſt, ſupremum Sodali veſtro perſolvite officium. Quod eo facietis promptius, quo impenſius vos invitamus, ipſaque humanitas, ſiquidem humani nihil alienum a vobis eſſe creditis, vos vehementius impellit. P.P. Sub Sigillo Acad. d. III. Julii. An. CIↃ IↃC LXXVII.

47.

INter illa, quæ in vita obvenire nobis bona ſolent, nihil lætius exoptatiusque eſt, quam ſi cum pia pudicaque conjuge ſvaviter viventes, dignam nobis ſobolem, domus noſtræ præſidia & firmamenta ſuſcipiamus. Quid enim dulcius eſt, quam illa amoris caſti βλέποντα μαρτύρια, ſpirantes & vultus & animi noſtri imagines, quotidie intueri? ex Dei & ſapientum præſcripto teneram formare indolem, explorare experimentis, excitare igniculos, quibus optimæ naturæ vis effervеſcat, & hac asſidua converſatione, veluti cum animæ noſtræ partibus arctius conjungi, inque il-

illas per novam aliquam μετεμψύχωσιν immigrare & quasi transfundi? ut in iis, ipsi post fata nobis superstites, reviviscere videamur. Quæ cum recogitamus, deprehendimus nihil illo Amore, quo charitates nostras prosequimur, esse exuperantius: itaque nihil dolore illo acerbius, qui a tam arcto complexu nos divellit: qualem in supremis nostrorum necessitatibus persentiscimus. Quod si enim mors ipsa partium solutio est: (nam quæ juncta inter se sunt, perpetuo durare illo in statu nequeunt:) nec illa sine dolore: quid animi parentibus fore creditis? si ipsius animi sui, non a corpore, quæ tolerabilior videri poterat, sed a sui partibus, liberis, disjunctionem, vere vel exanimes vel semianimes, experiantur. Utinam testari illud exemplo suo non posset, Vir Admodum Reverendus & Excellentissimus CHRISTIANUS RORTHOLTIUS. SS. Theol. hac in Academia Professor Primarius ac celeberrimus, Collega noster conjunctissimus, quem in maximum, e svavissimæ filiolæ obitu, luctum conjectum nunc esse meministis. In illum quidem non inermem atque nudum istius mali vis se superfudit: habet enim domi in armamentario suo parata ad profligandos hos insultus arma, non Vulcania, non Achillea, aut qua Peleus sibi placebat machæram, verum τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς, καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος: ut nos qui consolari illum cupimus, supersedere hoc labore possimus, ne clava Her-

cu-

culem juvare videamur. Quoniam vero prima in hoc conflictu coitio ſolet eſſe periculoſiſſima: non enim ſemper cum telo ſumus, aut ad depellendos inopinatos ictus ſatis inſtructi, vel voce noſtra ad motus illos compeſcendos excitabimus, atque adeo vel memorem monebimus. Amavit filiolam ſuam optimus Parens, quo affectu nihil tenerius eſt: ſed & illam amavit DEUS, atque ſuam eſſe, ſummo illo patriæ poteſtatis jure, voluit magnus ille Parens. Quam ergo iniqvum imo impium eſſet, noſtrum hunc amorem & Divinum illum, quaſi adverſis inter ſe frontibus committere, ac cum DEO in certamen deſcendere. Amat, quos in familiam ſuam cooptat Deus: & nos quidem, ſi non degeneres ſumus Summi Genitoris filii, ſi illum amamus, & ipſum, quo noſtros proſequitur, amorem amare debemus, de divino erga nos amore hoc ipſo quaſi certi & ſecuri, cum amoris noſtri etiam ſui eſſe vult pignora, & liberos noſtros, velut obſequii an amoris noſtri obſides expoſcit. Quid enim? ac hereditatis illa præceptione angi æqvum eſt ejusdem familiæ pleno jure heredes? an Deo beneficia nobis præſtita, noſtram an noſtrorum ſalutem, fortunas exprobrabimus? Dabatur hæc a DEO Parentibus ſuis DOROTHEA ELISABETA (id enim puellæ nomen erat) Anno cIɔ Iɔc LXXI. d. 4. Junii. Divinum illi munus accipere ſibi viſi ſunt, idque operam dederunt, ut proles ſua a primis ungviculis & veræ pieta-

ti & virtutibus illum ſexum ornantibus aſſveſceret, atque amabile illud DOROTHEÆ nomen in animum, in mores, in vitam ipſam, quantum per ætatulam iſtam licebat, conferret. Quam in curam præcipue incubuit tam corporis quam animi dotibus præſtantisſima Mater, ANNA KIRCHHOFIA, tam propaganda ſobole, quam ejus cultu procurando feliciſſima femina. Neque enim exigua hæc aut contemnenda fortuna Marito accedit, cum copioſa illum prole beat uxor ſvaviſſima: qualis noſtra hæc, cui vel ideo proſperitatem hanc indulſit Deus, ut tot experimentis in liberorum educatione ſpectata, novos usque, non ſuæ tantum, ſed & æternæ familiæ heredes ſufficeret. Ac volupe ſane eſt intueri, quam pares illi & æquales amoris ſui fructus perceperint, & pares eorum partes per quandam veluti ἰσονομίαν præceperit Deus. E decem enim quos hactenus alternante quaſi fortuna, in lucem ediderunt, liberis, pari ad ſexum numero diſtinctis, infantulum primo HENRICUM CHRISTIANUM, & nunc puellam DOROTHEAM ELISABETAM, velut utriusque ſexus primitias recepit Deus. Quas ipſi invidere, qua fronte auſint Parentes: cum & major illis pars ſalva ſit: & e pueris non confirmatioris ætatis aliquem, ſed a partu recentem: e puellis vero eam ſibi vindicarit, quæ continuis agitata morbis quotidiana pene morte perire videbatur. Huic (ut ad illam redeamus) Avus paternus obtigerat

CHRI-

CHRISTIANUS KORTHOLT, Civis Burgenſis in Inſula Femaria primarius. Avia Paterna femina ornatiſſima DOROTHEA PECHLINIA, Avus maternus etiamnum ſuperſtites HENRICUS KIRCHHOF Civis Roſtochienſis ſpectatiſſimus, & primariæ Ædis ſacræ Curator induſtrius: Avia materna ANNA Blüten/ omni virtutum genere conſpicua matrona. Quibus honeſtiſſimis utique natalibus optime augurari Noſtræ licuiſſet, niſi cœlitum genti ſuæque Civitati jam dudum Deus illam deſtinaſſet. Quare cum miſeram & lenta tabe infectam vitam per ipſos ſeptem annos traxiſſet, quandam ſpirantis mortui effigiem referens, tandem hebdomadico illo anno peracto, ac octavo nondum impleto, atque adeo breviore annorum via, & velut ſaltu, ad cœlum properavit, Anni cIↄ Iↄc LXXIX. menſisque Februarii die IV. hora X. veſpertina, redonanda DEO ſuo DOROTHEA, atque idem illud nomen, cujus in faſtis noſtris pene eodem tempore celebratur memoria, faſtis cœleſtibus, illis Æternitatis tabulis ac libro Vitæ illatura. Sequatur ergo nunc Agnum illa ſuum Agna, Virginem Sponſum Virgo, Virginumque ſanctisſimarum, quas *illuſtriorem portionem gregis Chriſti* Cyprianus vocat, ſodalis pulcherrimos Deo hymnos occentet: quæ hic inter nænias, quas ad ſomnum ſororculæ ſuæ conciliandum, ipſa ferali illo ſomno componenda, atque adeo ipſo in mortis cantillabat articulo, exſpiravit. Ejus

quod reliqvum eſt hodie hora II. efferetur. Quare Vos, Cives Academici, adhortamur, ut dulciſſimæ puellæ exequias decenter ac prolixe exequi velitis, idque efficere, ut e pietate veſtra Collegæ noſtro, Præceptori veſtro aliqua dolorum fomenta accedant. P P. ad d. XII. Februarii Ann. cIↃ IↃc LXXIX.

48.

QUartum ordini noſtro, Cives Optimi, intra XIV. hos, quibus Academia ſtetit, annos, vulnus infligitur: cum Admodum Reverendus & Amplisſimus Vir PAULUS SPERLINGIUS SS. Theol. Doctor, Profeſſorque meritiſſimus, Collega noſter honoratiſſimus, ac Præceptor non veſter tantum, ſed totius olim Holſatiæ laudatiſſimus, luctuoſo nobis funere effertur. Nam quanquam Viri illius mors nec ipſi immatura, neq; nobis improviſa cecidit: fruſtra enim ab illo quatuor annorum, in extrema hac ætate, morbo continuo uno, ſalutis aliqua viriumque recuperatio ſperabatur: diſſimulare tamen & publicum & noſtrum dolorem non poſſumus, cum inſignia Viri illius merita maximæque dotes animo obverſantur. Quis enim, cum in mentem venit illius temporis, quo Juventutis Patriæ Rex quidam & Imperator, artium ac lingvarum commune oraculum colebatur, non in-

intelligat, omni laude, prædicatione, literis monumentisque decorandum eſſe optimum Senem noſtrum: Cujus in ſinu primum enutritæ Muſæ, in hanc tandem Civitatem ſuam immigrarunt. Quod ſi dignas Præceptoribus gratias referri non poſſe judicavit, qui orbem terrarum nominis ſui gloria impleverat Alexander; quo honore, quibus præmiis ornandum exiſtimatis Viri iſtius memoriam? qui non ſuæ tantum gentis homines, ſed & externos, ſed & Principes ac illuſtres, atque adeo eximios omni ex ordine, & hoc ampliſſimo quoque Collegio, Viros ſibi habuit obnoxios: nam & illi, quorum celebrata ſpectataque omnibus eruditio feliciſſimam Magiſtri ſui culturam oſtendit, ſvavem nunc recordationem ejus habent, & æternos ſe ipſi debitores profitentur; Quo magis veſtri hoc officii eſt, Cives Optimi, verſare nobiſcum in animo ſplendidam doctrinæ imaginem, ut qui ſcientia ſua vos auxit vivus, nunc etiam exemplo ſuo erudiat mortuus: cum illum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων in hac vitæ ſuæ veluti tabula depictum exhibemus. Ut enim multa hæc habet inſignia & commemorabilia; ita vel ex ipſa eorum narratione ad ornandum juvandumque vitæ uſum non pauca deprometis. Nihil magis ad vitæ felicioris auſpicia facit, quam bene naſcendi ſors, quæ & NOSTRO obtigit, ut eo ſe nomine beatum non immerito ſæpe prædicarit. Nam & florentiſſima Viris, opibus, commer-

ciis, literis Germaniæ Civitas HAMBURGUM illum in lucem edidit, ANN. cIↃ IↃC V. IX. Novembris die, ac Parente natus est, qui ut vivendi fuerat, ita & bene vivendi autor futurus erat. Non tam de filio sibi nato gratulabatur Philippus, quam de oblato filio suo Aristotele, quem vel Regiæ nativitatis gloriam post sapientis disciplinæ fortunam putasse accepimus. At NOSTRO, ut Parentis, ita Præceptoris Optimi, cui similem Germania tunc vix habuit, cum ipso natali sidere felicitas adfulsit. Fuerat ille Flensburgensis primum, hinc Hamburgensis Scholæ per ipsos triginta annos Rector, ac Eloquentiæ præterea in celebratissimo ejus urbis Gymnasio Professor meritissimus: Cujus e ludo velut ex equo Trojano gregatim procedens, per omnem Germaniam, Daniam, Holsatiam, Sveciam, virorum doctorum populus diffundebatur. Postquam ad sacrum regenerationis lavacrum, hereditarium illi a Patre, & Avo, Consule Eckernfordensi PAULI nomen inditum est, una cum ipso patriæ virtutes transfusæ videbantur. Omni primum opera studioque tum Pater ejus optimus, tum Mater, omnis generis virtutibus ornatissima, & honestissimo edita loco Matrona ANNA KRANENBERGIA, allaborarunt, ut ab ipsis ungviculis ad veræ pietatis sensum formaretur. Ubi primum in sinu parentum infantiæ suæ quinquennium absolverat, in altero tantum per sagacissimi ingenii sui velocitatem profligavit, ut

ut per ſeptem quos vocant Scholæ Hamburgenſis Claſſes ad primam, undecimum tum agens ætatis ſuæ annum, Patre ſtudia ejus ordinante, penetraverit. Heic velut in bonæ mentis officina Græcis Latinisque literis non perfuſus illi ſed tinctus fuit animus, cum in autores utriusque lingvæ optimos tanquam in poſſeſſionem ſuam miſſus, omnem veteris ſapientiæ fundum mature occupavit, & variis orandi argumentis primum ſub Parente, inde ſub præſtantiſſimis ejus ſucceſſoribus M. ZACHARIA SCHEFFERO, Rectore, & M. JOHANNE STARCKIO, Con-Rectore, quorum publica hodieque exſtant Scholaſticæ induſtriæ Specimina, latinæ eloquentiæ facultatem exercuit. Firmati illi jam tum ad graviora onera lacerti videbantur, ſed Parentis ſui conſilio ad Academias prius ablegatus non fuit, quam in Patriæ ſuæ Gymnaſio auſpiciis Clariſſimorum Virorum D. PETRI LAUREMBERGII Phyſices ac Mattheſios, Fratrum WERENBERGIORUM, JACOBI præcipue, Logicæ ac Metaphyſicæ, M. ZACHARIÆ SCHEFFERI, Philoſophiæ Practicæ, M. HENRICI RUMPII Orientalium Lingvarum Profeſſoribus omnem diſciplinarum orbem confeciſſet. Quas avidiſſime ille arripuit, cum & in animo præcepta utiliſſima meditatione continua frequentans ex intervallo reguſtaret, & jam publice jam privatim cum commilitonibus ſuis argumentis putaret. E quibus principes tum erat HENRI-

CVS Langerbeck/ cujus postea illustre in Serenissimorum Ducum Luneburgensium aula nomen fuit, & BARTHOLDVS Möller/ad summum in Patria urbe Magistratum evectus: quorum illi e condiscipulatu svavissima viventi superaret memoria. Tot ille artibus ornatus copiosusque venit in Academiam Rostochiensem Anno cIↃ IↃcXXIII. ut qui pleraque eorum quæ illic doceri potuit, animo præceperat, nunc decurso semel spatio a calce ad carceres revocandus. Aderant illi consilio ac patrocinio suo M. JOHANNES HVSWEDELIVS, Parentis sui quondam Discipulus & in Hamburgensi Schola Collega conjunctissimus, quem ille Patris loco semper habuit: D. PETRVS LAURENBERGIUS, quo ille in Gymnasio Præceptore usus fuerat, D. JOHANNES TARNOVIUS, D. JOACHIMUS STOCKMANNUS & ipsi olim in Sperlingiana studiorum incude positi. E Theologis præcipue PAULUM TARNOVIUM, & JOHANNEM QUISTORPIUM Doctores Ducesque sibi elegit. In JOHANNIS vero TARNOVII familiaritatem penitus intravit, ut per integrum dimidiatumque annum ipsi συμβιώτης atque adeo contubernalis fuerit: quo ille signifero magnos in divinarum rerum, sanctæque lingvæ studiis processus efficiebat: Cæteros vero omnes JACOBUM FABRICIUM, JOANNEM BACMEISTERUM, JOACHIMUM JUNGIUM Medicos Philosophosque præstantissimos, & quos non? animo

sin-

singulari & voluntatis inclinatione in se propensos habuit. A THOMA LINDEMANNO Antecessore celebratissimo, filiis suis moderator constitutus, ita se tractavit, ut amore ipsum prosequeretur Parens, & illi non pœnitendos istius magisterii fructus ceperint. Quamdiu vero apud illum se sustinuit, nihil ipsi svavius fuit consvetudine, quam cum nobilissimis eruditissimisque convictoribus quotidianam habuit, in quibus JANUS GEBHARDUS, Heidelberga una cum GRUTERO aliisque præclaris viris pulsus, exin vero, Historiarum in Academia Gröningensi Professor, pulcherrimis ingenii monumentis nobilitatus, præ cæteris nominandus. Cum itaque speciminibus tam publicis quam privatis, disputando scilicet ac docendo per tres & amplius annos laudem sibi famamque parasset, discessuro ab Academiæ Patribus cupientissimis Græcarum literarum professio, cum HUSWEDELIUS ad Scholæ Gymnasiique Hamburgensis Rectoratum evocaretur, oblata fuit: quem tamen ille honorem Parentis sui consilia suamque modestiam secutus deprecari maluit. Neque enim ipse metam illam ea ætate (quæ vix tertium impleverat septennium) assecutus sibi videbatur, quam tetigisse tamen omnes judicabant. Domum revocatus ne hyemem otio & silentio transigeret, Metaphysicis Astronomicisque Scholis, ac crebris Disputationum exercitiis juventutem ejus loci tam Academicam quam Gy-

mnasticam exercuit: Anno vero cIↄ Iↄc xxvii cum novo vere in Batavorum Academias excurrit, ut Orientales literas, quarum ille Hamburgi sub M. RUMPIO, Rostochii sub MARTINO TROSTIO telam feliciter ordiri visus est, sub FRANCISCO GOMARO, SIXTINO AB AMAMA, CONSTANTINO L' EMPEREUR, quique primo nominari loco debebat, JACOBO GOLIO, at quibus Viris! pertexeret, summamque illis manum adjiceret. Lugduni ubi majoribus quasi theatris propositæ scientiæ in luce, oculisque universi orbis celebri doctorum fama ac multo nomine effulgebant, Deos quasi indegetes salutavit: JOHANNEM POLYANDRUM, Magnificum tum temporis Academiæ Rectorem, ANTONIUM WALÆUM, ANTONIUM THYSIUM, ANDREAM RIVETUM, DANIELEM HEINSIUM, JOANNEM GERHARDUM VOSSIUM, GILBERTUM JACCHÆUM, FRANCONEM BURGERSDICIUM, CASPAREM BARLÆUM, PETRUM CUNEUM, ADOLPHUM VORSTIUM, æterna ad fastos & posteros nomina. Quorum è doctissimis colloquiis, (quod compendiariæ & secretioris disciplinæ genus esse non ignorant, qui altius ista arcana rimantur) ut fructus ille cepit uberrimos, ita amplum ipsi fuit eorum laudibus gravissimisque judiciis honestari. Ejus rei illi documenta data maxima sunt, cum HEINSIO, at quo judice! è flo-

florentissimo illo doctissimorum juvenum cœtu designatus fuit, qui illustrissimo Senatus Regii Parisiensi Præsidi MEMMIO, commendaretur, ut in Rethorum Græcorum monumentis recognoscendis operas cum ipso jungeret, ac à bibliothecis ipsi esset, LUCÆ HOLSTENII hac in provincia successor futurus. Nihil accidere ipsi gloriosus poterat, sive Patronum, sive commendatorem, sive decessorem ejus respexeris: quæ ut singula dignitatem amplissimam conciliare apta erant; ita mirifice illam augebant universa. MEMMIO nihil fieri poterat humanius, qui ad natalium fortunæque splendorem, interiorum literarum adjungens cultum, omni ope gratiaque illas cum illarum cultoribus fovebat, ornabat, ipseque vicissim ab iis ornabatur. Neque enim dissimulanda Gallicæ illa gentis decora sunt: nam cum cæteræ è manibus dimittant, aut in quotidianis vulgaribusque tricentur, sola propemodum ingenii & literarum gloriam, illustrium Principumque Virorum ordini vindicatam, tuetur & conservat. Hærebat lateri ejus affixus, Noster, perpetuus in quotidiano familiarique doctorum Virorum congressu, in publicis conventibus, in mensa, in via comes: hæsissetque diutius, tum svavissima honorificentissimaque conversatione, tum amplissimo stipendio illectus, nisi religioni suæ insidias metuens honestam modeste petere missionem maluisset. Non sine liberali honorario ac via-

ti-

co dimissus, cum in Patriam remigraret, illic advenientem rapida febris excepit, eoque inclementior, quod pauciores haberet dies μητέρας quam μητρυιάς, ut apud Gellium ex Hesiodo Phavorinus jocatur. Cujus ille furori ægre tandem ereptus ubi confirmaverat, per hyemem anni clↄ Iↄc XXVIII, & alterum solidum, ne desidiosa sua esset permansio, Latinæ Eloquentiæ ludum aperuit, & ex umbra illa in solem produxit juvenes, qui publice de rebus lectissimis verba faciebant. Quæ cum mirifice placerent peritissimo istarum rerum judici JOACHIMO JUNGIO, tum Gymnasii Rectori dignissimo, ejus commendatione effectum est, ut de Eloquentiæ professione ipsi deferendâ, eoque in emeriti Patris locum sufficiendo inirentur consilia. Illa verò ut ortæ inter Regem Daniæ, Civitatemque Hamburgensem dissensiones turbarunt, Bordsholmensis Gymnasii cura, cui jam destinatus ille erat, pacatiora requirere tempora videbatur: iter in Daniam facere instituit, ubi veteres Patris sui Amicos THOMAM FINCKIUM, ejusque generos Clarissimos, CASPARUM BARTHOLINUM, ERASMUM BROCHMANNUM, OLAUM WORMIUM Hafniensis Academiæ Professores: Soranæ verò JOANNEM CLüVERUM, MEURSIUM, LAURENBERGIUM, eximios omnes magnosq; Doctores in percursatione ista salutavit, cumque iis amicitias vel contraxit, vel instauravit. Inde in Belgium Galli-

am-

amque Orientalium literarum amor retraxit, quarum admirabili cupiditate erudita cum JACOBO GOLIO, GABRIELE SIONITA, quo ille familiariter Pariſiis uſus fuerat, commercia ita ipſum accenderant, ut non leviter illa ligurire, quod facere malunt plurimi, ſed devorare videretur. Vidit illuſtres Galliæ Academlas civitatesque, totamque adeo Galliam pervidit, non tam qua lutea lapidea, aurea & argentea, ſed qua humana fuit & literata: Jamque Italiam petiturus erat, ni atrocis peſtilentiæ fama illum monuiſſet, ne in Morboniam voluntate ſua rueret. Per Angliam itaque domum adeo attemperate rediit, ut Pater ejus chariſſimus, tribus jam annis ſeptuagenario major, in complexu ejus extremum vitæ ſpiritum ederet. Quo compoſito, Roſtochienſem iterum Academiam adiit, ut literariam illic palæſtram juventuti aperiret. Dum in eo conſilio eſt, mittuntur ad illum à Sereniſſimo Luneburgenſium Principe AUGUSTO (cujus ſancta omnibus eſt memoria) literæ, ipſius manu exaratæ, quibus ad filii natu majoris RUDOLPHI AUGUSTI educationem ac informationem evocabatur, magnifico ab illo ARISTOTELIS cognomine cohoneſtatus. Quæ quam ipſi feliciter proſpereque ceſſerit, res ipſa docuit: ipſeque Sereniſſimus Princeps, ad Reipublicæ gubernacula accedens, inſigni & nunquam ſatis deprædicanda pietate oſtendit. Nam & lite-

te-

literas ad ipſum dedit infra principale illud faſtigium depreſſas, quibus *Virum de ſe optime meritum, adeoque usq; Chariſſimum, & ab antiqua educatione ſuum* incredibili humanitate appellat, & memoriali ſententia, quæ annum ſcriptæ Epiſtolæ clↄ Iↄc LXIX, continebat, obſignavit: *Deo & bonIs præCeptorIbVS non poteſt reDDI æqVIValens*, quaſi rem annalibus dignam, aut non niſi cum ætate ac vita exeundam Præceptoris memoriam ſapientiſſimus Princeps judicarit. Ut nihil jam de præmiis, quibus illum amplisſimis ſæpe beavit, dicamus. Poſtquam eo in officio pene triennium conſumſerat, ad Bordsholmenſis Gymnaſii rectionem a Sereniſſimo Holſatiæ Principe ſollicitatus, anno clↄ Iↄc xxxvi, provinciam ſibi delatam unaque Paſtoris Eccleſiaſtici munus, cui Reverenda Præpoſiti dignitas poſtea acceſſit, aggreſſus eſt, atque illic fortunarum ſuarum ſedem conſtituit, ducta Anno clↄ Iↄc XLIII. in uxorem Nobiliſſima & lectisſima Virgine AGNETA CATHARINA, Admodum Reverendi Eccleſiarum Holſaticarum Præſulis JACOBI FABRICII filia, nunc vidua eheu! mœſtisſima. Quo ex matrimonio ſuperſtites Filiæ ornatisſimæ ANNA CATHARINA Reverendo Paſtori Elmſchenhagenſi CHRISTOPHORO LANGIO nupta, & Virgo AGNETA ELISABETA Parentis ſui obitum deplorant: nam duo ipſius Filii, & una infantula immaturo ac acerbo funere abrepti ſunt. Hic velut in regna

ſua

ſua vocatus, primas Reipublicæ partes, quæ in juventutis recta educatione ponenda ſunt, digniſſimus illarum moderator jure ſuo occupavit. Hic ille, ſi quid e vero trahunt fabulæ, e lapidibus homines, e lignis hermas formavit: feroces ſpiritus domuit Hercules: bonos in corpora ſua Genios induxit, ſignante viam caduceo, Mercurius: non corporum, non fortunarum, quibus Reges dominantur, ſed animorum Imperator. Quam ad præclara ſtudia mentes excitavit! quo eloquentiæ ſucco orationem imbuit! quo ardore ad nobilem ingenii doctrinæque contentionem tam cupidos quam ſegnes accendit! quos per Romæ Helladosque campos circumduxit! Nunquam exemplo ſuo ipſe defuit, ſive ſoluta ſive ligata oratione quid expediendum eſſet: cujus illi tam prompta facultas fuit, ut ad priſci purique ſermonis, tam Attici quam Romani genium, caſtigata ipſi verba quaſi ſponte ſua promanarent. Denique in id omni cura incubuit, ne quis a palæſtra ſua ἀπάλαιστος in Academias prodiret. Quo cum ventum eſt, illi ut Phidiæ ſignum ſimul aſpecti & probati ſunt, idque accuratiſſima diſciplina conſecuti fuerunt, ut cum alii per ſublimiora ſtudia repere, hi volitare viderentur. Hactenus egregie ipſe munere ſuo defungebatur: verum cum de commutando in Academiam Gymnaſio agitarentur conſilia, ad antiquitatum ſacrarum profeſſionem Theologicam a Sereniſſimo Principe deſignaba-

batur, & magna illam fide ac diligentia postea administravit, Auditorum suorum desideriis semper intentus, eorum commodis utilitatiq; vel suo cum incommodo serviens. Nobis cum illo gratissima semper fuit consortio, ut qui a nemine officiorum promptitudine vinci se passus est: sive quid ex instructissima sua bibliotheca, ipse βιβλιοθήκη ἔμψυχος, depromeret: sive alias negotiorum procurationes deposceret. Quatuor ab hinc annis longinquo implicitus morbo, ne in lectum quidem conjectus a statione sua discedere voluit, auditorum, ubi per morbi inducias licuit, spes ac vota impleturus. Sustinuerunt ejus impetum eximiorum Medicorum, primum CASPARIS MARCHII τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις, hinc JOHANNIS DANIELIS MAJORIS remedia efficacissima, ac ipse quotidie remissius placatiusque has calamitates tulit. Sed expugnavit tandem imbecillum corpus mali pervicacia, animo interim ad preces & divinas meditationes evigilante. Ideoque mature extremi itineris viatico instructus pios cum Reverendo Ecclesiæ Antistite sermones sæpe miscuit, decretoriam illam horam, qua abeundum sibi vita esset, impavido animo exspectans. Tandem in ipsa Paschatos vigilia, febris illi superveniens quasi diem dicere cœpit, quæ vires redeundo semper acquirens ipsa Quasimodogenitorum Dominica, quasi alteri modo vitæ genitum, hora pomeridiana IV, illo ætatis, ut Parenti olim, ita & sibi fatali anno

LXXIII.

LXXIII. rebus humanis exemit, cum prius ardentiſſimis ſuſpiriis egreſſuram e corpore ſuo animam DEO commendaſſet. Cui æternum ille bene eſſe jubeat. Vos vero, *Cives optimi*, ſi quid ejus unquam dulce vobis fuit, ſi quis pietatis in Præceptorem ſenſus ſupereſt, ultimum humanitatis illi officium exhibere, & ea, qua par eſt, frequentia ejus cohoneſtare exequias non detrectabitis. PP. in Acad. Kilonienſ. d. VIII. Maji Anno cIɔ Iɔc LXXIX.

49.

EST illa, Cives Optimi, bonorum malorumque, quæ in vita nobis obveniunt, inter ſe affinitas, ut mutua illorum damna ſint, mutuæ utilitates, ſibique ex intervallo, vel luctus vel gaudii ſegetem & materiam miniſtrent. Quemadmodum enim *medio de fonte leporum*, ut venuſtiſſimus ille Romanorum inter Philoſophos Poëta, & inter Poëtas Philoſophus cecinit, amari aliquid ſurgit: ita ex ipſa fortuna miſerrima & luctuoſiſſima, e fatali calamitatum caligine lux aliqua ſalutis, velut e Chao ſuo dies, ex inſperato emergit. Quod quanquam ſylveſtris illa & ex ſe nata Gentilium Philoſophia perſpexit: ſunt enim in medio pulcherrimæ Virorum graviſſimorum voces, qui ad minuendas vitæ moleſtias, fomentis hoc e fonte petitis utuntur; longe ta-

men certiora, ac ſanctiora profitetur, quæ autore Deo nobis tradita eſt ſapientia. Ex hac ſcilicet Schola prodeunt non illa Socraticorum, aut Stoicorum mirabilia, ſed Chriſtianorum, παράδοξα, ſtulta quidem illis viſa, qui φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, æternæ tamen & arcanæ veritatis pleniſſima: ex infamia gloriam, e doloribus & lacrymis gaudia, e paupertate divitias, e morte denique ipſa vitam ac ſalutem nobis exſpectandam. Alia omnia docent, qui e Philoſophorum Scholis bonorum, rationem ſubducunt: quam multa enim ad perfectam εὐδαιμονίαν connumerantur! at felicitas noſtra eaque vera ac unica ſua e malorum gradibus capit incrementa: adeo quidem, ut & ipſo illo malo, quod φοβερώτατον vocaverat Philoſophus, nihil accidere nobis ſvavius poſſit: cum extrema illa ſummaque noſtra εὐδαιμονία, per quam æternum nobis bene erit, in illo verſetur. Quæ ut omnium inſidere animis, omnium perſonare aures, implere pectora debent: ita præcipue illorum mentibus inhæreſcere, qui ſacrorum antiſtites, religionis interpretes divina hæc dogmata quotidiana meditatione perpendunt, & perpetuis cohortationibus ſegnes hominum animos ad hanc diſciplinam impellunt. Quæ aliis plerumque ex occaſione ſubrepere ſolet noviſſimorum conſideratio, ea illis familiaris, domeſtica eſt, & cum viva quaſi mortis imagine inter exſpirantium gemitus, in ipſa doctrina oculis il-

illorum obverſatur. Vel ultima illa Oratio, quam ad populum habuit Beatus noſter Senex, cui hodie exequias ducimus, jam tum ſemianimis ac in limine mortis conſtitutus, & quaſi extra ſe poſitus, cum corpore vix bene conſiſteret, ſenſus ipſi jam vacillarent, pleno tamen ſpiritu effuſa, e Pſalmi XC. commate XIII. illam Auditoribus ſuis εὐθανασίαν propoſuit, ac cygnea ipſi jamjam morienti cantio fuit. Qui tum extrema viventis de morte præcepta audiviſtis, & ab ore quaſi vaticinantis pependiſtis, nunc exemplum mortui intuemini, & ad ſigna, quæ ipſe Anteſignanus noſter ſuſtulit, convolate Eccleſiæ militantis tam tirones quam veterani. Hujus Viri, quo conſpectior ſit virtus & pietas, juvat vitæ ejus quantum fuit brevi percurſatione recognoſcere. Editus in lucem ὁ Μακαρίτης noſter eſt KiloNI Anno ſeculi hujus XIX. XXII. Menſis Auguſti die, Patre M. ANTONIO BURCHARDO, primum Pædagogii Stetinenſis, quod bonis artibus literisque ſemper floruit, Profeſſore Clariſſimo; hinc Eccleſiæ Marianæ Lubecenſis Diacono, ac tandem Kilionenſis Paſtore graviſſimo. Cujus ſuperſunt præclara doctrinæ ſpecimina, luculentus in Aphthonii Progymnaſmata Commentarius: Ut vel hinc conjicere poſſimus, qua fortuna noſter exciderit, cum ipſi ſexenni puero paternam illam curam & παιδαγωγίαν fata eripuerunt. Mater omni virtutum genere ornatiſſima URSULA, AN-

DREÆ Matzen / Civis & Mercatoris Kiloniensis, qui ipsi avus maternus fuit, Filia. Avus paternus ANTONIUS BURCHARDUS Civis Lubecensis primarius: Avia Paterna MARGARETA SCHRADERIA. Avia Materna SOPHIA CARNARIA, D. MATTHIÆ CARNARII Archiatri Gottorpiensis Soror unica. Proavi Materni fuerunt MATTHIAS Matzen / Consul Sunderburgensis, & JOHANNES CARNARIUS Medicinæ Doctor, Ducis Holsatiæ ADOLPHI Archiater, & Canonicus Slesvicensis. Hos ille majores, laudatissima nomina ostentare potuit, quorum in ipso rediviva virtus jam tum primæ ætatis igniculos excitabat. Mature itaque a provida Matre, quæ statim ab utero divinis illum rebus consecraverat, optimis Magistris in disciplinam datus, DAVIDI FICKERO Rostochiensi, SAMUELI PRÆTORIO Utinensis postea Ecclesiæ Pastori, M. ZACHARIÆ MOSERO Scholæ Kiloniensis Rectori: quorum ille ductu solida lingvarum jecit fundamenta: quæ perfecit postea Celeberrimi nostri SPERLINGII, νῦν ἐν ἁγίοις, incomparabilis illa cura & industria, tot Viris doctissimis spectata, tot nobilitata documentis. Nam cum Serenissimus Princeps & Dominus FRIDERICUS illum inter alumnos suos relatum Bordsholmensi Gymnasio expoliendum dedisset, per ipsos quatuor annos & ingenii bonitate & progressione discendi adeo se Doctoribus suis probavit, ut

ut dignus omnibus viſus fuerit, qui cum ſeptem commilitionibus aliis in Academiam Roſtochienſem Anno clɔ lɔc LXXXIX. ablegaretur. Illic tres annos ſolidos, jam tum animo ad majora firmatus, ſublimibus impendit ſcientiis. Cum enim ignea mentis vis ad cœleſtia ſemper adſpiraret, præ cæteris Philoſophiæ ſtudiis, ſiderum contemplationi ac ſecretiori ejus doctrinæ animum applicuit, cujus inſignia in ſcriniis ejus adhuc aſſervantur ſpecimina: id tamen ſemper operam dedit, ut illa τῶν ὁρατῶν θεωρία ſimul ad τὰ ἀόρατα abduceret. Divinarum enim rerum ſtudiis ſe immergens, toto pectore ita amplectebatur, ut ſolum id negotium ageret, id univerſum hauriret. Domum itaque Anno clɔ lɔc XLII. reverſus in palæſtram ſacram ipſe deſcendit, & in lucem produxit eloquentiam non populo tantum ſed & optimis quibusque probatam. Ejus dulcedine ita afficiebatur Generoſiſſimus Dominus HANSUS RANTZOVIUS Hereditarius in Salzau, ut lauto ſtipendio conduceret, qui jam ætate confecto a concionibus eſſet. Verum cum bellicæ tempeſtates huic conſilio intercederent, Lubecam velut in portum quendam ſeceſſit: ubi M. SIRICII, Paſtoris ejus urbis Primarii, & optime de Eccleſia omnibusque bonis meriti Viri, qui paterno illum affectu amplectebatur, commendatione benigna effectum eſt, ut HENRICUS BREMERUS ſpectatiſſimus illic Mercator filiorum informationi præfice-

ceret. Cum variis animi dotibus per hæc tempora inclaresceret, respicere illum cœpit Patria: nam elapso biennio Anno cIↄ Iↄc XLV. Amplissimi hujus urbis Senatus literis evocatus, XVIII, Mensis Augusti die in M. CHRISTIANI FREIMANNI locum substitutus est Ædis Nicolaitanæ Ecclesiastes. Quod ille munus quanta fide quanta solicitudine obierit, omnes norunt, idque argumento est, quod e tertiis ad secunda & prima productus per honorum sacrorum gradus adscendit. Nam JOHANNI BRAUERO, Archidiacono inde Successor datus, & ante biennium Dn. FRIDERICI JESSENII S S. Theol. D. & Pastoris Primarii partes illi oblatæ: quorum si annorum summam subduxeris quintum ille trigesimumque in ministerio divino complevit. Quo quantum honori ipsius ac venerationi accesserit, illi optime judicant, qui tanti muneris dignitatem suo æstimare pretio didicerunt. Nam si Regem *ποιμένα λαῶν* Homerus vocat, eoque præ cæteris ornat elogio: quid ni splendidiore titulo *ποιμένα ψυχῶν* efferamus? quem regio etiam charactere Deus insignivit. Ab aris ad focos veniamus: nam ut illis operatus est ea qua debuit fide & pietate: ita & horum, ut bonum decet Patremfamilias, curam habuit. Quare ut & ipse typum exprimeret amoris mystici quo Ecclesiam prosequitur Christus, e Servatoris monito, pio puroque amore complexus est lectissimam Virginem, ANNAM, JOHANNIS

Lan-

Langemacken/ Archidiaconi Collegæ filiam; Quo ex matrimonio XIV. liberi prodierunt, ut ea felicitate illam in Poëtarum fabulis decantatam Nioben æquaſſe ſvaviſſima uxor viſa ſit. Sed perierunt ipſis pulcherrimæ in herba meſſes: nam quem fata tantum illis oſtenderunt, elegantiſſimi ingenii puer, ANTONIUS ſexto, & alter JOHANNES quinto ætatis anno, non ſine magno Parentum dolore vita exierunt. Natu major filia URSULA, & altera ANNA DORORHEA virtutibus ſexum hunc decentibus ornatiſſimæ; Reverendis Clariſſimisq; Viris, illa M. GABRIELI WEDDERKOPFIO ad D. Nicolai Eccleſiaſtæ nupta: hæc M. MARTINO BüTZERO ad ædem Spiritus S. Paſtori deſponſata. Natu major filius BERNHARDUS in Academia Roſtochienſi ſtudiis gnaviter incumbens, jam tum optime ſe oſtendit & vergentis ad maturitatem ingenii præclara documenta edidit. Reliqui vel teneriore in ætate adhuc conſtituti, vel fato ſuo in ipſa infantia defuncti. Verum ut nimium fœcunde raro diuturnæ ſolent eſſe arbores: ita & hæc tandem partui ultimo immortua in cœlis promiſſa πολυγονίας præmia adepta eſt. Quam familiæ ſuæ lacunam explevit poſtea ducta in Uxorem Virgine Nobiliſſima, ANNA CATHARINA, Viri nobiliſſimi & Excellentiſſimi CASPARIS MARCHII Med. D. ac Profeſſoris ejusdem in hac Academia Primarii, exinde vero apud Sereniſſimorum Electorem Brandebur-

gensem Consiliarii & Archiatri amplissimi filia dilectissima: Cum qua ipsum septennium mira animorum consensione morumque svavitate exegit, triplici præterea puerperio, unde unus superstes est CASPARUS, fœcundum. Nunc illa in acerbissimum hunc luctum conjecta orbitatem suam deplorat, quam solatio suo sustentet, qui afflictis omnibus præsidio est Spiritus. Restat itaque ut è thalamo in fatalem lectulum & in tumulum ipsum vitæ ejus cursum deducamus. Cum ille valetudine ad declinantem ætatem prospera usus fuisset, ante biennium morbo pectoris difficillimo vix eluctatus pertinacis marasmi semina in debili corpusculo circumtulit: ut ipse summum sibi diem & ineluctabile fatum, ex quo inclinatæ semper in deterius principia valetudinis sensit, auguratus fuerit. Quæ ipsum divinatio non fefellit: nam ante tres circiter hebdomadas, cum lateris sinistri debilitatem, capitis vertiginem, memoriæ defectus insignes notaret, paralyticus affectus ipsi primum adrepere cœpit, ut nec manus sinistra nec pes recte officium facerent. Nihilo tamen secius quamdiu lingva valuit, sola pene voce & spiritu infirma illa latera sustentante, statione sua, vel stans pede in uno discedere noluit, habuitque orationes ad populum gravissimas, in quibus nulla animi fugientis vestigia auditorum aliquis deprehendit. Ex illo vero tempore uno quasi ictu ad casum dari omnia visa sunt. Nam in-

ingraveſcens illum morbus lecto affigebat, nihil proficientibus, quæ Vir Celeberrimus & Collega noſter honoratisſimus Dn. D. JOHANNES DANIEL MAJOR adhibebat remediis, quorum è prioribus morbis vires ipſe perſpectas ſatis habebat & exploratas. Igitur manum jam injicientibus fatis, ab humanis ad divina præſidia ſe totum convertit, & cum ſalutari viatico devotam Servatori ſuo animam inſtrui curaſſet, mitioraque inſultantis morbi intervalla ſuſpiriis, precibus, piis ad uxorem, Liberos Generos alloquiis extraxiſſet, tandem XXIX Menſis Auguſti, atque adeo ſeptimo ab natali ſuo die, pertinaci & fatali ſopore in ferreum illum perpetuumque concedente placide animam exhalavit. Qua in re memorabilia ſunt ſtata illa & divinitus quaſi ordinata tempora: nam idem menſis & pene dies, qui vitæ intulit, ſacerdotio admovit, & moriendi necesſitatem LX ætatis anno definivit. Qui enim ſuperſunt natali ſuo dies, reſiduas jam ante exſtinctæ flammulæ ſcintillas nominare poſſumus. Agnovit & pene animo hujus vim fati præcepit ὁ Μακαρίτης noſter. Exſtant enim ſuper hoc argumento verſiculi quidam ab illo ſcripti non incompti nec inelegantes, quos è ſcriniis ejus hic proferemus:

Auguſtæ luces, celebrati Cæſaris aſtro
Dilecti Soles, memorandi ab origine noſtra
Et Fatis! adeo ſapientis ſanctio Cæli

Augustumque decus; nostrisque exercita fatis
Sæpe dies Mensem notat & conscribit Amicum!

Cæterum nos beate defuncto augustos & magnos menses, vel ipsam potius æternitatem gratulamur: Viduæ, Liberis, Generis, Fratri optimo nunc in lamentis luctuque jacentibus, divinam illam opem apprecamur, quæ labantes confirmet, afflictos erigat, & efficacissimis remediis exulceratos animos refocillet. Vos, vero, Cives Optimi, qui toties verba è suggestu ad vos facientem audivistis, sequimini, etiã nunc ad tumulum præeuntem, & quem vivum spirantemque olim εὐθανασίας Magistrum habuistis, nunc mortui mutique Doctoris exemplo sapere discite. Quocirca cum hodie hora II. pomeridiana efferetur, & Viri hujus virtus mereatur, ut cumulate ipsi præstetur officium, etiam vos atque etiam adhortamur, ut supremum illi honorem frequentes persolvatis. Facietis non solum, quod vestri est officii, sed & dolorem ac ægritudinem eorum, qui hac calamitate fracti sunt & confecti vestra humanitate non leviter mitigabitis. P. P. d. IX. Sept. Anno cIↃ IↃc LXXIX.

50.

NUnc tandem eo in tempore versamur, Cives Academici, quo, post compositos belli tumultus, ac reductam pacem

cem, redditumque terris ſuis Sereniſſimum noſtrum PRINCIPEM, omnia primis his nundinis ad lætitiam potius, quam ad lacrymas & luctum ſpectare videntur. Confluit flos gentis, univerſa Holſatiæ Nobilitas, tam pacis quam belli artibus incluta: veniunt ad ſacra hæc Mercurialia, mercesque varias comportant inſtitores: adſunt, qui pecunias fœnore auctitant, nomina exigunt, vetera expungunt, transſcribunt, nova contrahunt. Quibus qui deſtinentur occupationibus, (nam omnes in longitudinem conſulunt) non facile cogitant, & ſibi imminere fatale illud & horribile carmen: ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου. Nam & magnus ille Paterfamilias, qui annos numeravit noſtros & menſes, imo & ἔργα καὶ ἡμέρας notat, decretorium illum diem deſignavit, quo talentorum nobis creditorum rationes expoſcit. Cum nos horrea complemus, nummos congerimus, regna noſtra miramur, ac ipſi nobis hoc plaudimus celeuſmate: Ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου, nobis non advertentibus terribilis à tergo ſubrepit apparitor, è vita, vel prima illa nocte diſcedendum monet. Sumus & nos hunc in orbem velut in mercatum, aut perpetuas nundinas miſſi; totaque noſtra vita, ſi Pythagoram audimus, mercaturæ ſimilis: è veteris vero Poëtæ ſententia, ipſi Dii inſtitores ſunt, qui omnia vendunt laboribus: Summi autem Doctoris & Salvatoris noſtri conſilio, ita mercatu-

tura nostra exercenda, ut χρύσεα χαλκείων, pro perituris mundi opibus, pretiosum illum unionem comparemus: ita pecuniæ dispensandæ, ut thesaurum in cœlis nobis colligamus. Venire nobis, inter mercantium strepitus, nummorum tinnitus, illa in mentem debent, Cives Academici: & exemplo vos suo docebis, qui hoc ipse tempore è vitæ statione vocatus decessit Nobilissimus Amplissimusque Vir DN. GEORGIUS Sültzberger / Urbis hujus Consul per ipsos novem annos meritissimus. Cui cum funus hodie ducendum sit; Vitæ ejus historia vobis, pro more veteri, ante oculos ponenda est. Editus ille in lucem est, in patria hac sua urbe, quinto hujus seculi anno, Parente, Viro Integerrimo honestissimoque HIERONYMO, Gemmario, ac Cive hujus loci primario, Matre lectissima, ac virtutibus sexum illum ornantibus conspicua MAGDALENA, celebratissimi Gemmarii Antvverpiensis, GEORGIO DE VEEDIS filia, qui Avus illi maternus fuit. Avum Paternum habuit Nobilissimum Amplissimumque Virum, CHRISTOPHORUM Sültzberger / in celeberrima Imperiali Civitate, Augusta Vindelicorum, Senatorem: Aviam Paternam, vel ipso nomine suo satis Ornatam LUCRETIAM. Avia Materna fuit MAGDALENA Kuhmans. Ut ab optimis illi Parentibus bona indoles ingenita fuit, ita mature satis se exeruit, accedente disciplina ac præceptorum in-

induſtria. Sub quibus ut præclara jecerat fundamenta, anno ætatis nono & decimo, in celeberrimam Roſtochienſem Academiam miſſus eſt, ut juri civili operam daret. Florebat enim tunc temporis Profeſſoribus celeberrimis. Quorum ductu & auſpiciis cum in Jurisprudentiæ duceretur penetralia, brevi tempore magnos in ea progreſſus fecit. Illos ut ornaret amplius, vicinam Gryphisvvaldenſium Academiam adiit, ac tandem Regiomontanam. Aſſiduum ſe Doctoribus diſcipulum præbuit, quibus ut horas, ita privato ſtudio dies impendit, & palæſtræ ſimul forenſis, quæ Regiomonti inprimis aperiri publice ſolet, exercitia uſibus ſuis accomodavit. His in Academiis per undecim commoratus annos in patriam rediit, ut de re ſua familiari cum tutoribus tranſigeret. Ubi tum ob præclaras ingenii dotes, morumque ſvavitatem, facile in ſui amorem pellexit Virginem lectiſſimam, Spectatiſſimi, graviſſimique Viri, COSMI STEVENII, Senatoris Kilonienſis, filiam unicam. Cum vero negotia quædam neceſſaria in Boruſſiam & Poloniam revocarent, amorum ſuorum complementum in reditum, quem paucis menſibus circumſcripſerat, diſtulit. Verum cum circa hæc tempora affligere patriam bellicæ inciperent tempeſtates, & curationes tamen illæ implicatum ac conſtrictum, ultra tempus ſibi præſtitutum tenerent, pauci illi menſes in ipſum ſolidum ſexennium ex-

extracti sunt. Quo elapso, ut vere tandem domi, & apud se esset, domum rediit, domumque duxit tot annorum Sponsam, anno cIↄ Iↄc XLIX, ut & cum pace reducta ad amores suos redire videretur. Quam svave, cum illa vitæ socia, fuerit ipsi per XXV. annos connubium, non facile dici a nobis potest: quod & liberis utriusque sexus fuit fæcundum. Quinque enim suscepti ex illo: at ex iis duo priores vivi lucem non aspexere: duo alii, & ex iis virgo tam formæ elegantia quam virtutum sanctimonia laudabilis, ac jam marito matura, in primo ætatis flore, de vita decesserunt, stetitque tandem per unum HIERONYMUM, hac in Academia Juris Studiosum, & post mortem etiam stabit patrii nominis memoria. Quo ille postea in orbitate ac viduitate sua se solatus est unice, speque de illo concepta senectutis suæ fovit ægritudinem. Reficit enim animam Patris fugientem filii amor, tenet, mulcet, resuscitat. Quod honores τοῦ Μακαρίτου attinet, per gradus illi processerunt. Nam primum in XVI. Virum ordinem cooptatus, hinc Civium Orator, & ex illo tandem Senator Anno cIↄ Iↄc LXIV. Camerarii dignitatem biennio post, & ipsum tandem Consulatum Anno cIↄ IↄcLXXII. ingressus est. Qua fide, dexteritate, prudentia hic seu aliosque tractaverit, norunt cives. Neque enim nostrum est fucata aut ambitiosa oratione extollere, quæ illorum animis infixa sunt. Mira erat

rat, ut notum omnibus, & αὐτόχθων in illo humanitas, quæ non contemnenda profecto virtus magno rebus agendis ſæpe adjumento eſt, & occultis quibusdam illecebris hominum animos demulcet. Corpus ipſi firmum obtigerat, quod ad extremam usque ætatem nunquam gravibus tentatum morbis fuit. Superioris tamen anni autumno, cum calculi dolores ſignum tollerent, hunc quaſi ducem ſuum morbi affinitate illi juncti ſecuti ſunt: e quorum longinquitate paulatim recreato meliuſcule quidem fuit, ut ſacris intereſſe, ac præeſſe conſiliis aliquoties potuerit. Sed ut plane valeret, ſenectus ingraveſcens, quæ ipſa morbus eſt, non permiſit. Ideoque ſub nundinarum initium, recrudeſcente & vires ab ipſis induciis ſumente morbo, debilitate ſubita tota ejus vis illum adorta eſt, ut quanquam bene ſperare jubebant, quæ efficacitate ſua ſe commendabant medicamenta; natura tamen ſuæ ſuccumbens moli, eventu optato non reſponderit. Ad Deum itaque ſe convertit, cum de corporis ſalute jam conclamata eſſent omnia, de animæ ſalute unice ſollicitus. Illi ſeriis eam precibus commendavit, ac XXIII. Januarii die, vinculis ſuis ſolutam, & quaſi manumiſſam Domino Servatorique ſuo tradidit. Ejus quod reliqvum eſt hodie hora II. effertur. Vos vero, Cives Academici, ad quos noſtra hæc ſpectat oratio, ut quam cumulatisſime extremum illi honorem præſtare velitis, rogamus. Mere-

retur Viri virtus, jubet pietas, ſvadet humanitas, ut frequenter ejus celebretis exequias, commilitonis veſtri dolorem hoc etiam officio ſolaturi. PP. die XXX. Januarii Anno cIↄ Iↄc LXXX.

51.

DIſputatum jam olim a nonnulis fuit: an in Matronis quoque publica oratione celebrandis virorum occupari facundiam honeſtum decorumque videri posſit. Neque enim defuere moroſi virtutum cenſores, qui vel in optima muliere ne mediocres quidem laudes deprehendere ſibi viſi ſunt. Stagirita certe noſter virorum virtutes operaque honeſtiora quam feminarum habet, hasque illis ipſa natura meliores: ne quid de iis dicamus, qui in omnes ſine diſcrimine, convicia, dicteria, ſannas ſpargere non verentur. At æquior tamen humaniorque illorum ſententia eſt, qui ſexui molliori amplius aliquid indulgendum rati, vel ſimulacra virtutum pro veris collaudant, quo conſpectior eſſe ſolet, ſi qua in illo labes apparet: vera autem animi & induſtriæ ornamenta majoribus quam in virili præconiis extollunt. Quare & apud acerrimos morum cenſores Romanos increbuit illa invaluitque conſvetudo, qua illuſtres feminæ non ſecus ac viri fato functi publicis laudibus ho-

honorabantur. Quod & in more positum sagacissimæ Chinensium genti traditur; apud quam prudentiæ civilis non minima pars est, & ad publicam disciplinam ac vitæ honestatem insigne auctoramentum, ferri laudibus feminas virtutibus conspicuas, mactari honoribus, ornari monumentis post mortem, pro meritorum magnitudine, amplissimis: ut pulcherrimis excitatæ Matres exemplis non se tantum ad optimos mores, sed & liberos, quorum prima in illarum sinu educatio est, ad præclaram indolem Reipublicæ profuturam, componant. Recte itaque ad illorum exemplum, elogiis etiam nostris celebramus feminas præstantissimas, quæ ex vita discesserunt: ut ab illius sexus speciminibus vel cum pudore suo discant viri in vitæ rationibus subducendis negligentiores. Solent feminæ, si quæ corporis eximia specie, ut pleræque, præ viris sunt insignes, tacita quadam vi illorum in se oculos convertere. Cui si pulchrior animus divini illius pulchri quasi lux & scintilla sociatus fuerit, eo vehementius in sui venerationem mentes omnium rapiet, quo fulgentiores e venusta facie virtutis spargi radii solent, ac altiores in illarum animis illa radices figit. Nam cum illa in sexu hoc singularis est, longo post se viros intervallo relinquit, cujus innumera ab omni ævo extant documenta. Ideoque non inscite a Poetis virginea exprimi forma solent, quas quasi Deas aut Ideas nobis repræsentant Vir-

tutes: ac ſi tum demum, cum ſub illa ſpecie apparent, omnibus ſint numeris abſolutæ. Quando itaque, Cives Academici, ad quos noſtra hæc ſpectat oratio, hodie præſtantiſſimæ matronæ funus ducitur: ad triſtiſſimum mortalitatis exemplum, & præclarum publici elogii argumentum reſpicite. Nos quidem labore noſtro eo invitius defungimur, quo immaturior ipſi mors, acerbior Marito jactura accidit: cujus dolorem ex arcta illa animorum conjunctione vitæque uſu facile ipſi æſtimabitis. Vos autem exemplo hoc commonefacti mature ſapere, atque ex vivorum numero, antequam moriamini, exire diſcetis, cum in ſummo ætatis vigore fata non opinantes comprehendere videatis. E vitæ vero curſu, quem pie defuncta tenuit, etiam aliqua, quæ ex uſu veſtro ſint, depprometis. Edita in lucem eſt, quæ nudius nonus ex hac vita deceſſit, Nobilisſima Lectiſſimaque femina, URSULA Fauſten/ Nobiliſſimi Ampliſſimique Collegæ noſtri Dn. JOHANNIS PHILIPPI ROSMANNI, J. U. D. ejuſdemque Profeſſoris, ac Academiæ Secretarii Conjux dilectiſſima Anno CIↃ IↃC XXXVI. duodevigeſimo Octobris die, Patre Viro ſpectatiſſimo, JOACHIMO Fauſten/ Cive hujus urbis primario, ac Ædis Nicolaitanæ Curatore jurato: Matre ANNA, THOMÆ Köpkens/ eximii itidem mercatoris, filia, femina virtutibus ſexum illum decentibus ornatiſſima. Avus Paternus fuit Vir Ampliſſimus Dn. RU-

DOL-

DOLPHUS Fauſt/ Archivarius & Proto-Notarius ProvincialisRegio-Ducalis meritiſſimus: Avia Paterna fuit LUCIA, Nobiliſſimi Dn. JOACHIMI Reichen Reg. Maj. Dan. Conſiliarii gravisſimi filia. Avia Materna, ANNA Langemacken. His orta majoribus, poſt ſanctiſſimum regenerationis lavacrum, mature in tenera ætate igniculos ſolertis animi exercuit: Cui in Parentum ſinu enutritæ inſtillabatur pietatis, virtutum virginearum, bonorumque morum, cum rei familiaris ſcientia, amor. Qua cultura quantam profecerit, maturior ætas oſtendit. Nam cum ab obitu cariſſimæ ſuæ conjugis, quæ pie defunctæ amita erat, Nobiliſſimus Ampliſſimusque Vir, Dn. JOHANNESdeLENGERKEN,Conſul hujus urbis hodie meritiſſimus, nunc, ob ereptum & orbitatis & ſenii ſui ſolatium, in luctum graviſſimum conjectus,hanc domus ſuæ rectioni præficeret, tanta diligentia ac ſollicitudine rebus ejus curavit, ut heredem inſtituere, imo in filiam cooptare Anno cIↄ Iↄc LXXI.non dubitarit.Quem & ipſa, dum viveret in adoptivis conſtituta ſacris, non adſcitium, ſed verum ac genuino affectu Patrem invenit: ut ille filiam tanquam ex ſe genitam deplorat, ac in nepte ſua infantula imaginem matri ſuæ ſuperſtitem intuetur. Nam in matrimonium data Collegæ noſtroDn. D. JOHANNI PHILIPPO ROSMANNO Anno LXXII. die XVI. Septembris, talem ſe erga maritum, amore, obſequio, officiis,per ipſos

novem annos gessit, ut satis ostenderet, quantum maritalis flammæ pectore suo clausum haberet. Cujus testes geminæ filiolæ, quarum altera ipso in partu suffocata, altera quatuor cum dimidio annos nata jam ab ipsis ungviculis in florentissimam indolem adolescit. Qui autem ipsi superstes est maritus tanto afflictus & prope confectus luctu est, ut ipsi se superstitem vix meminerit. Valetudine, qua olim satis firma usa fuerat, quasi prostratis uno ictu viribus excidit; & vegetum validumque corpus in causarium in ipso ætatis fastigio degeneravit. Quo cum per aliquod tempus luctata, quintodecimo hujus mensis die de membrorum omnium doloribus conqueri cœpit. Vocati statim in consilium Medici præstantissimi nulla artis suæ præsidia intenta reliquerunt. Sed valentior morbus fuit, qui per insidias & cuniculos subrepens ipsam vitæ arcem omni furore suo & obsedit & expugnavit. Inter illos tamen conflictus cum fugientis jam jam animi vestigia ipsa deprehenderet; mature salutari viatico ad cœlestem patriam ex hoc tumultu tendentem instruxit. Per quietem verba vocantis audire sibi visa, ac vigilans cœlorum apertorum speciem ante oculos sibi versari fassa est. Quibus illa visis velut stimulis excitata in preces ardentissimas solvebatur, hymnos etiam mortuales, ipsa funeri suo præfica, velut cygneum aliquod melos clarâ voce cantatura, nisi monita fuisset, ut viribus parceret & submis-

miſſius ſonaret. Quod cum faceret, inter hæc cogitata, ſenſim ac placide vitam poſuit, cum ad annum quartum ſupra quadrageſimum illam produxiſſet. Exuviis tumulo condendis dies iſte dictus eſt. Veſtrum itaque eſt, Cives Academici, extremum pie defunctæ perſolvere officium. Quod ut ſponte veſtra faciatis, quanquam ipſa humanitas imperat: tamen ut facere velitis, rogamus, ac memores etiam monemus. P.P. XXX. die April. Anno cIɔ Iɔc LXXX.

52.

FUnus iterum vobis indicimus, Cives Academici, ex hac ipſa tabula, unde ἔργα καὶ ἡμέρας Scholasque noſtras denunciamus. Quod cum facimus, plenius aliquid & melius Chryſippo & Crantore dicimus, & in altioris ſapientiæ penetralia vos immittimus. Omnium ſcilicet doctrinarum complementum faſtigiumque eſt εὐθανασία, quæ numquam accommodatius quam exemplis docetur ac diſcitur, quamque Stoici, Stobæo in Eclogis teſte, τῶν σπουδαίων propriam eſſe dixerunt. Pauci ſunt vel ex ipſis ſæpe Doctoribus, qui ad hanc metam reſpiciunt: ad quam tamen oculo irretorto collineare omnes debent. Noſtis quam ſollicite in fabulis Terentianus ille Demea rem ſuam agat, cujus plenæ ſapientia voces ſunt:

Nil prætermitto: consvefacio: deniq;
Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium
Jubeo, atq; ex aliis sumere exemplum sibi.

Idem & facere Christianos Patresfamilias longe æquius est, qui præter vitas etiam in mortes omnium tanquam in speculum inspicere atque hinc exemplum sumere sibi jubeant. Instillent hoc liberis parentes, ut ab ipsis ungviculis atque adeo a cunis tumulos meditentur, & vitam suam omnem nihil aliud, quam μελέτην λύσεως, uti Gregorius Nazianzenus ait, esse existiment. Quem Philosophiæ fundum quo maturius occuparunt, nondum profundius terreno huic luto immersæ mentes, eo minus mortem φοβερώτατον illud, ut Aristoteles, vel φρικωδέστατον κακῶν ut Epicurus vocabat, expavescent. Quod iis accidere solet, qui vel inter quotidianas rei familiaris curas in diem vivunt, nec consulunt in longitudinem; vel fortunis voluptatibusque ebrii, nunquam crapulam hanc, nisi cum extrema nocte ferreoque sopore edormiscunt. Qui vero in mundum hunc tanquam in carcerem se conjectum intelligunt, gravem sibi potius ipsam vitam, & in illa omnia dura sibi proposita sentiunt. In luto hic hæremus, in sylvis, inter spelæa ferarum vivimus, exilio perpetuo multati. Ideoque ortum suum respiciunt homines pii, animumque ad æternæ sedis quietem ex his turbis subductum componunt, quando extremam illam horam, quam πύλην τῆς ὄντως ζωῆς Clemens

Ale-

Alexandrinus vocat, votis impatientibus exſpectant. Quod ſi Pythagoræi illis qui Philoſophiæ ſtudiis animum procoluiſſent, bonam ſpem ſupereſſe exiſtimant; ſi Socrates in Phædone τὰς καλὰς ψυχὰς cum optima ſpe hinc diſcedere credidit: quid de iis dicturi ſumus, qui ad Salvatoris ſui præſcriptum vitam inſtituentes, ſe totos in virtutum ſacrarum exercitio contriverunt. Qua illi ſpe pleni, qua animi lætitia elati ex hoc ergaſtulo, ex hac miſeriarum nube, ad æterna gaudia prorumpent, in ipſa morte διδάσκαλοι εὐθυμίας, tranquillitatis præceptores, ut eos appellat Chryſoſtomus? Cogitanda hæc nobis quotidie ſunt; ſepulchra præ oculis præ pedibus locanda, cadaverum horror animos luxuriantes compeſcat, æternorum gaudiorum promulſis fatiſcentes animos recreet, ut e quotidiana mortis Schola ad vitam proficiamus. Exempla nobis quotidiana verſantur ob oculos, & intra duos menſes, e noſtro ordine, Conjugum propemodum συναποθνησκόντ. Extulimus medio hujus anni Vere maritam, & ſub ejusdem anni ipſumq; ætatis ſuæ ſolſtitium exceſſit maritus; cui funus hodie ducimus, cujus Vitæ hiſtoriam ὡς ἐν κεφαλαίῳ vobis recitamus. Natus eſt Vir Nob. & Ampliſſimus JOHANNES PHILIPPUS ROSMANNUS, J. U. D. & Prof. Extraordinarius, Academiæ item Secretarius. Anno cIↃ Iↄc XLII die XXIX. Junii Patre ECCARDO, Præfecturæ Bordsholmenſis Subquæſtore, Ma-

tre fœmina ornatiſſima ANNA Kielmans / quæ ſuperſtes filii mortem turbato mortalitatis ordine deplorat. Avus ipſi Paternus DETLEVUS. Avia Paterna ANNA Ram. Avus Maternus REIMARUS Kielman. Avia Materna COECILIA Reymanns. His ortus ὁ μακαρίτης noſter Parentibus, poſtquam Chriſtianis ſacris initiatus, ſtatim ab ipſa infantia pietati virtutibusque excolendis operam dedit ſub Præceptoribus domeſticis. Poſt hæc tenerioris ætatis quaſi προγυμνάσματα celeberrimum tum temporis Bordesholmenſe Gymnaſium, adiit, quod auſpiciis τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις PAULI SPERLINGII magis magisque eſſloreſcebat. Hinc Lubecæ biennium ſtudiis operam dedit, unde in Academiam Gieſſenſem concedens alterum illic biennium explevit. Anno ſeculi hujus LXII. illud ſapientiæ ſcientiarumque omnium toto orbe ſpectatiſſimum emporium, Lugdunum Batavorum ſalutavit, atque illic in ſinu Muſarum per ipſos tres annos commoratus, laborum ſuorum ſpecimen exhibuit. Nam de Jure Emphyteutico Diſputationem ipſe conſcripſit, & Præſide JCto celeberrimo Dno. a THIENEN defendit. Poſtquam itaq; hactenus intra privatos parietes ſteterat ejus induſtria, tandem & ex umbra in lucem prodire voluit, cum primum viciniora nobis Orbis Europæi regna Galliam & Angliam perluſtraret, & domum redux Anno LXVII. hujus Academiæ Secretarius conſtitueretur. Acceſ-

ſit

ſit poſtea Anno LXXII. Doctoris titulus, & cum ipſo Profeſſio Juris & quidem Inſtitutionum extraordinaria data eſt. Conſpirarunt illis honoribus etiam amores. Nam in fortunarum ſubſidium & complementum, eodem die cum ille Cathedræ ſiſteretur Doctor, domum ipſi ducta eſt Nobiliſſima lectiſſimaque Virgo URSULA Fauſten/ Civis Kilonienſis primarii & Ædis Nicolaitanæ Curatoris jurati, JOACHIMI Fauſten filia, ante duos ipſi menſes acerba morte erepta. Duæ ex hoc matrimonio ipſi progeneratæ filiolæ, quarum altera ipſo in partu ſuffocata, altera ANNA MARGARETA, quadrima puella, utriusque Parentis præſidio jam orbata. Magna erat hæc fundi ejus calamitas cum Uxorem ſibi cariſſimam, in ipſo ætatis faſtigio interemptam videret. Cujus ille deſiderium cum non ferret, habitantem in lubrico laxoque corpore animam, per continuum iſtum mœrorem, paulatim vinculis ſuis ſolvit. Continua illi cum corpore ipſa pene mole ſua ſpiritum ſuffocante lucta fuit; unde graviter, cum ex una hac moleſtia complures orirentur morbi, ſæpe decubuit. Et nunc poſtremo cum præter luctum acerbiorem, qui ſolus conficere illum poterat, accederent itinera ob æſtum ſolis hoc tempore flagrantiſſimum illi periculoſa, hoſpitantem in viſceribus morbum domum reportavit. Statim itaque e curru in lectum deportatus vires corporis in dies ſingulos imminui ſenſit. Quæ cum certiſſima

ipſi eſſent mortis inſtantis indicia, neque remediis locus eſſet amplius, ad animæ Medicum confugit, ac ſalutari viatico inſtructus, itineri in Patriam cœleſtem ſe accinxit. Ardentiſſimæ ejus preces: manus verſus cœlum porrectæ: ſuſpiria e pectoris penetralibus, ex ipſius animæ quaſi fundo ducta: geſtus in moribundo etiam ad religionem compoſiti. Omnia in illo pietatem, etiam cum ſpiritus deficere videbatur, ſpirabant. Cum ex eo quæreret Myſta, qui ipſi adſtabat, quaſi Ἑρμῆς ψυχαγωγὸς divinusque apparitor: an cupide & libenter hinc diſcederet: Ego vero, reſpondit, animo æquo, imo gaudenti ac lubenti diſcedo, Paulinum illum adjiciens: *Cupio liberari a corpore mortis hujus: Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Quibus ille ſanctiſſimis meditationibus immerſus, placide tandem e vita hac deceſſit XX. die Junii annos natos. XXXVII. Quandoquidem ergo ejus quod reſtat hodie hora IIa efferetur. Vos, Cives Academici, ad funus deducendum invitamus. Quod ut facere velitis & communia, quæ alter alteri debemus officia, & ipſa humanitas pietasque efflagitare videntur. P. P. KiloniI, d. XXVII. Jun. Anno clɔ Iɔc LXXX.

53.

QVi in hunc orbem immiſſi ſunt, plerique ita vitam inſtituunt, ut perpetuam ſibi illam velint, ac ultra naturæ ſuæ ſortem, & fati leges animo ex-

excurrant. Adeo nihil eſt nobis, hac luce, hac vita, hoc ſpiritu carius; felicesque nobis videmur, ſi quod datum eſt vitæ, vel inter turbines & tempeſtates, quoquo modo traducamus, ac animum hunc in cuſtodia corporis retineamus. Quotidie nova vivendi conſilia capimus, & de fatis noſtris ratiocinamur. Nulla dies ita ſera eſt, quæ non in longitudinem conſulat, & annos novos ſibi promittat. Pro vita una tot haurimus calamitates, & quaſi parturimus: pro illa DEO vota facimus, opes congerimus, terras mariaque circumcurſitamus, ſudamus, algemus, totque nos curis & vigiliis frangimus. Hæc una ſcilicet tanto apparatu conſiliorum & certamine digna: cum nihil illa ſit levius ac infirmius: noſtræ autem tam vehementer contentiones tanquam σκιαμαχίαι eſſe videantur. Ad mortis vero umbram ac nudum nomen quam pallemus, trepidamus, nec animo tantum commovemur, ſed etiam toto corpore perhorreſcimus! Adeo iniqui ſumus rerum æſtimatores, neque ſuo pretio, ſed pravis hominum opinionibus omnia metimur. Nihil habet profecto mors, quod horrendum ſit. Quis enim nolit ex ergaſtulo in libertatem, e mari turbulento & naufragiis infami in portum, ex ærumnis ad quietem, e tenebris in lucem contendere? Sed ea eſt hominum διάθεσις, ita animati omnes ſumus, ut ea quæ ante pedes ſunt, quæ capiti cervicibusque noſtris incumbunt, tantum videamus, & quod præſens tanquam

quam in manum datur bonum, jucundum habeamus. Quæ enim votis desideriisque nostris blanditur, utut bracteata felicitas, eo tamen quod blanditur, placet, ac fallaci illa specie, vivos videntesque circumducit, umbram pro Junone sæpe amplexos. Pauci sunt, qui futura cogitent & præsumant, ac æternitatis illa spe erigantur: cum illa nobis per omnem vitam volvenda sint, ac tota mente contrectanda. Colligendus intra se mature est animus, ac cogitationibus nostris cœli munimenta perrumpenda. Illic quasi in domicilio suo & arce locandus ille spiritus, est, quem inde corpusculi nostri inquilinum accepimus. Delendæ ex animo sunt quotidianæ illæ rerum mortalium formæ ac imagines, & posito hoc sensuum tirocinio, ad infinita illa, æterna, & ultra mortalitatis contagionem sublata, mens avocanda est. Quare talaria videamus, & evolemus, antequam luto hoc, utut aureo, mersi pondere moleque nostra opprimamur. Non alium se gessit, cum viveret, cui hodie funus ducimus. Nam nec seniles illi tantum, sed & viriles illi curæ fuerunt, ut se seculo eximeret & æternitati etiam in temporis hoc decursu vindicaret. Non enim acerbis tantum casibus, quibus hæc exposita vita est, monitus, sed & morborum crebris, sub extremam ætatem insultibus exercitatus, minime ἀπάλαιστος ad illam Dei Civitatem miles accessit. Quam enim futura secum commentatus fuerit, vel ex eo apparet

paret, quod vitæ hiſtoriam ipſe diligentisſime conſignaverit, & e divinis D. Pauli Oraculis illuſtri illo, quod Epiſtolæ ad Romanos XIV. capite, commate VII. VIII. & IX. legitur, panegyrin illam exequialem ſuam ornari voluerit. Jam dudum ab ipſo hæc myſteria edoctus erat, quam non nobis, ſed Domino vivamus ac moriamur, ejusque juſſu e ſtatione noſtra diſcedamus. Juvat e commentario ejus hic excerpere, quæ ipſemet notaverat. Natus itaque eſt Nobilisſimus atque Amplisſimus Vir. DN. JOHANNES de LENGERKEN quinto ineuntis hujus ſeculi anno, ſub ipſo Solis in ſigniferum ingreſſu, XII. ſcilicet Martii Menſis die, in antiqua illa Saxonum gente, quæ ut Martia virtute olim Romanis formidata fuit, ita e Germaniæ populis prima renaſcentium literarum gloriam occupavit: unde per totam dehinc Germaniam, Belgiumque propagata eſt. Oſnabruga patria ipſi urbs, quæ in lucem dedit, & Chriſtianismi ſacris initiavit. Pater AMELINGUS de LENGERKEN, Urbis iſtius Conſul Amplisſimus: Mater, CATHARINA Schlaffs. Avus Paternus ipſi cognominis JOHANNES de LENGERKEN, Senator Osnabrugenſis ſpectatisſimus, cujus frater AMELINGUS hic KiloniI conſulatum gesſit. Avia Paterna REGINA Hönemans / JOHANNIS Hönemans / Senatoris Osnabrugenſis filia. Avus illi Maternus, Nobilisſimus Amplisſimusque Vir, GERHARDUS Schlaff/Philoſophiæ

&

& Juris utriusque Licentiatus, Consul patriæ urbis & Consiliarius Provincialis, cui una cum cœteris Consulibus celeberrimus Saxoniæ nostræ Historicus D. DAVID CHYTRÆUS tertium & vicesimum Saxoniæ suæ librum inscripserat. Avia Materna SUSANNA Gerenberges / CHRISTOPHORI Gerenbergs / Senatoris ac Secretarii Osnabrugensis filia: E tam præclara stirpe degener nasci non poterat surculus, nec e tot Consularibus ac Senatoriis familiis proletarium aut plebejum aliquid emergere. Quare providi piique parentes operam dedere, ut ludo literario in patriæ urbe ab ipsis ungviculis indoles illa exerceretur, & digna majoribus palæstris tirocinia poneret. Neque enim defecerat, quæ a literarum παλιγγενεσίᾳ ad hæc tempora perducta fuerat provida Scholarum per Westphaliam administratio, unde AGRICOLA & ERASMUS prodierunt, communes Germaniæ & Belgii Doctores, ac Orbis Eruditi, quasi Heroes quidam & Principes: & integer postea hominum doctorum populus, præclaris omnes & amplissimis per Germaniam honoribus ornati. Postquam itaque Noster solida literarum in Schola Patria fundamenta jecerat, anno ætatis vigesimo in celeberrimam Academiam Rostochiensem concessit, ut exædificaret, quæ feliciter instituerat. Ut enim prima illa lineamenta in Scholis ducta sunt, ita studiorum se in Academiis facies vivique colores produnt. Illic Juris scientiæ applicuit

ani-

animum, & per ipſos quatuor cum dimidio annos ita excoluit, ut ex illa ſtudiis optime inchoatis robur & firmamentum circumponeret. Nam Scholis tam publicis quam privatis, doctisque velitationibus ſe ipſum aliosque jam ſatis ad palæſtram illam armatus, exercuit. Sub autumnum Anni cIɔ Iɔc XXIX. Roſtochio Lubecam vocatus, per annum illic ſubſtitit, clarorum doctiſſimorumque hominum familiaritate uſus & conſortio. Quo factum eſt, ut cum de doctrina ejus ac moribus optimis fama paſſim ſpargeretur, Beati quondam Aulæ noſtræ Cancellarii DN. NICOLAI Jungen/ filius unicus ipſi de manu, quod ajunt, in manum traditus fuerit. Illum in Wittebergenſem Academiam deduxit, ubi per annum moratus, in Scholis Jurisprudentiæ Weſenbecianis legum ancipites vias rationesque & pro omnibus & contra omnia diſputandiquotidiana exercitatione percepit. Cum vero a primo illo Lipſienſi prælio Anno cIɔ Iɔc XXXI. cum autumno peſtilentia Academiam internecino morbi genere depopularetur, ex illa tum temporis quaſi Morbonia in vicinam Lipſiam confugit. Sed & hic illi in omnem magni terroris acceptum, quod una nocte, intra urbem, ſangvineo tincti colore fontes viſi ſunt. Ideoque Gryphisvvaldiam ſe recepit: ſed quia bellicæ illic tempeſtates Muſarum regno ſolitudinem & vaſtitatem intulerant, Roſtochium adiit, & veteres illic lares ſuos ſaltavit. Hinc ami-

micorum ſvaſu Hamburgum Anno cIↄ Iↄc XXXII. petiit, ibique pragmaticorum ſacris & cauſis orandis ſe totum impendit. Quod cum eligeret vitæ genus negotioſum, domeſticas, quibus fori tædia interpungeret, ac moleſtias ſolaretur, delicias quæſivit, ac invenit facile, Uxorem dilectisſimam, CATHARINAM GERTRUDEM, pie defuncti, GERHARDI Schröders/ Canonici Lubecenſis, filiam unicam, cumque illa Lubecæ IX. Junii die, Anno cIↄ Iↄc XXXIV, nuptiarum ſolennia celebravit. At Hamburgi, ubi forenſibus negotiis animum adjecerat, ac ante aliquot annos Vicarii apud Capitulum beneficio auctus fuerat, fortunarum ſuarum figere ſedem conſtituit. Sed viſum aliter fatis fuit. Vix enim quatuor inter primos illos thalami luſus menſes exceſſerant: cum ipſis ejusdem anni Kalendis Octobribus, e recentibus tori gaudiis ad Agni nuptias illam mors evocavit. In hac viduitate ac ſolitudine ſua biennium integrum conſumſit. Quo elapſo, Anno cIↄ Iↄc XXXVI. V. Octobris die Virginem ornatisſimam lectisſimamque LUCIAM, RUDOLPHI Fauſten/Protonotarii & Archivarii Provincialis meritisſimi filiam altero ſibi matrimonio junxit. Qua occaſione factum eſt, ut per ſoceri ſui commendationem inter Dicaſterii Provincialis Advocatos fuerit cooptatus. Quam ob cauſam ſedes domiciliumque ſuum KilonI collocavit, ædesque ſuo ſumptu exſtructas Anno cIↄ Iↄc XLIII. inhabitare

cœ-

cœpit. Sed inauſpicato hæc demigratio inſtituta fuit. Vix enim annus interceſſerat, cum bellica e Septentrione tempeſtas illum hic in loco Martis injuriis opportuno deprehendit, ac repentina illa vi perculit & afflixit. Nam ipſe una cum aliis ex Eqvitum & doctorum virorum ordine, (qui jam fatis conceſſerunt) Anno CIↃ IↃC XLV. in arce Kilonienſi per XVI. dies captivus detentus fuit, usque dum Sereniſſimo Principe urgente e carcere dimitteretur. Sed cum iſtis ſe procellis committere diutius conſultum non exiſtimaret, & vel inteſtina fraude, vel vi aperta gererentur multa; itineribus deviis Hamburgum, velut ad aſylum quoddam, cum uxore ſua dilectisſima confugit. Quæ turbæ poſtquam compoſitæ, Kilonium rediit, & Anno CIↃ IↃC XLVIII. Senatorio hujus urbis conſilio admotus toto illo tempore prudentis conſideratique hominis perſona digna geſſit, ac civilem ſe admodum egit. Enituit certe egregia in illo virtus, ea in provincia naviter ſatis verſato. Clavum enim ſemper rectum tenere aſſvetus a concredito ſibi munere oculos nunquam dejeciſſe viſus eſt, in rebus expediundis acer & induſtrius. Eſt hominum genus, qui ad excogitandum acutiſſimi, ad audendum impudentiſſimi, ad efficiendum acerrimi, ingenii multiplicis & tortuoſi, intemperiarum & negotiorum pleni: quorum a moribus longe aberat Noſter: nam probitatem ac ingenuitatem omni acumine verſuto,

vaframentis præſtigiisque forenſibus antiquiorem habuit. Qua animi rectitudine ut gratioſus apud Collegas & Cives ſemper fuit: ita facile obtinuit, ut Conſulatus illi dignitas Anno clↄ Iↄc LXIV. Februarii VI, magno illo memorabilique Græcorum faſtis, ſi Æliano credimus, die deferretur. Cujus particeps eſſe non potuit, quæ ſuperiore anno, die Aprilis XXI. extremum in mariti complexu vitæ ſpiritum Uxor ediderat. Non fuerunt illi ſine omni turbine & nebula usque ad Conſulatum traducti anni. Novis n. belli furiis agitatus Septentrio Anno clↄ Iↄc LVII. has quoque terras flammæ vicinitate corripuit. In fuga itaq; ſalutis ſuæ præſidium iterum quærere coactus, poſtquam annum hic unum ſuſpenſo inter ſpem metumque animo exegerat, Lubecæ quaſi e ſpecula & ſecuro receſſu turbarum iſtarum ſpectator fuit: cum tamen iſtius exilii ſui penes ſe ſolatium haberet, ſvaviſſimam conjugem. Qua poſtea privatus omnes vitæ annos in orbitate ſua, fidei tamen amoriſque conjugalis priſtini non immemores tranſigere decrevit; Ne quid tamen Res familiaris detrimenti caperet, curarum domeſticarum ſociam elegit, URSULAM, JOACHIMI Fauſten/ qui beatæ Uxoris ſuæ frater erat, filiam. Quæ cum ter graviſſime decumbenti conjugi ſummo ſtudio ſemper præſto fuiſſet, ac dexteritatem probaſſet, jacentem foviſſet, hoc quaſi adminiculo bis erectam ac refocillatam: tam inſigni fi-

fidei non vulgaris experimento incitatus, illam in ſenectutis ſuæ ſolatium ac firmamentum jam tum deſignavit, ſi conjugii expertem ducere vitam ſibi propoſuiſſet. Non diſplicuit ipſi tamen poſtea initum cum JOHANNE PHILIPPO ROSMANNO, Academiæ tum temporis Secretario, hinc Juris Doctore & Profeſſore Extraordinario connubium: cujus die XVI. Decembris Anni clɔ lɔc LXXII. hic publice celebrata ſunt ſolennia. Quoniam vero Anno clɔ lɔc LXX, die XX. Decembris illam bonorum, quæ in Holſatia poſſidebat, heredem ſcripſerat, die XVII. Auguſti anni ſequentis adoptaverat: eadem domo menſaque cum filia generum adoptivum accepit, comiterque ac benigne ſemper habuit. Vixerunt itaque una, usque dum fatis aliter viſum. Nam quam ille ſibi heredem deſtinaverat, quam filiam dixerat, a qua ſenectuti ſuæ præſidium ſperaverat, illa Parentem ſuum in hac mortalitatis lege explenda præivit, ac XXII. Aprilis die ſuperioris anni, e domo illa paterna elata, e thalamo amplexibusque mariti in tumulum illata eſt: a qua ille tam ægre divelli potuit, ut XX. Junii die uxorem via illa ſequeretur. Alia itaque rerum ſuarum conſilia inire ὁ Μακαρίτης noſter coactus. Nam per mortem Adoptivæ teſtamenti tabulis prioribus everſis, novas confecit, ne quis poſt mortem ſuam locus litibus aperiretur. In Conſulatu illo, cui admotus erat, ita ſe ipſum aliosque ac rempublicam

tractavit, ut ubique & virtus & opera ejus eniteret. Cujus extrema in difficillima illa Patriæ noſtræ tempora inciderunt, quibus pene omnem ſuccum ſangvinemque priſtinæ felicitatis amiſimus. Non defuit tamen, quamdiu per valetudinem licuit, conſilio, quo rebus turbulentis ac pene profligatis ſuccurreret: cum interim plurima rei familiaris ex acerbisſimis tributis naufragia faceret, ac plagas etiam ſuas, inter graviſſima & mortifera Reip. vulnera acciperet. Ex quo vero pedem domo efferre ſenectus & valetudo prohibuit, quibus potuit rationibus, vel intra ipſos parietes, atque adeo e lectulo ſuo conſilia fidelia deliberantibus dedit: remittente tamen per inducias morbo, nonnunquam in publicum prodiit, ac ſenatui conſultanti vel præfuit vel interfuit. Graveſcebat ejus cum ſuperioris anni exitu valetudo. Menſe enim Decembri novis inſultibus tentatus, cum extremum corpuſculo tot morbis concuſſo admoveri arietem, ſeque ad finem mortalitatis pervenire perſentiſceret, de divino Numine ſibi propitiando laboravit unice. Cum itaque ſalutari medicina animæ proſpexiſſet, altero ſtatim die in fatalem illum lectulum conjectus, unde tandem in ſepulchrum elatus eſt. Aſſidue ipſi inhærebant febres, quarum vim cum amoliri exſucca jam & effœta natura non poſſet, accedente etiam diarrhœa, ſpiritusque ſuperſtites disſipante, inſtar lucernæ humore defectæ jamque extremum

mum lumen ſpargentis, defœcatos, & a corporea contagione, continuis febrium flammis per purgatos animi igniculos Patri illi Luminum reddidit, & velut victimam immolavit. Neque magna vi in diſtrahenda a corpore anima opus erat, quæ ab illius interiore receſſu evocata in labris jam hærere videbatur, præſertim cum preces ad DEUM funderet. Quamdiu decubuit, plagas a DEO immiſſas ſilentio tulit, nec vultu aut geſtu dolorem ullum prodere viſus eſt. Nam divinæ ſe ſuaque omnia voluntati permittens, cum vel vivere vel mori ſuo ſe Domino, non ſibi, ſciret, ejus vel ſtare vel cadere arbitrio paratus fuit, & prout viſum eſſet ſummo Imperatori, vel manere, vel e ſtatione ſua diſcedere. Sed videbatur tamen ad æternam illam quietem ſponte ſua ferri animus, quam ille jam ſpe præceperat, cujus deſiderio plus quam morbo ipſo angebatur. Omnia humana levia ducebat præ æternis illis & immortalibus, quæ ſtatim ſordebant, frigebantque, poſtquam cœleſtium cupiditate flagrare cœperat. Non ſemel optavit, ut rebus ſibi humanis ante nundinarum tempus exeſſe liceret, cum ad heredes ſuos familiaria illa, quæ ſolent tum frequentari, negotia tranſire mallet, quam illis nunc amplius diſtineri. Libros nocturna diurnaque manu volvit, qui εὐθανασίαν Chriſtianam ipſum docerent, quamdiu per ſenſuum vigorem licuit. Quando ipſe oculis uti ſuis ac voce non potuit, alios

rogavit, qui legerent preces, ac verba præirent: quibus ille non aures ſolum lubentisſime commodavit, ſed & fugientis jam animi veſtigia, retraxit, ut fatis preſſum caput ad dulcisſimum JESU nomen erigeret. Sexto ante beatum, ſuum exceſſum die iterum impetrata peccatorum venia ſacro-ſancta cœna Dominica uſus fuit, atque ex eo tempore cum fatalem illam, horam appropinquare animadverteret, nihil ipſi longius fuit quam ut videret illum cœleſtis Sponſi quaſi proxenetam & nuncium; Divini verbi præconem, ſupremi illius agonis paraſtatam: qui precibus ſuis alloquiisque firmaret, qui ſitientem animam limpidisſimis illis Israëlis fontibus refocillaret. Cumque in his meditationibus totus eſſet, die Januarii XXV, quo divina lux olim Saulum circumfulgens, & cœleſtis Academiæ tirocinio imbuens, in Paulum commutavit, hora XIIa, poſtquam LXXV. annos, decemque menſes feciſſet, vivere deſiit, vel potius æternam illam vitam, novos natales ſuos ingreſſus, inchoavit. Æternum illi bene ſit, cujus etiam poſt fata nominis apud nos ſupererit memoria. Quandoquidem vero hodie hora II. exequiæ ipſi parantur. Vos, Cives Academici, rogatos volumus, ut extremum hoc beato Dn. Conſuli officium haud gravate velitis perſolvere, & funus frequenti comitatu exequi & honeſtare. P. P. Dominica Eſto Mihi. Anno cIↃ IↃc LXXXI.

54.

QUamqam multa nos circumvenire mala incautos ſolent: multi undique affligunt dolores: nam in rerum hoc perpetuo fluxu ad ſcopulos aliquando ut impingamus neceſſe eſt: nulla tamen gravior incutitur plaga, quam cum filios, domus noſtræ præſidia atque firmamenta, ante diem efferri videmus. Ut enim tenerrimus ille amor eſt, quo in cariſſima thalami pignora, ipſa noſtra viſcera, ac animæ noſtræ partes rapimur: ita vulnus eſt acerbiſſimum, quo animus pervellitur, quo a nobis ipſis divelli videmur, cum ab ipſis divellimur. Qui amoris fomites ſunt, iidem dolorem ipſum in nobis incendunt. Sive enim animo noſtro obverſetur, quod nati ſint e nobis; multo ægrius ferimus jacturam tam gravem, quam ſi membro aliquo mutilemur: Sive educationis illam curam, qua nulla eſſe ſvavior poteſt, reſpiciamus; fatendum eſt nulla re moveri magis angique animos noſtros poſſe; quam ſi virtutum noſtrarum imagines obliteratas, ſi bonæ mentis meſſem in herba ſuffocatam, omnemque ſpem occiſam videmus. Sive poſteritatis habeatur à nobis ratio: de nominis noſtri generisque memoria ſublata querimur, atque una cum liberis, in quibus vivere poteramus, periiſſe nobis videmur. Nihil denique eſt, omnium illorum, quæ hominibus ſancta caraque ſunt: nulla tanti ſunt, quantacun-

que etiam fortunæ blandimenta: ut præclari istius boni, quod è liberorum educatione persentiscimus, elevare opinionem possint. Mirum itaque non est, si, cum animo illa pervolverit, intimis sensibus angatur Magnificus, Nobilissimusque Dominus SAMUEL RACHELIUS, Reverendissimi, Serenissimique Principis nostri Consiliarius, ac Eiderstadensis Præfectus, Collega quondam noster honoratissimus, qui maximæ spei filium, immatura sibi morte nunc ereptum luget. Videmur nobis ex ore ejus audire, quæ disertissimus quondam Orator Himerius funebri illa laudatione in filium Rufinum protulit lamenta, consignante ista in Bibliotheca sua Photio: Ηγνόουν ὁ δείλαιος ἀντὶ μὲν λουτρῶν ἀνιστάς σοὶ Τάφους· ἀντὶ δὲ οἰκιῶν, τύμβους καὶ χώματα· ἀντὶ δὲ πλούτου καὶ χλιδῆς, τραγικώτατα δῶρα τῶν ἐν ἀνθρώποις, ἐντάφια: *Nesciebam infelix pro balneis me tibi sepulchrum, pro domibus bustum, & tumulum pro divitiis & pro voluptate funeralia, quæ hominibus omnium tristissima sunt, erigere.* Nos quidem dolori illius non intercedimus: sunt enim ipsi dolendi causæ & multæ & gravissimæ: sed tamen ex ipsa illa commemoratione & vulneris istius refricatione remedium dolori quærimus. Accidit enim nonnunquam, ut ipsa calamitatis nostræ accuratior meditatio animum demulceat, ut quod incussum nobis est vulnus, dum scalpello ampliatur, vel acerbius tractatur, eò facilius cicatricem obducit.

Nam

Nam nec exiguo ac levi ſolatio eſt genuiſſe filium non degenerem, quique, cum vitæ ulterioris in his terris particeps non eſſet, novam illam ac æternam in Civitate Dei ingreſſus ſit. Ut magnis excidere auſis non inglorium eſt; ita præſtantiſſimi boni jacturam feciſſe, non omnis ſolatii expers, cum vel ſola iſtius memoria poſſeſſionisque priſtinæ gloria non parum recreemur. Vobis verò, Juvenes optimi, eo lubentius inſpicienda hæc exempla proponimus, quo longius à meta illa vos abeſſe creditis, ut has vitæ noſtræ neceſſitates variosque caſus, etiam in vegeta illa ætate mature vobiſcum commentari diſcatis. Quemadmodum itaque ad honorem pie defuncti, ita ad veſtra intereſt commoda, ſiſti vobis atque ob oculos poni, hæc mortalitatis humanæ theatra. Natus eſt ὁ μακαρίτης Noſter, Juvenis Nobiliſſimus, PETRUS GEORGIUS RACHELIUS, Helmſtadii Anno cIↄ Iↄc LXIV. die XVIII. Martii, Patre, Magnifico, Excellentiſſimoque Viro, Dn. SAMUELE RACHELIO, Academiæ tum Juliæ, ac poſtea Noſtræ Profeſſore celeberrimo, ac Collega honoratisſimo, nunc Reverendiſſimi ac Sereniſſimi Principis Cimbrici Conſiliario ac Præfecto Eiderſtadenſi: Matre vero Nobilisſima CATHARINA URSULA Rothſchröders / quæ Kiloni d. XXV. Aug. An. cIↄ Iↄc LXVII diem ſuum obiit. Avus ipſi Paternus fuit, Vir Pl. Reverendus M. MAURITIUS RACHELIUS, Eccleſiæ

Lundinensis apud Dithmarsos Pastor Primarius: Maternus, Vir Nob. & Spectatissimus JOHANNES Rothschröder / Quæstor Poppenburgensis in Ducatu Brunsvicensi: Proavus Paternus, Vir Prudentissimus & Integerrimus, JOACHIMUS RACHELIUS, Senator ac Camerarius Oppidi Malchovii in Ducatu Megapolitano. Proavus Maternus: HENRICUS Rothschröder / Senator Oppidi Pattemsen / in Ducatu Brunsvicensi. Non poterat à tanto Parente, tam præclara Matre & honestissimis his Majoribus ingloria prodire progenies: nam & in ipsa illa tenerrima ætate jam tum amplissimam optimarum virtutum spem ostenderat. Statim à puero ab ipsis incunabulis pietatis in illo bonæque doctrinæ igniculi excitati, per Parentes, & qui ipsi dabantur ad Virtutem Duces, Præceptores lectissimos. Elucescebat in illo liber & ingenuus animus & ad præclara quæque factus. Observasses vel in ista ætate honesta, recta, laudabilia, decora, quæ speciem aliquam τοῦ καλοῦ jam repræsentabant. Inest quibusdam ingeniis sua quædam singularis & nativa bonitas, tantopere Illustri illi Angliæ Cancellario, Baconi, in Sermonibus suis de rerum interioribus, deprædicatà: qua illa sponte sua sine stimulis, monitis, præceptis, sine pœnarum & verborum acerbitate omnia virtutis industriæque ornamenta sectantur. Ex adverso alii sunt, quibus ingenii quidem ce-

celeres ſunt motus, ad ex cogitandum acuti, memoriam firmi atque diuturni: ſed refractarius in illis animus, ferox, pervicax, turbat omnia, & inconſiderato impetu evertit. Melioribus iſtis ingeniis accenſeri Noſter poterat, quem integerrimum ſemper imperiisque ſuis obedientiſſimum deprehenderunt Parentes: ut vel hinc conjicere liceat, quam illos tam cari capitis jactura remordeat. Tonningæ apud Parentes, in medio ſtudiorum ſuorum curſu, febri tentari cœpit pertinaci ac diuturna, cujus vi morbi tandem conſumptus eſt. Mature itaque Pater, ne ſub paluſtri illo cœlo altius radices febris defigeret, in Academiam Kilonienſem una cum fratribus illum ablegavit, ut tenuioris ſalubriorisque uſu aeris morbo paulatim ſubtraheretur fomes. Sed acceſſit poſtea ad febrem quotidianam morbus aquæ intercutis, qui à levibus primo initiis, vix Parentibus animadverſis, aut in periculi ſuſpicionem tractis, tacitis ſubdolisque progreſſionibus augebatur. Quod cum animadverteret Parens, ab inferioris Saxoniæ Comitiis redux, duorum hic Medicorum fidei & ſolertiæ illum commendavit. Quare nihil opis artisque ſuæ vel Celeberrimus Dn. D. JOHANNES DANIEL MAJOR, Collega noſter honoratiſſimus, vel Experientisſimus Dn. D. Langemaeck / in morbo illo oppugnando prætermiſerunt. Sed fruſtra quidem illi contra vim gravitatemque ejus contendebant, exhau-

hausta jam tum per quartanam semestrem & huic succedentẽ quotidianam & hydropa corpore, omnibusque naturæ viribus eversis. Cum itaque fatalem sibi horam imminere & persentisceret & divinaret Noster: definitum enim à fatis obitus sui diem mente & cogitatione prospexit: missis omnibus, ad Deum & divinarum rerum meditationem se totum convertit. Parenti ille suo carissimo, cum ante mensem ad illum inviseret, supremum vale dixit, hâc in vita non amplius illum visurus. Nihil itaq; vel spei vel rei terrenæ quod moraretur, supererat. Vocatus ad illum divinus Orator atque internuncius animum deprehendit in doloribus intensis constantissimum, & cœlestis gratiæ sitientissimum. Refocillatus itaque divino cibo preces ad Deum fudit ardentissimas, horam illam acerrime exspectans, qua ad Autorem suum naufraga è corporis illo sui diluvio enataret animula. Illa vero inter ministeria, amplexus, lacrymasque fratrum, salutis suæ portum die XXVII. Septembris hora VIII. attigit. Æternum bene ille sit! Parentem vero Nobilissimum solatia illa erigent, quæ è divinæ humanæque sapientiæ fundo jamdudum præcepit. Habeat ille nunc apud Deum fidei suæ amorisque in illum perpetuum hunc velut obsidem filium, in cœlestem familiam summo vel imperii vel patriæ potestatis jure cooptatum. Vos autem, Cives Academici, ad quos nostra hæc spectat Oratio,

ro-

rogamus hortamurque, ut exuviis ejus, quæ tumulo hodie inferentur, veſtræ mortalitatis memores, extremum perſolvere officium, velitis. Quod cum ipſa humanitatis ratio, tum Celeberrimi in hanc Academiam Parentis merita jure quodam efflagitare videntur. Valete. P. P. KiloniI d. V. Octobris Anno cIↃ IↃC LXXXI.

55.

QVod Hebræorum nonnullis in uſu poſitum eſſe accepimus, ut primo ineuntis anni die ſepulchra adeant, mortalitatis ſibi memoriam ſub anni auſpicia refricaturi: id nos quoque, Cives optimi, primo hoc anni menſe facimus, cum ad Viri Optimi funus deducendum vos invitamus. De Celtis memoriæ prodidit in libro de anima Tertullianus, eos ad virorum fortium buſta pernoctare conſveviſſe, quod inſpirari ſibi abditarum rerum cognitionem, ex illa cum mortuis converſatione, crederent. Rectius nos piorum hominum monumenta, ut Scholam nobis apertam luſtrabimus, ut in rem quaſi præſentem deducti mature ſapere, non tardi utilium proviſores, diſcamus. Nulla ſe efficacioribus exemplis ingeret animo doctrina, juventuti eo diligentius inculcanda, quo ſe a fatis ſuis abeſſe longius exiſtimat. Qui in hac

eu-

εὐθανασίας schola γηράσκει πολλὰ διδασκόμενος, optime tempora & studia sua collocavit. Non invitamus autem ut præficas ad lamenta ingloria, quibus nihil in piorum exequiis opus est, qui mediis in triumphis extremum vitæ diem obierunt, & triumphales potius hymnos, quam tristes a nobis elegos exspectant. Quod si olim de se vana laudum suarum gloria elatus Ennius:

Nemo me lacrumis decoret, ne funera fletu
Faxit, cur? volito vivu' per ora virum.

Quanto rectius mœrorem & nænias ab exequiis suis proscribent viri pii, qui non tam per ora virum volitant, quanquam & æterna justi est memoria, quam ante ora Dei in æterno ipsius conspectu versantur: nobis hic ad Babylonis flumina sedentibus, & luto nostro immersis. Nobis hic inter belluas, vel sterquilinia potius, qualia hominum inquisitor reperiebat Diogenes, vivendum est. Obsidemur undique furiis, & si aliunde non est, certe a nobis ipsis imminet nobis periculum, qui hostes nostros in sinu gestamus, & blanditiis nostris fovemus. Vix pedem movemus, & in laqueos & casses incidimus; vix oculos flectimus, & formarum illecebris irretimur; vix manum vertimus, & irruenti ponderi succumbimus. Dabimus itaque operam, ut mature animum a mortalium rerum contagione abstractum, ad cœlestia excitemus, & per funera piorum, velut viva spirantiaque documenta, æternæ sapientiæ prælu-

ludia nobis præfiguremus. Exclamabat Zenone diem ſuum obeunte Rex Antigonus: *Quale theatrum amiſi!* Cum enim eo familiariter uſus egregias in ipſo animi dotes ſuſpiceret, totam ipſius vitam, ut qui virtutum chorum vivus circumferebat, theatrum appellabat, idque nunc ſibi ademptum dolebat. Quidni idem in Virorum piorum demigrationibus nos dicamus? *Quale theatrum amiſimus!* Imo potius: *Quale theatrum nunc panditur!* Illud enim non prius, quam ab hac mortali ſcena diſceſſum eſt, aperitur, tumque latius effulget, cum extremo illo agone, vitæ fabulam bene abſolvimus. Nec perire illud poteſt, quod continua hominum memoria renovatur, & in Dei & beatarum mentium conſpectu, ad viventium imitationem proponitur. Præclarum & vobis, Cives Academici, theatrum explicuit, qui vita jam diſcesſit Nobilisſimus Amplisſimusque Vir, Dn. GEORGIUS GREENIUS J. U. L. & Archivarius ac Protonotarius Provincialis Regio-Ducalis meritiſſimus, Vir, quod ultra omnes titulos eſt, morum probitate & integritate conſpicuus. Magnum hoc laudis & virtutum theatrum eſt, in hoc pesſimo & virtutum ſterili ſeculo, Bonum audire omnibus, quem licet ruſticiorem, e peſſimorum ſcilicet ingenio, titulum, omnibus præferre pompis & triumphis non dubitat Seneca. Natus itaque ὁ μακαρίτης noſter eſt Lubecæ Ao. cIↃ IↃC XXXI, Martii XIII. die, Patre Viro ſpectatiſſimo & integerri-

mo

mo HANSO GREEN, Mercatore primario; Matre honestissima & sexus sui virtutibus ornatissima EMERENTIA KIRCHMANNIA, Viri Celeberrimi, JOHANNIS KIRCHMANNI filia. Avus ipsi paternus fuit GEORGIUS GREEN; Avia ANNA Meysters: Proavus, JACOBUS GREEN. Avia materna EMERENTIA Schelen/ Proavus maternus GERHARDUS KIRCHMANNUS, Proavia GESA Dreyers: honestissima, & apud Lubecenses spectatissima Civium nomina. His natum Parentibus, his ortum majoribus non destituebant bonæ indolis & mentis semina. Quæ ubi primum exerere se cœperunt, excolendum optimis artibus & lingvis hunc animum suscepit Avus in hac palæstra πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, KIRCHMANNUS. Cujus viri quanta fama apud Germanos exterosque fuerit, nemo in bonis literis versatus ignorare poterit; ut in felicitatis suæ parte maxima reputare debeat Noster, hoc Avo, tot Mercuriorum Polycleto & Phidia, prima illa bonæ mentis, lingvarum artiumque lineamenta duxisse. Ex hujus officina in alteram illam Bordsholmensem concessit, cui tum præerat optimorum ingeniorum Prometheus sagacissimus SPERLINGIUS. Totum in hac palæstra, hoc duce, quadriennium consumpsit, unde in Academiam Rostochiensem, postquam jam suo niti remigio poterat, non ut ἀπτῆνες νεοσσοὶ vulgo in præcipitia ruere solent, evolavit. Hic JCtorum Celeberrimorum pri-

primum Dn. D. SCHUCMANNI, hinc Dn. D. REDEKERI opera uſus, ſolida jecit Juris Romani fundamenta, quæ in Altorffina Academia, ſub LUDWELLI, Viri Clariſſimi, auſpiciis, perpetuus ipſius domeſticusque auditor, ac poſtea in Academia Julia perfecit: ut, tandem publico legitimæ ſcientiæ ſpecimine in Academia Roſtochienſi propoſito, diſputatione ſc. inaugurali de *Sententia* honores doctoris capeſſendi licentiam, cum omnium applauſu obtineret. Poſt abſolutum ſtudiorum ſuorum in Academiis curriculum, illam orbis univerſitatem, ut peregrinator & κοσμοπολίτης, adiit, ut ex uſu ipſo doctrinæ caperet incrementa, & quaſi gemino hoc cardine eruditionis ſuæ ſphæram firmaret. Poſtquam igitur Argentorati per aliquod tempus ſubſtitit; Gallicum iter ingreſſus eſt, & Lutetiæ Pariſiorum annum integrum explevit. Quantum illic elegantium ingeniorum operumque fuit, id omne pervidit, & tantum peregrinæ venuſtatis admiſit, quantum Germanicam virtutem non infringeret. Bonis itaque moribus optimisque virtutibus ornatum cum viderent omnes, factum eſt ut Regii Cancellarii Dni LENTENII filius ipſius fidei committeretur, quem ille per Germaniam, Galliam, Italiam fidus ejus Achates, atque in hoc cultiorum Europæ gentium theatro, ſpectatorem circumſpectum circumduxit. Neque intra Europam ille peregrinandi ardor ſubſtitiſſet, ſed in ipſum orientem pertendiſſet,

nisi anno cIↄ Iↄc LXIX. domum revocatus, & Spartam Archivarii Provincialis, & cum illa thalamos sibi paratos invenisset. Ergo ut intra domus angustiam Orbis hujus ἐγκυκλοπαιδείαν compingeret, domum duxit Nobilissimam elegantissimamque Virginem, Viri Nobilissimi & Amplissimi D. MARCI Kohlblad/ Archivarii & Protonotarii Provincialis, decessoris sui filiam, nunc viduam eheu! mœstissimam. Quam placide cum illa ætatem exegerit norunt omnes, & ipsa testantur conjugalis amoris βλέποντα μάρτυρια, utriusque sexus proles ornatissima, e quibus supersunt ANNA EMERENTIA, CHRISTINA, MARCUS HUGO, dulcissima thalami pignora: nam LUCIA MARGARETA mature fatis concesserat. Hic denique vitæ ejus cursus fuit, ut nusquam offenderit, nemini gravis, moribus commodus, officiis promtus, animo sincerus, fide spectatus, ad nullos fortunæ vultus vel superciliosus vel querulus, omnibus denique vitæ partibus moderatus, secum potius habitans, quam extra se quærere se laborans. Levibus quidem initiis morbus ipsi processit, sed in corpore caussario & cacochymo altius figens vestigia. Ex esu acidorum non tamen immoderato, ante hos XIV. dies, flatibus & doloribus torqueri cœpit. Quibus altera, statim die, febris continua & mali ominis, e fomite suo occulto in flammam prorumpens, successit, quæ quietem ipsi turbavit, & vires statim dejecit. His utcun-

cunque reductis, venam ipſi ſecari conſultum viſum fuit. Parum ipſi ſangvinis, ſed informis & degeneris extractum, ad cujus ἀταξίαν corrigendam, & ſuſpecta miaſmata ipſi impreſſa, ope balſamicorum & expellentium eliminanda, nihil eorum, quod factu opus fuit, intermiſſum eſt. Sed quarto die febris adeo recruduit, ut vires omnes fatali quaſi ictu proſterneret, ipſeque tandem ſub his inſultibus, accedente gravi ſyncope & poſt horas aliquot catarrho ſuffocativo, divino antea viatico inſtructus, inter aſſiduas adſtantium preces, piam illam animam, in manus divinas, XVIII. ſc. Januar. die, annos quaſi LII. natus, reſignaret. Bene ſit animæ beatiſſimæ; Bene viduæ liberisque tam gravi plaga percuſſis, qui Mariti Patrisque jacturam acerbis lacrymis deplorant. Cæterum ejus quod reliqvum eſt, hora IIda hodie efferetur. Ad funus itaque deducendum, cum noſtra nos invitet pietas, vos quoque Cives Academici operam dabitis, ne quid officii humanitatisque in vobis deſideretur. P P. Kilonl. d. XXVIII. Januar. Ao. cIɔ Iɔc LXXXIII.

56.

Quam ex hoc loco philoſophiam, quoties occaſio tulit, Cives optimi, vobis propoſuimus, mortis ſcilicet meditationem, ejus illuſtre exemplum

nunc ob oculos sistimus, quo nulla præceptionum vis validius segniores animos permoveat atque impellat. Nam cum ad externa & aliena funera vos sæpe vocavimus; domestico nunc & propiore Commilitonis vestri casu ad hanc beatæ εὐθανασίας scholam invitamini. E Plinio didicistis: *vestem a tineis non attingi, quæ fuerit in funere*; Vos itaque date operam, ut animo vestro intaminatam istam pietatis vestem mature circumponatis, quæ quotidiana mortis meditatione, velut odore quodam funere imbuta, tineas & vermiculos scelerum, qui animum rodunt, non tam facile admittat. Pauci sunt, qui hic sibi semitam sapiunt: nam in luto hærent plerique, & voluptatibus curisque suis lacertos non erigunt, ac cælestia vix per nebulam intuentur. Quam trepidant hic, quam horrent etiam illi, qui voce & supercilio metum omnibus excusserunt Achilles πάνοπλοι! Quam nihil hic sapientia præsidii sibi relictum sentit! Quam sibi ipsis diffidere incipiunt illi, in quibus alii spes suas posuerant, quibus vota sua consecrarant, à quibus fortunas suas & ornamenta exspectabant! At vero qui unum illud necessarium attenta cogitatione semper contemplantur, & hoc sibi in omni vita propositum habent, ut metam illam, ad quam omnes collineare debemus, assequantur, facile ex animo delent terribilem mortis imaginem, & lætiorem illam animo mortis speciem induunt, cum assiduis meditationibus de illa philosophantur. Neque enim, quod Enni-

rianus ille Neoptolemus ajebat: paucis hic philoſophandum. Neoptolemi illi ſunt & tirones, qui ita judicant, licet annis Neſtorem ſuperent: at veterani ſunt, qualis ὁ μακαρίτης noſter, qui in florente etiam ætate hanc philoſophiam ἔργα καὶ ἡμέρας ſibi eſſe voluit. Non inſperata illi mors venit, ſed jamdudum animo præcepta, & quaſi in ſocietatem vitæ admiſſa, effecit, ut vix ſe corpore exui ſentiret. Juſtorum illa mors ſerena ſemper facie apparet. Quare cum D. Johannes Mortis eqvum χλωρὸν deſcribit, non ſine cauſa fortasſis eâ voce utitur, quæ & *pallidum* & *viridem* ſignificat. Eſt ſcilicet quibusdam mors pallida, tetrica, ſordida, quos vitia ſua decolorant, & hoc metus colore, ut alterius mortis Candidatos tingunt. Eſt viridis illa piis beatisque mentibus, quæ virentes, ſicut palmæ, hoc bonæ ſpei colore ſaturatæ, dulcem & jucundum ex hac vita abitum ſortiuntur, in cœlo laureis im̃ortalibus ornandæ. Qui noſtrum hunc, cui funus hodie ducimus, propius norunt (norunt autem omnes boni bonum, docti doctum, pii pium) tot optimis artibus arctisſimo vinculo nexam pietatem in ipſo illo ætatis lubrico deprehenderunt. Ex quo enim ille nobis innotuit Albo Academico inſcriptus, ita ſtudiorum & vitæ ſuæ curſum inſtituit, ne vitæ libro nomen expungeretur, ita illum ἐγκυκλοπαιδείας orbem decurrit, ne extra pietatis & bonæ mentis orbitam deflecteret. Cum Philologiam ſectaretur, cum Philoſophiæ operam daret, ſedu-

lo cavit, ne ad præcipitia illorum deduceretur, qui ἐμωράνθησαν καὶ ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Ut multa hic logorum plena obſervavit, ita ab iis ſibi temperans, unum illum atque æternum ΛΟΓΟΝ menti infixum habuit ſemper, quem cum ſeria pietate coleret atque amaret, quem cum ſapientiam Patris ſui è Numinis æterni Schola didiciſſet, ita ſcholarum ſe deliciis tradidit, ut ſe & cœleſtis Academiæ Philologum & Philoſophum eſſe meminiſſet. Natus eſt Bordsholmi, in ipſo Muſarum Cimbricarum ſinu (illic enim tum temporis bonæ literæ & artes florebant) Anno cIↃ IↃC LIII. d. XII. Febr. hora XII, medium cœli culmen tenente ſole, quod Aſtrologorum filii, ſi cætera ſigna non abnuerint, felicitatis non leve præſagium eſſe exiſtimant. Pater ipſi fuit ECCARDUS, Præfecturæ Bordesholmenſis ſubquæſtor, Mater femina ornatisſima ANNA KIELMANNIA, cui alterum in hoc filio ſibi erepto vulnus inflictum eſt, eoque gravius, quo firmius ſenectuti præſidium a virtute ejus ſperaret. Avus ipſi paternus DETLEVUS; Avia paterna ANNA Ram. Avus maternus REIMARUS KIELMANNUS, Avia Materna COECILIA Reymanns. His ille ortus parentibus ab ipſis ſtatim ungviculis animi indolem oſtendit, quæ præclara quæque polliceretur. Quare ſub præceptoribus domeſticis, qui hodie muneri Eccleſiaſtico præſunt, eos in pietate & literis progreſ-

gressus brevi temporis spatio fecit, ut Anno clↄ Iↄc LXIII. Bordsholmensi Gymnasio, felici illi tot Mercuriorum officinæ formandus traderetur, Serenissimi Principis munificentia inter alumnos cooptatus. Verum cum Kilonium Musæ Cimbricæ coloniam ducerent, splendidiore Academiæ dignitatis titulo cohonestandæ, per quadriennium JOHANNE BACHMANNO, qui nunc in Schola Neomonasteriensi informationi juventutis præest, feliciter usus, anno ætatis XVII. postquam Pater charissimus ipsi fato ereptus, Lubecam concessit. Illic in disciplinam datus JOHANNI POLTZIO Viro Clarissimo, solida utriusque lingvæ jecit fundamenta. Erat enim Viro illi singularis in bonis autoribus enucleandis industria, judicium de iis acerrimum, Græcarum & latinarum literarum accurata peritia. Quales cum rariores hodie in Germaniæ scholis sint, & *vix totidem, quot Thebarum portæ vel divitis ostia Nili*, merito de felicitate illa sibi gratulari poterat Noster, quod in Virum illum incideret, qui non præpostera, ut plerumque nunc fit via duceret sed λεωφόρον bonarum literarum viam ad artes sterneret. Postquam triennium in literatissimo hoc consortio exegerat, Rostochiensem Academiam Anno LXXIII. salutavit, totoque biennio philosophicis studiis incubuit, quorum specimen, disputationem de *Univocis* sub M. FRANCISCI WOLFII, Logices Professoris clarissimi præsidio habitam, sed cu-

jus ipſe Autor fuerat, evulgavit. In Jenenſem hinc Academiam Anno LXXV. abiit. Totus illic in Philoſophicis Theologicisque ſtudiis habitavit, cujus inexhauſtæ propemodum diligentiæ ſuperſunt documenta, tot Collectanea, Scholæ Profeſſorum publicæ, privatæ, ut vix credibile ſit, unum his omnibus ſcribendis hominem parem eſſe potuiſſe. Qualem ſe in Kilonienſi noſtra geſſerit, nemo ignorat: Superiores obſervantia, æquales officiis, omnes ſtudiis obſequiisque ſuis ſibi reddidit obnoxios. Sæpe cum maxima animi voluptate controverſias tam Theologicas quam Philoſophicas in publicis ſubſelliis accurate ventilantem audivimus. Adeo omnibus ille ad optima ſtudia præſidiis inſtructus, nihil in ſe quod ornare & commendare illa poterat deſiderari patiebatur. Nemo è noſtro ordine fuit, qui laurea Philoſophica non dignisſimum judicaret, quam ille nunquam ambivit, diſcendi potius ſecuturus modeſtiam, quam docendi inanem pruritum, quo jejuna præ cæteris ingenia nunc maxime laborant, oſtentaturus. Audivimus & è cathedra ſacra ad populum verba facientem, nec eloquentia, quæ Oratorem ſacrum decet, deſtitutum, & pietatis prætterea æſtu flagrantem. Illam in quotidianis habebat exercitiis. Nam ter in die divinum præſtabat officium, preces non matutinas tantum & veſpertinas, ſed & meridianas ſtatis ad Deum horis ablegans. Quare nulla illi in perti-

tinaci morbo impatientia animum dejecit, sed semper sibi similis, ac τετράγων☉, omnes illos insultus mira constantia excepit: cum nihil accidere sibi posse, quod divina voluntas non decreverat, jam secum constitutum haberet. Corpus ipsi ab ineunte ætate causarium obtigerat, quod gravissimis sæpe morbis concussum, ægre per Medicorum singularem peritiam mortis faucibus ereptum est. Superiore anno, mense Septembri in itinere vehementissima illum febris aggressa est, quam vomitus continui sangvinisq; profluvia comitabantur, cujus furori quidem celeberrimorum Medicorum remedia obicem per intervalla posuere: sed id tantum effecerunt, ut viribus per illas quasi inducias resumptis atrocior rediret, ac tandem beatissimam illam animam è debili & extenuato corpusculo, anno ætatis trigesimo ejiceret. Fortissimum in decretoria illa pugna athletam, nullis elogiis satis deprædicandum, qui ipsi adfuit, verbi divini præco, deprehendit. Adeo ille sacro viatico instructus, spe divina plenus, omnia consolationum argumenta animo præceperat, ut lacrymas illi excuteret, ipse vero lætam quoque ac exporrectam in macie illa frontem, & cœlestibus gaudiis ebrium animum ostenderet. Quemadmodum scilicet qui felicis Arabiæ littora præternavigant, odorum dulcissimorum auris, quas è myrrhiferis & id genus cæteris arboribus à terra ventus devehit, permulcentur: i-

ta illæ quæ Paradisi oram jam legunt animæ, pietatis quodam odore fragrantissimo correptæ, corporis evelli claustris gestiunt, jamque amœnitatem illam persentiscunt. Gratulemur itaque & triumphos potius, quam lessus victori illi canamus, cui post depugnatum hunc agonem æternæ illa gloriæ corona nunc imponitur. Exuvias ejus, hodie tumulo hora II. mandabimus. Quibus ut vos, Cives Academici, extremum persolvere velitis officium, sedulo vos hortamur. Æquissimum enim est, ut qui sub eadem mortalitatis lege vivitis, eam, quam ab aliis ordinis vestri civibus exspectatis, huic quoque tribui, imo antesignano vestro pietatem præstetis. P. P. Kiloni d. 18. Nov. Anno cIↃ IↃcLXXXIII.

57.

SI quid est in variis rerum humanarum casibus, quod pungere animum doloris acerbitate possit; nihil profecto est quod magis illum angat & affligat: quam si altera sui parte, Uxore scilicet dilectissima, mulctetur. Quid enim si a bonis illis qui animum ornant discesseris, Viro Civique bono magis optandum est, quam perpetua vitæ socia, quæ rem familiarem consiliis juvet, res secundas ornet, adversas soletur, curarum omnium particeps non in sinu tantum, non in oculis, in

in oſculis, in amplexibus hæreat, ſed in animo ipſo habitet, & mirabili quadam amoris μεταμορφώσει in Viri ſe ingenium ac indolem induat. Eam vero ubi conſecutus fuerit, & hac quidem parte florere fortunas ſuas intellexerit, quid animi ipſi fore putabitis, ſi inopinato aliquo caſu, a latere ſocia, ex oculis cariſſima imago, ex ipſo pectore anima avellatur? Qui fulmine ſe percuſſos vident, qui procellis derepente ortis in ſcopulos naufragium facturi, illiduntur, quibus intra latera ſica verſatur, vix tam horrifico pavore percelluntur, quam qui ita ſe quaſi medios diſcerpi ſentiunt. Faceſſant itaque hinc naturæ illi perduelles, qui in femineum ſexum injurii, infami ſarcaſmo, nunquam niſi cum efferuntur, bonas & laudandas eſſe feminas clamitant, vel mala ipſi matre orti, vel e terra cum fungis nati, aut e ſterquilinio effosſi. Gratuletur ſibi Senex ille Terentianus, eoque ſe felicem nomine prædicet, quod nunquam uxorem domum duxerit: Alius elogio hoc inter tumuli titulos triumphet, quod nunquam lateri ſuo junctam uxorem habuerit. Vivunt nonnunquam in hoc orbe homines, neque vivendi rationes bene ſubductas habent, ſed vel ſtultis ſuis conſiliis vel vagæ arbitrio fortunæ totos ſe permittunt. Quorum dicteria ſi quis pro oraculis habiturus ſit, aut eos, qui ex ſuo ingenio alios judicant, audire velit, næ is multo illis ſtultior dicendus eſſet. Cujus enim fidem ſequatur, aut periculum in ſuos u-

usus vertat? cum ipsi illi qui has sententias pronunciant, nunquam maritorum sortem experti, nec svavitates nec molestias eorum degustarint. Quemadmodum ergo homine imperito nihil est injustius, ita inexperto nihil stultius, si tamen ad suum arbitrium illa referat, suisq; alios stare judiciis velit. Altius illa divinæ vocis efficacia animis hominum hæret, quam ut nefariorum hominum vocibus & cavillis expungatur. Illud maneat atque fixum sit, quod neque mutari neque moveri potest, ut naturæ instinctu ad has delicias impellimur, ita majorem vix posse felicitatem alicui contingere viro, qui castam & virtutibus spectatam & sui amantissimam conjugem quasi sortito datam acceperit. Neque enim temere & cœco quodam impetu ad hæc sacra provolandum est, in quibus sui erga homines amoris imaginem exstare voluit, qui se Ecclesiæ suæ Sponsum, nomine illo χαριεστάτῳ, appellari voluit, Salvator noster Christus. Quid mirum itaque, si hunc dolorem amissæ conjugis ipsis ossibus, medullis, pectorique inustum sentiat Vir optimus, quem hoc nostro officio solamur? Nam quis ab omni humanitatis sensu ita derelictus, ut indolentiam in simili casu justo adeo mœrori præferre malit? præsertim cum ex ipsa jacturæ gravitate luctus se accendat, & nunc demum bona sua intelligat rectius, cum ea quæ in potestate habuit, amisit. Etsi illam etiam cum viveret, omnibus officiis prosecutus est, ut boni

ni mariti partes quam cumulatiſſime expleverit, fide, blandis moribus, & omni illo, quo vinculum hoc conſtat, amoris coagulo. Verum fortiter & εὐστομάχως ferenda hæc ſunt mala, quibus nullo humano conſilio prudentiaque obſtrui poteſt. Quis enim fatorum vias intercluſerit? Quis in Dei manu ſe ſuaque omnia repoſita eſſe neſcit? quis ejus obluctari decretis auſit? ita enim divinæ voluntati noſtra accommodanda eſt, ut nihil nobis diſplicere debeat, quod ipſi placuerit, ut hæc demum bona noſtra exiſtimemus, quæ in malorum numero nos in cæleſti hac pædagogia inexercitati & ἀπάλαιστοι homunciones referre conſvevimus, ut ſalutem ab illa manu, etiam cum vulnera infligit, exſpectemus. Nata noſtra eſt CHRISTINA Anno cIↄ Iↄc LX. die Maji XXXI, imminente hora XIa, quo Chriſti in cœlum aſcendentis memoria celebrabatur. Patre Nob. & Ampliſſimo DN. ÆGIDIO HENNINGIO. Regiæ Maj. Danic. & Serenisſimi Principis Cimbrici Negotiorum Curatore, & matre Ornatisſima ANNA, Viri Nob. & Amplisſimi DN. JOHANNIS Danckwert / Sereniſſimi Principis Cimbrici negotiorum Curatoris ac Senatoris Hamburgenſis filia. Avus Paternus ipſi fuit DN. STEPHANUS HENNINGIUS, Præfecturæ Kiloninienſis & Bordsholmenſis Quæſtor ſpectatiſſimus: Avia Paterna, ANNA Holſten / Avia Materna, GERTRUDIS von Langen / feminæ honeſtiſſimæ. Proavus ipſi Paternus, Vir Pruden-

dentiſſimus fuit Dn. CHRISTOPHORUS HENNINGIUS Conſul Plönenſis: Proavia, DOROTHEA Heßen. Proavus maternus, DANCKWERTUS, Conſul Huſumenſis fuit. His illa in lucem edita Parentibus, ſtatim ab ipſa ineunte ætate, bonæ mentis pietatisque igniculos oſtendit. Ea enim ingenii indolisque felicitas erat, ut parentum ac magiſtrorum præcepta ipſa præverteret, & illud quod in ſe erat ἡγεμονικὸν potius quam aliorum ductum ſequeretur. Eſt quibusdam inſita atque nativa bonitas, quo charactere verè divino inſigniti, præferendi ſunt cæteris, qui vel pœnæ metu perterriti, vel exemplis aut præmiis inducti, bonitatem aliquam oſtendunt potius quam præſtant. Tractabiles illi, omnes & omnia perferre & pati, omnibus ſe dedere, conſveverunt, nemini moleſti, erga omnes etiam cum ſuo detrimento benefici: cum alii, à quibus illa animi virtus exulat, in alia omnia præcipites ferantur, cujus malignitatis primus gradus inutilem ac odioſam moroſitatem, pravam adverſandi libidinem & ſimilia vitia gignit, quibus primum δυσάρεστοι, cum ipſi boni ac faciles eſſe, ac aliis benefacere nolint, eo tandem prolabuntur, ut ne alios quidem patiantur eſſe bonos, vel illorum bonis contriſtentur. Mira erat NOSTRÆ ab ipſa infantia ad vitæ extrema Bonitas, eximia præterea corporis ſpecie ornata. Nam virtutibus illis & moribus prædita, quos

in

in virgine optare delicatus etiam formarum ſpectator poſſit, facile in amorem ſui pellexit ex Itinere Gallico reducem, Nobiliſſimum DN. PAULUM Kohlblad/ & fortunæ & ingenii bonis inſtructiſſimum, quem eadem morum ſimilitudo, quo nullum eſt tenacius in amoribus conciliandis vinculum, commendabat. Cum illo nuptias Anno cIɔ Iɔc LXXVIII. d. XXIII. Januarii celebravit. Nihil ad hujus matrimonii felicitatem addi poterat, quod amoris virtutisque illicio ſuſtentabatur. Ut enim in alio ſua quemque natura delectat, ita nunquam, qui ex animorum pulcherrima conſpiratione oritur amor, poteſt eſſe injucundus. Certabatur mutuis utrinque officiis. Ille velut cœlo lapſum in thalamum pignus intuebatur: illa ea fide, eo ſtudio complexa maritum eſt, ut aliis ſui ſexus illuſtre relinquat exemplum. Ita denique ambo vixerunt, ut nunquam in gratiam redierint. Quatuor quoque liberorum patrem fecit, quibus unus ſecundo loco natus ſuperſtes ÆGIDIUS. Quem cum tenerrime amaret dum viveret, adeo ejus curam morti vicina ſepoſuit, ut patri illam alacri & prompto animo reſignaret, ſibi trium in cœlis liberorum jus nunc in ſolidum, ut ajebat, vindicatura. Nondum ſextus annus in feliciſſimis his amoribus exierat, cum ſuppresſione urinæ (Iſchuriam Medici vocant) laborare cœpit. Deliberatum ſuper iſto morbo a medicis peritisſimis fuit, eaque adhibita remedia, quibus, ſi naturæ

ræ vires reſpondiſſent, fortasſis optatus non defuiſſet eventus. Sed calculus renibus impactus, quaſi obice poſito, effecit, ut omnis ille humor intra corpus concluderetur, animamque tandem, aliis quoque ſymptomatibus accedentibus, intercluderet. Mature itaque ad Deum ſe convertit, in hoc corpuſculi ſui diluvio naufragium factura. Poſtquam enim ſanctisſimo illo viatico animam inſtruxerat, inter ardentiſſimas preces, & ſuorum lachrymas, in cæleſtem illum portum enatavit, cum ætatis ſuæ annum tertium & viceſimum cum dimidio abſolviſſet. Bene ſit animæ candidæ, in cœlis jam triumphanti! Ejus exuvias hodie hora IIa tumulo mandabimus. Vos itaque, Cives Academici, ut extremum frequentes perſolvere velitis officium, peramanter invitamus. Meretur non ſolum pie defunctæ virtus, & Vidui mœſtiſſimi pietas, ſed & ipſa humanitatis lex efflagitare videtur. PP. d. XVI, Dec. A. cIↄ Iↄc LXXXIII.

58.

QUod iis evenire ſolet, qui tranquillo in mari, cum nullæ cœlum prætexunt nubes, nulli navim jactant fluctus, placidi & ſecundi vela implent favonii, ante oculos jam portus verſatur quod derepente tamen, medio & felici in cur-

curſu, ſubitis turbinibus infuſcato aëre, inopinata aliqua procella deprehenſi, præſens naufragium intuentur, omniſque conſilii inopes in ipſis rerum extremis, nec mente ſibi nec ſenſibus ſatis conſtant; id acccidiſſe non ita pridem Senatori Urbis hujus Graviſſimo DN. PETRO ARPENIO dixerimus, CIVES ACADEMICI, cum ex ulnis, ſinuque ipſo, è præſentibus thalamis gaudiis, in tumuli perpetuam noctem abrepta dilectiſſima Conjux, eo ipſo tempore, quo amoris conjugalis gemino pignore quartum jam matris præſtaret officium, & ad Genethliorum feſtivitatem omnia ſpectarent. Adeo

——— medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angit,

& vel in ſvaviſſimis deliciis pœnas acerbiſſimas perſentiſcimus, ipſiſque amorum facibus rogos nobis incendimus. Nemo magis, CIVES ACADEMICI, hujus doloris gravitatem animo aſſequetur, quã qui ipſe in ſimili calamitatis palæſtra exercitatus, eandem intra latera ſua ſicam adactam olim ſenſit. Quæ enim mala! quam poſt brevia gaudiorum ſpatia! quam ſubito! quam in loco alieno! quam in ipſo ſpei apice, noſtrum illum oppreſſerunt! ut qui vix per luſtrum integrum maritus fuerat, cum quartum jam ſe patrem ſalutari videret, converſa è veſtigio ſcena, Viduum jam ante ſe factum deprehenderet, quam Patris

gaudia ad animum posset admittere, quæ & ipsa è prolis alterius in ipso partu exstinctæ jactura temerata matris illam mortem inauspicato omine quasi præsignificarunt. Qui à divisione viduum dici voluerunt, singularem huic voci vim in doloris hujus expressione constituerunt. Quod si enim, ut in Medicorum scholis traditur, in solutione continui dolor corporis consistit; quid magis Conjugibus concontinuum est? neque enim contigua tantum sibi corpora habent, sed in carnem unam, in eadem viscera, in easdem fortunas, in unum animum coalescunt. Quis vero major possit suboriri animis, quam ex illa ἀναλύσει dolor? cum & corpora à se abscedunt, & ipsi animi diffinduntur, & omne quod in arcto hoc vinculo, in hac validissimi amoris compage continuum est, non tam solvitur, quam falce quadam dissecatur. Plutarchus sane in quæstionum Romanarum libro longe miseriorem cœlibe esse judicat illum qui uxorem amisit, & hanc præterea addit rationem: ὁ μὲν τοῦ γεγαμηκότος οἶκος τέλειος· ὁ δὲ τοῦ γήμαντος, εἶτα ἀποβαλόντος, οὐκ ἀτελὴς μόνον, ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος. *Qui uxorem duxit, ejus domus perfecta est, qui ductam amisit, ejus non imperfecta modo, sed & mutilata est familia.* Quid enim magis truncum in familia esse possit, quam cum in domus negotiis procurandis marito perit manus altera, in utilium provisione alter eruitur oculus, in onere ferendo alter vel humerus

vel

vel pes ſubducitur: cum non tam capite quam anima ille minuitur, cum præſidio & ſolatio ſuo excidunt liberi, quos immaturo hoc exitu mater reddidit miſeros, ipſa ſua fœcunditate infœcunda; tota denique domus in vaſtitatem quandam & orbitatem eſt conjecta. Cum in ſimili caſu Macrinum ſuum conſolaretur Plinius: *Habet*, inquit, *Macrinus grande ſolatium, quod tantum bonum tam diu tenuit* (tenuerat per triginta novem annos) *ſed hoc magis exacerbatur, quod amiſit. Nam fruendis voluptatibus creſcit carendi dolor.* Imò vero breviore hic gaudio magis exacerbatur dolor. Quo majus enim deſiderium accendit temporis brevitas, cum carendum illa felicitate eſt, quam nobis oſtenderunt tantum fata, & cujus poſſeſſio per diuturnitatem nondum inveterata, vel cujus tantum promulſide captus, ſaturatus vero nondum animus; eo magis ab illa recente memoria recens ſemper dolor eſt, ut cum maturitatem temporis amor non eſt aſſecutus, in doloris gravitate & diuturnitate acquieſcat. Altius hæc vulnera ſedent, quam ut levi aliqua cicatrice obducantur, aut quotidianis illis conſolationum remediis convaleſcant. In obitu Amici confidenter quidem Seneca Epiſt. LXIV. *Si quis diſpoliatus amiſſa unica tunica, complorare ſe malit, quam circumſpicere, quomodo frigus effugiat, & aliquid inveniat, quo tegat ſcapulas, nonne tibi videatur ſtultiſſimus? Quem amabas extuliſti, quære quem*

ames. Arctior illa consvetudo, penitusque animo insculpta est, quam ut ejus memoria tam cito deponi obliterarique possit. Alit vero noster non intermorituram Conjugis suæ recordationem, & nunc absentem quotidie cogitatione sua complectitur, perpetua hæc vulnera habiturus. Nos quoque hoc extremum ipsi persolvimus officium & vitæ ejus imaginem vobis ob oculos ponimus. Nata est ELISABETA nostra XVIII. Maji Anno cIɔ Iɔc XLIX. Patre, DN. NICOLAO Holst/ Urbis hujus quondam Senatore Prudentissimo, Matre, ANNA, DN. THOMÆ Eggers/ Advocati Provincialis & Judicialis Filia. Avus ipsi Paternus fuit DN. HENRICUS Holst/ Consul hujus Urbis amplissimus, Avia paterna, CATHARINA Senatoris DN. GEORGII WESLINGII filia. Avia Materna ELISABETA, DN. RUDOLPHI Fausten/ Protonotarii & Archivarii Provincialis Filia; Proavus Paternus, DN. NICOLAUS Holst / Ædis Nicolaitanæ Curator Juratus, Proavia DOROTHEA Telemans/ Proavus Maternus, HANSUS Eggers/ supremus rei frumentariæ Curator in Provincia Tunderensi. His orta Parentibus & Majoribus, id operam dedit semper, ut eorum insisteret vestigiis, iisque moribus animum adsvesceret, qui in sui amorem facile pellexerunt, Virum Nobil. & Prudentissimum, hujus Urbis Senatorem gravissimum DN. PETRUM ARPENIUM. Fuere illis serena Conju-

jugii fata, & mutuuis amorum officiis & illiciis condita. Cujus ſvavisſima ſuperſunt documenta, è conjugali quadriennio tres ſuperſtites liberi, filiolus PETRUS FRIDERICUS, filiolæ, ANNA ELISABETA & quæ fatali hoc puerperio matri ſupervixit, CATHARINA ELISABETA. Nam prima filia ELISABETA CHRISTINA fatis altero poſt nuptias anno conceſſit, & filiolus, qui cum ſororcula ſua gemino partu prodiit, in ipſo partu exſtinctus, & matri forte mortis cauſa exſtitit. Nam cum in prædium ſuum Wiſch habitatum concesſiſſent, & jam propinqua partitudo appeteret, è Fridericopoli vicina ſpectata ſatis in his rebus Obſtetrix filiolam primam in lucem produxit vivam. Verum cum matrem è primis laboribus fatiſcentem novi partus dolores iterum invaderent, jam ſuis ipſa viribus diffidere cœpit. In ipſa itaque ortu occaſum ſuum filiolus invenit. Mater vero viribus conſumptis, cum ſiniſtri quid metueret maritum à ſe dimittere noluit. Cum itaque noctem tranſegiſſet, tandem ſub horam quintam matut. lipothymia ſubita correpta, preces illi & divinum JESU nomen acclamante marito, ad quod tamen annuere, oculosque aperire viſa eſt, placide III hujus menſis die, ætatis anno XXXV, exſpiravit. quam hoc quaſi fulmine proſtratus mariti animus ſit, facile quivis abs ſe intelligit. Nam

nenunc quidem ſuum ſatis dolorem capit, & ad primos plagæ hujus ictus totus ſtupet. Verum illi divini ſpiritus ſolatia precamur: Nam his potiſſimum remediis animo exulcerato ſubveniendum eſt. Quod ſi nec illa faſtidimus, quæ moralis inculcat ſapientia, optimum hic magiſtrum habemus Senecam, qui in libello de remediis fortuitorum, inter cætera, huic quoque malo, jacturæ ſc. Conjugis, medicam adhibere manum non neglexit. Vos vero CIVES ACADEMICI, non parum Vidui mœſtiſſimi ægritudinem levabitis, ſi exuviis beate defunctæ, quæ hodie hora II. efferentur, frequentes extremum perſolveritis officium. Quod ut facere velitis, & ipſa humanitatis lex requirit, & nos, ſi memores monere fas eſt, noſtra hac oratione hortamur. P.P. d. XI. Maji Anno cIↄ Iↄc LXXXIV.

59.

ETſi quotidianæ ſunt & in omnibus triviis cantatæ de moleſtiis hujus Vitæ querelæ: ea tamen in tempora nonnunquam incurrimus; quæ ſepultam ſecundis rebus earum memoriam reſuſcitant, & in attentiorem illarum contemplationem deducunt. Nam ut ſe fortunæ facies nobis obvertit, ut ſe dant humanæ viciſſitudines: ita magno ſupercilio ac cervicibus ſumus; vel intra pelliculam

no-

noſtram queruli fatorum acerbitatem deploramus. Ac evenit ſæpe, ut ea calamitatum multitudine circumveniamur, quæ ita animum debilitent & frangant, ut ipſam nobis vitam acerbam putemus. Huc illa Tragici ſpectant.

ELECT. *Concede mortem.* CLY. *Si recuſares darem.*
Rudis etiam tyrannus morte qui pœnam exigit.
ELECT. *Mortem aliquid ultra eſt?*
CLY. *Vita ſi cupias mori.*

Quæ autem vita ſvavis eſſe posſit, cum inter perpetuas moleſtias, inter concurſus plorantium ac tempeſtates querelarum, illa ducenda eſt: cum inter fluctus & procellas malorum civilium, inter tot aliorum naufragia, noſtrum quotidie exſpectamus. Ideoque ubi ſinum nobis aliquem aut portum aperiri videmus, quis navem ſuam non ſubduxerit? quisve ſaltem tabulis fractis ſalvus exire, ſi posſit, non laboret? Cum Ciceronem ſuum ſolatur Sulpicius, filiæ mortem lugentem, inter præcipua conſolationum argumenta affert: non peſſime cum iis actum, qui in turbulento Reipublicæ tempore mortem cum vita commutant, & hac leviſſima pœna ex hoc theatro diſcedunt. *Quid enim eſt,* (merito enim hæc Sulpicii verba noſtris temporibus accommodaveris) *quod hoc tempore ad vivendum magnopere invitare poſſit? quæ res? quæ ſpes? quod animi ſolatium?* Cicero ipſe

cum Consolatoriæ Luceii respondet, qui literarum amœnitatem illi commendarat, illas ipsas sibi exprobrare ait, *quod in ea vita maneat, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis.* Et hæ sane, quæ ipsis, etiam nobis subrepere cogitationes possunt, cum adversis exerciti fatis, ingruentia omni ex parte tædia nulla elidere arte possumus. Quorum cum tanta moles etiam nos propemodum oppresserit, quid mirum, si sub illo pondere Noster ὁ μακαρίτης, qua parte rebus civilibus ille admotus fuit, fatisceret. Divisas enim habemus molestias, & aliqua tamen calamitatis, quæ omnes premit, contagione contaminamur. Illius ubi semel animo insedit memoria, jacet ille, ac tacita emaciatus ægritudine in se ipsum spiritu quasi suffocato subsidit. Quo fit, ut illa e vita exitus illis propemodum optabilis sit qui inter perpetuas animorum cruces, ac quotidianas mortes illam ægre sustentant. Etsi Christianis hominibus, sua quadam ratione mors nec optanda, nec timenda, ac interdum maximopere expetenda ac metuenda videatur. Noster sane, beatæ memoriæ Consul, vel eo nunc nomine felix æstimandus est, quod mediis e turbis ereptus, postquam terra illi sordere cœperat, beata cælitum regna immigravit. Ejus vitæ historiam, cum funus ejus hodie deducitur, pro more, vobis, CIVES ACADEMICI, proponimus. Natus est Nobilissimus & Amplissimus Vir, DN. MICHAEL PEZOLDUS, Consul hujus Urbis

gra-

graviſſimus Anno clɔ lɔc XXVIII. in Barbya urbe, quæ inter Magdeburgum & Serveſtam prope Albim ſita eſt, Patre Cognomine Senatore ejusdem urbis prudentisſimo: Matre, femina ornatiſſima ANNA, DANIELIS Pfeiffers / Civis & Mercatoris ibidem ſpectatisſimi filia. Avus illi Paternus fuit HANSUS PEZOLDUS Mercator Oxfurdenſis: Avia Materna, primarii ibidem Civis filia. His ille ortus parentibus honeſtiſſimis, & quod illis ad laudem ſatis eſt, germanarum virtutum hominibus: quas ut ille ab iis hereditarias accepit, ita ut aliis ornaret, & ipſi omni cura providerunt, & noſter omni conatu ſuo jam ab ineunte ætate laboravit. Ubi ergo in patria ſchola pietatis & prima literarum partis tyrocinia poſuerat, & in Aſcherlebienſi ſchola poſtea amplius perficeret, in celeberrimo Hallenſi Gymnaſio, ſub ſpectatiſſimi in arte Didactica Magiſtri GVEINZII auſpiciis elegantium ſtudiorum palæſtram ingreſſus, & peracto ibi triennio in Scholam Brunſvvicenſem, cui tum Rector Vir doctiſſimus M. GUNZELIUS præerat, concesſit. Unde feliciter abſolutis iis quæ ad παιδείαν Humaniorum literarum ſpectant, probe jam prius ſubacto, ut decebat, ingenio, fœcundam illam divinarum humanarumque ſcientiarum matrem totoque orbe decantatiſſimam ACADEMIAM JULIAM, non jam ut tyro, ſed ut veteranus ingreſſus eſt. Hic cum jurisprudentiæ ſtudio per ipſos tres annos operam omnem im-

impendiſſet, & quidem ſub Doctoribus celeberrimis, ab excellentiſſimo Sereniſſimi Ducis Gvelferbytani, DN. AUGUSTI Conſiliario, DN. HEILANDO, ad filiorum ſuorum informationem illinc evocatus, apud illum plurima quæ ad uſum forenſem ſpectabant, obſervavit. Hinc Kilonium pervenit, & poſtquam biennium hic quoque in informatione exegerat, ſvaſu amici, eo conſilia ſua inſtituit, ut ſedes ſibi quietas in Urbe hac quæreret. Ducta itaque Anno clɔ lɔc LVI, d. Octob. 27. in Uxorem, plurimum Reverendi Paſtoris DN. JOHANNIS Langemacke filia, virgine ornatisſima, duos ex illo matrimonio auſpicatisſimo filios filiasq; ſuſcepit, e quibus major natu filia & filioli gemello partu editi morte præreptì. Una ex illis ſuperſtes cariſſima Patri filia, Virgo florentisſima hanc optimi parentis jacturam, unicum ſuum præſidium ac ſolatium, acerbisſimis nunc lacrymis deplorat. Rupto hoc brevis quidem, (quinquenne enim fuerat) ſed felicisſimi Conjugii vinculo, Anno clɔ lɔc LXV. altero ſibi matrimonio junxit Virginem lectisſimam, DN. HENRICI ARNOLDI, quondam hic Cantoris, relictam filiam, MARGARETAM. E quo cum tres filii unaque filia progeniti, duo tantum ſuperſunt filii, alter natu major, alter junior: qui nunc in his ipſis exequiis, ſumma animi ægritudine, paternum funus comitantur. Ut ad pie defunctum redeamus, totus ille ad palæſtram forenſem ſe contulit eaque peri-

ri-

ritiæ juridicæ, imo & prudentiæ civilis ſpecimina oſtendit, ut primo in Senatorem, & hinc, Anno clↄ Iↄc LXXX. in Conſulem hujus Civitatis cooptaretur. Qua ſe hic fide geſſerit, qua Cives modeſtia tractarit, quam æqvus erga omnes fuerit, optime Cives norunt. Etſi enim, ut vulgato verbo dicitur, ne Jupiter quidem omnibus placet, & in publicis negotiis quorundam offenſiones evitari non poſſunt, id tamen ille operam dedit ſemper, ut nullam de ſe querendi cauſam relinqueret. Morbus denique illum XVI. Julii die in lectum conjecit, poſtquam aliquot jam annos in corpore toroſo & ſuccipleno aſthmate Scorbutico laboraverat. Et hunc forte ſibi ipſe contraxerat, cum per intempeſtivam in ferventisſimo hoc æſtu & in ſudoribus pectoris nudationem, tranſpirationi viam occluderet. Conſultus ſtatim, qui ipſi Medicus ordinarius erat, Nobil. & Experientiſſ. DN. D. PFENNINGIUS, qui & venæ ſectione & aliis remediis morbo obviam ivit. Illum cum neceſſarium iter avocaret, Collega noſter honoratisſimus DN. D. MAJOR in conſilium adhibitus, e ſignis quibusdam ſtatim inſtare extrema animadvertit, deque eo mature amicos ſed clanculum monuit. Acceſſerunt deniq; in corpore cacochymo quædam ex inteſtinis ebullitiones pravorum putriumq; humorum, unde factum, ut ignis ille naturæ paulatim extinctus, illeque cum jam totum ad cœleſtia ſe convertiſſet, animamque Deo commen-

mendasset, inter preces & lacrymas suorum d. XXVII. Julii, hora I. anno LVI. pie placideque discesserit. Quando ergo hodie ejus quod reliqvum est efferetur, Vos, Cives Academici, tum mortalitatis vestræ memores, tum humanitate vestra ducti, extremum ipsi persolvite officium. Meretur Viri virtus, & ipsa hoc pietas efflagitat. PP. d. 3. Augusti Anno clↃ IↃc LXXXIV.

60.

QUod apud moratiores gentes semper in usu fuit, ut qui virtute cæteris præstarent, post obitum variis honoribus, præmiis, statuis, panegyricis, imo aris, & templis, si merita responderent, ornarentur; id in Christiano quoque populo factitatum antiquitus fuit, neque nunc in desvetudinem abiit, ut piorum hominum memoria, quo exemplo posteris esset, omni monumentorum genere honestaretur. Quot non sunt SS. Patrum sermonibus celebrata eorum nomina! quo instituto quamdiu ostentatio simulatioque abfuit, nihil laudabilius honestiusque, nihil ad Ecclesiæ utilitatem salutarius excogitari potuit. Nam & stimuli animis his virtutum imaginibus injecti, ut recto tramiti insisterent, & fibulæ pravis cupiditatibus impositæ, ut vel ignominiæ metu in ordinem

nem redigerentur. Quorſum hæc noſtra ſpectet oratio, facile, ut arbitramur Cives optimi conjicietis. Exceſſit ante hos ſeptem dies e vivis Vir iſta pietate iſtis Virtutibus ac moribus nobis jamdiu ſpectatus, ut in hoc tam laudabili funere noſtras quoque voces audiri debere putaremus. Neque enim a quoquam rogati, ſed ſponte noſtra atque ipſa pietate impulſi hoc ipſi perſolvendum officium decernimus. Quod ſi ſplendidorum & opulentorum hominum mortes ſtatuis, elogiis, leſſibus celebramus; ſi inſignia, ſi marmora, ſi vexilla ſuſpendimus, in quibus plus pompæ interdum oſtentatur quam virtutis oſtenditur: cur non Chriſtianum Heroem (quidni enim ita vocemus?) qui ſe omnibus nobilitatis titulis, omni fortunæ ſplendore, omnibus bonis exuit, ut caſtam integramque pietatem ſervaret, omni honorum genere decoremus? cujus mors ita glorioſa eſt, ut præ omnibus ſit concupiſcenda, tantumque venerationis habet, ut præ illa omnia & tropea & Mauſolea & quicquid inanium ornamentorum & phalerarum eſt, contemnenda eſſe videantur. Recognoſcite itaque nobiſcum, Cives Academici, magnum illud, quod Vir optimus circumferebat exemplar, cujus vitæ curſum qua poſſumus ratione vobis delineabimus. Natus Noſter ille eſt illuſtri generoſaq; familia Anno ȻIƆ IƆC XII. die XXIII. Septembr. in prædio avito Curoniæ Goldingen/ Patre Generoſiſſimo DN. HANSO CHRISTIANO à

NEM-

NEMMITZ, Domino hereditario in Goldingen/ Matre Generosissima DN. SOPHIA AMALIA MOIDELIA e Comitum stirpe oriunda. Pater Imperatori militavit, eique suis sumptibus equitum loricatorum legionem conduxit, quæ hodieque nomen illud paternum retinet. Primam familiæ originem ad CHRISTIANUM MAXIMILIANUM NEMMITZAKI referunt, qui illustri gente è Persia oriundus, cum in aula magni Ducis Moscoviæ è cognatis ejus aliquem rixa inter illos suborta, interfecisset, Viennam Anno cIↄ ccc secesserit, ubi is rei accipitrariæ & Venaticæ cognitione eam Imperatoris sibi benevolentiam conciliavit, ut nobilitatis ipsi nova insignia, Canum sc. trium venaticorum cum Corona septem ardeæ pennis ornata ultro largiretur. Eluxit in nostro prima statim ætate optima indoles, quam ut omnibus artibus excolerent Parentes, omni opera laborarunt. Nam & lingvis & studiis & omni exercitiorum genere juventutem ejus optimi Præceptores ornarunt. Anno ætatis XVII. Academiam Francofurtanam una cum Ephoro adiit, ibique publicæ Disputationis specimen dedit. Hinc in Wittebergensi, Jenensi, Lipsiensi, Leidensi, Academiis sane celeberrimis vixit. Lovani quoque substitit, ubi in notitiam Burgundi cujusdam, ejus scilicet, cujus apud Cl. Borrichium libro de Ortu & progressu Chimiæ mentio fit, incidit, qui magna ipsi na-

tu-

turæ myſteria oſtendit, quorum ille per ætatis juvenilis incuriam tum temporis rationes penetrare non potuit, maturiore vero ætate tam ſplendidam e manibus occaſionem dimiſſam impenſe doluit. Ex Argentoratenſi Academia, ubi per aliquod tempus poſtea commoratus eſt, in militiam ivit. Hinc illuſtriſſimi Principis de Eckenberg/ Cubicularius per biennium fuit. Tandem in ſuperiori Carinthia Anno cIↄ Iↄc XLVI. nobili familia natam DN. ANNAM BARBARAM STEINBERGERIAM matrimonio ſibi junxit, fuitque Hereditarius in Dalſtein. Hic fortunarum & fatorum ſedes quietas & perpetuas ſe inventurum ſperaverat. Sed vix XII. anni elapſi erant, cum horribilis illa Reformationis tempeſtas omni illum dignitate quam habebat e nobilitate provinciali præcipuam ac omnibus fortunis deturbavit. Omnia enim, quicquid habuit fundorum, agrorum, fodinarum, opum relinquere & vitam ipſam profundere maluit, quam ut a religionis integritate vel latum ungvem diſcederet. Vix ſe ungvibus illorum eripuit, nam cum inſequerentur fugientem armati equites, ſolo viæ divortio, quaſi Deo ducente atque iter deſignante, e manibus ipſorum ſe evolvit. Quam præſentem Dei manum non ſine lacrymis, ſed majore animi gaudio narrare & prædicare nobis ſæpe ſolebat, In Saxoniam itaque primam illam purioris religionis matrem, delatus cum fruſtra per Saxonicorum Principium literas

Im-

Imperatoris gratiam imploraret, tandem in Holſatia noſtraque Kilonio exilii ſui quaſi certã ſedem invenit. Ejecta itaque ex animo omni vana titulorum ſpecie totum ſe divinæ providentiæ permiſit, atque ut ſe diſcipulum ejus ſiſteret puerorum ingenuorum informationi, operam impendit, ad quam Scholam tumidos & de primatu rixantes diſcipulos Chriſtus ablegaverat. Sibi itaque patientiæ Gymnaſium, his pietatis ludum inſtituit, ut ipſe in illa a pueris proficeret. Inter quos per ipſos XXIV annos cum conſenuiſſet, tandem circa Michaelis Feſtum, quo ipſius Salvatoris noſtri oraculum: *Niſi eritis ſicut pueri, non ingrediemini regnum cœlorum*: in Eccleſiis explicari ſolet, placidam illam animam è puerorum ludo in cœleſtem Academiam transtulit. Et hoc divinitus ita factum fuiſſe conjicere poſſumus. Nam cum hac æſtate animo & corpore ſatis vegetus ſenex, ſe poſt Michaëlis Feſtum ſcholaſticis laboribus ob ingraveſcentem ætatem valedicturum prædiceret, interceſſit huic conſilio DEUS illumque eo ipſe ferme die ad ſe evocavit. Cæterum omnium ille hominum favores facile honeſtate illa animi, ſvavibus temperatisque moribus, & infucata pietate ſibi conciliavit. Laudanda ſunt Ampliſſimi Senatus, honeſtiſſimorum Civium, etiam in funere ejus procurando beneficia. Non deſuerunt è Nobilium, è ſacro ordine, qui conſiliis, ope operamque juverunt. Nos quoq; in

in ordine Academico hunc quaſi familiarem noſtrum, convivam, congerronem ſemper habuimus. Sermones cum illo de pietate, de bonis moribus, de naturæ arcanis, quorum ille minime ignarus erat, ſæpe miſcuimus. Officiis denique, quibus potuimus, neceſſitati ejus ſubvenimus. Quoties ille in ſinus noſtros animi ſui curas effudit! Quoties ipſe miſerias ſuas hoc ſvaviſſimo converſationis fomento ſolatus eſt! Dignum certe memoratu eſt, quam ille ſæpe in ſummis auguſtiis Dei opem ſenſerit: Urgebat illum aliquando extrema neceſſitas, ut ex urbe hac demigrandum ſibi duceret. Jam certum ipſi erat conſilium, & eo ipſo momento ex improviſo Sereniſſimi noſtri Principis advenerunt literæ clementisſimæ, quibus privilegia ipſi conceſſa fecerunt, ut priorem mutaret ſententiam. Laborabat aliquando circa feſtum Paſchatos extrema inopia: Nullus illi oculos ſupererat: In ædem itaque ſacram ivit illo die, quo mors Salvatoris noſtri celebratur, & ad Deum preces ardentiſſimas fudit: Finitis ſacris, ut animi nebulas diſſiparet, in nemus ſub-urbanum deambulatum prodiit; Quid fit? Venit ad illum homo ignotus epiſtolamque porrigit ſtatimque ſe ſubducit. Reſignat ille literas & ſex ſeptem nummos aureos illis incluſos videt. Ille in hoc quaſi cœlo lapſum munus intuens Deoque gratias agens domum lætus exultansque rediit, & uxorem liberosque fatiſcentes novo inſperato-

que ſolatio hoc erexit. Longum eſſet narrare omnia, quæ ex ore beati hujus Viri ſæpe audivimus. His aliisque exemplis firmato nulla ſupervenire calamitas tam acerba potuit, ut a meta ſibi propoſita oculos dejiceret. Vivebat ille Deo & ſibi, poſitoque fortunæ ſplendore, ſpretisque mundi illecebris, bonam mentem, animi quietem cumque illa miſerias omnes & extremam paupertatem tanquam delicias ſuas amplectebatur. Quare facilis ipſi vitæ hujus jactura fuit: Nam morbo ante menſem implicitus langvore illo ſenili ſenſim contabuit, ut vix mori ſe ſentiret. Sæpe confabulationibus, cum morbus aliquantum remitteret, detinebat amicos lecto aſſidentes, nonnunquam jocos candidos, ut erat cum gravitate facetus, velut Socrates e vita exiturus, immiſcebat. Præſentis ubique animi erat, & ad mortis memoriam hilarem ac exporrectam frontem oſtendebat. Non vel ratio, vel ſenſus, vel verba niſi cum ipſo extremo ſpiritu defecerunt. Quem cum emigrare jam animadverteret, monuit filium, ut pedes ipſi extra lectum protenderet, &cum vocibus illis: *Domine Jeſu commendo tibi ſpiritum meum*, animam piiſſimam ſimul efflavit, quarto poſt Natalem LXXII. die. Bene ſit animæ candidæ, cui jam decretoriam ſententiam pronunciavit ipſe Salvator: (Matth. 19. v. 29.) *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut libros, aut agros, propter nomen meum, centu-*

plum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Lugent tamen ejus mortem Vidua liberique ſuperſtites, qui nunc in novam calamitatem conjecti, cum extremis neceſſitatibus conflictantur. His quoque ſubveniendum eſt & pietatis præſtanda officia. Qui itaque pietate ducuntur, nec opibus deſtituuntur, favore ſuo alienæ opis quam maxime egentes complectantur. Magnatum eſt, quos munerum ſuorum diſpenſatores conſtituit Deus, de theſauris ſuis admetiri piis hominibus, quibus ad vitæ ſuſtentationem opus eſſe filiis ſuis judicat benigniſſimus Pater. Nobis vero qui fratrum ſororumque fortunam labantem communi pietate fulcire debemus, hoc agendum eſt, ne ſub paupertatis onere bonæ mentes fatiſcant. Quæ in illos conferentur beneficia, ita dabuntur, ut majori cum fœnore ad Dominum ſint reditura. Neque enim ſteriles pietatis cauſæ ſunt, ſed largiſſimum habent remuneratorem: qui ut ſuos non deſerit, ita nec illos qui ſuis cupiunt voluntque unquam deeſſe volet. Quandoquidem vero hac veſpera exuviæ viri beati in tumulum inferentur, vos qui e Civibus noſtris Viri hujus virtutes ſuo æſtimare pretio noviſtis, extremum illi honorem perſolvite, quod non tam a nobis rogati quam pietate veſtra ac humanitate ipſa compulſi facietis. Valete. PP. KilonI d. III. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LXXXIV.

61.

ETſi ſunt, qui vel nullas in muliebri ſexu virtutes agnoſcunt, vel ut exiguas aut fucatas contemnunt, vel ſaltem intra domus ſuæ parietes ſepeliendas eſſe existimant; audiendi tamen illi minime ſunt; præſertim cum major in feminis, ubi in mentes bene educatas incidit, virtus ſæpe deprehenſa fuerit, eaque animi conſtantia, ut viris ipſis longe antecellerent. Ideoque in publicum gloriæ theatrum etiam illæ produci omniumque ſermonibus celebrari debent, eoque magis, quo infirmior ille ſexus validioribus ad virtutem ſtimulis moveri debet, atque ut pudor illis incutiatur, qui e viris infra muliebrem inconſtantiam ſe demittunt, & illud ipſum Virtutis nomen, quæ a Viris ita appellata fuit, imo ipſam humanitatis ſpeciem exuere videntur. Laudanda itaque illa Romanorum conſvetudo eſt, qui non Viros tantum meritis inſignes, ſed & vita bene acta illuſtres matronas publico præconio honeſtandas eſſe decreverunt. Quidni itaque pulcherrimum hunc morem imitemur Chriſtiani, qui non caſtitatem tantum, non modeſtiam, prudentiam, frugalitatem, omniaque induſtriæ ornamenta in feminis laudare poſſumus, ſed vitæ etiam ſanctitatem & religioſiſſimum divini Numinis cultum, quem præ ipſis etiam viris ſacri annales ſummis in cœlum laudibus extulerunt. Non ſunt profecto diſſimulandæ eximiæ virtutes Matronæ illius,

tis, cui hodie exequias paramus, quibus ſi Oratorum more immorari, easque omnibus verborum ſententiarumque luminibus ornare ac illuſtrare velimus, in uberrimum copioſiſſimumque dicendi campum immitteremur. Nunc cum brevi oratione nobis ac titubanter & ſtrictim attingenda ſint omnia, ut ſolent qui vitæ memoriam in transcurſu exponunt, in ſola ejus vita, ſine fuco, a quo ipſa viva quam longiſſime abfuit, ac ſine omni ornamentorum apparatu recenſenda nos tenebimus. Quod ſi Marcellæ, Fabiolæ aliarumque viduarum præſtantiſſimarum laudes ab Hieronymo decantari merebantur, ſi neque noſtra ætate illarum gloria conticeſcit; hujus quoque matronæ funus, quæ pietate animi, quæ continentia, (neque enim poſt mariti mortem ulli alii viro nubere voluit) ad illas comparari poterat, quibus poſſumus officiis ornabimus. Nata itaque pie defuncta noſtra ANNA CATHARINA Gryphisvvaldiæ eſt, Anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃc XLVII. die XXIV. Novembris, paulo ante quintam veſpertinam, Patre Nobiliſſimo & Experientiſſimo DN. CASPARO MARCHIO, Medicinæ Doctore celeberrimo, primum in Academia Gryphisvvaldenſi Mathematum, hinc Medicinæ & Mathematum in Academia Roſtochienſi, poſtea in hac noſtra Kilonienſi Medicinæ Profeſſore primario, ac Sereniſſimi Principis noſtri, & tandem Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Archiatro,

qui Berolini Anno clↄ lↄc LXXVII. diem obiit, tum ob insignem artis Medicæ peritiam, tum ob alias eximias virtutes non Principibus solum, sed & Collegis suis, in quorum animis ejus hæret memoria, atque adeo omnibus, cum quibus vixit, acceptissimus. Mater ipsi fuit egregia atque in sexus sui exemplum nata Matrona CATHARINA SCHMIDIA, cui ante hos decem annos hic extremum honorem persolvimus. In Pietate atque cultu divino illa flagrantissima, in fide erga Maritum spectatissima, in re familiari administranda solertissima, in libris educandis sollicitissima, erga omnes officiosa, in miseros benigna, ut modestiæ, prudentiæ, frugalitatis, humanitatis laudem apud omnes inveniret, & consummatum bonæ matrisfamilias exemplum ostenderet. Avus illi Paternus fuit, Vir Pl. Reverendus & Clarissimus Dn. M. CASPARUS MARCHIUS Pastor ac Præpositus Penckumensis in Pomerania. Avia Paterna ANNA Krügers. Avus Maternus Vir Spectatissimus JACOBUS Schmid / Pharmacopæus Gryphisvvaldensis: Avia Materna MARGARETA Lockerwitzen/altero postea matrimonio FRIDERICO DEDEKINDO, Philosophiæ in Academia Gryphisvvaldensi Professori Clarissimo juncta. Proavus Paternus LUITIE Krüger / Civis & Mercator Primarius Stetinensis. Proavia Paterna SIBYLLA Berends. Proavus Maternus JOACHIMUS Schmid / Pastor Westerhusensis prope Star-

gar-

gardiam: Proavia Materna ELISABETA Eggers. Abavus Maternus AMBROSIUS Schmidt/ Mercator & Civis Stargardensis: Abavia Materna e Rungiorum celebri in Pomerania familia nata. His illa orta majoribus, his nata parentibus, ab ineunte ætate virtutum & pietatis stimulos, velut a sideribus quibusdam natalitiis, incussos sensit. Non potuit ex illo Matris optimæ ludo domestico prodire, nisi ad omnes virtutes, & bonos mores composita mens, quam suo illa exemplo formavit, monitis salutaribus expolivit, atque ita perfecit, ut ex ipso ejus vultu pudor, modestia & quicquid virtutum est, quæ virginem ornare possunt, efflorescere videretur. Educata illa in carissimæ matris sinu fuit, plane eo modo, quo Catullus suam illam Virginem describit:

Ut flos qui in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,
Multi quem pueri, multæ optavere puellæ.

Illa tot dotibus ornata in matrimonium data est Viro Pl. Reverendo & Clarissimo Dn. MATTHIÆ BURCHARDO, Pastori ad D. Nicolai meritissimo, cui illa in omnium sanctorum festo, Anno cIɔ Iɔc LXXII. desponsata, utpote beatitudinis Christianæ characteres, de quibus in Ecclesiis eo tempore agi solet, felici auspicio in thalamum ejus illatura, nunc eodem pene tempore summum æternæ felicitatis apicem

 con-

consecuta. Vixerunt illi animis ita conjuncti, ut nulla unquam dissensionis nubecula hanc pacatarum mentium serenitatem turbarit. Venerabatur illa maritum, ejusque rem familiarem domumque administrabat optime, liberorum educationi non ut noverca, sed ut mater benignissima praeerat. Ipsa quoque ex hoc Conjugio quatuor suscepit liberos, e quibus supersunt duo filii CASPARUS & CHRISTOPHORUS MARTINUS, post mortem Patris in lucem editus, qui matris suae jacturam, quantum aetatis admittit ingenium, nunc deplorant. Nondum enim sextus annus exierat, cum in coelestem patriam evocato marito carissimo, illa in viduitatem atque solitudinem conjecta fuit. Heic illa turturum castissimum genus imitata, fidem viro integram servare voluit, ut ne morte quidem ejus hoc rumpi vinculum permitteret, quemadmodum illa Pompeji Cornelia, quae, ut graphice Lucanus describit,

— — *saevum arcte complexa dolorem*
Perfruitur lacrymis & amat pro Conjuge luctum.

Vidisses in ea characterem Viduae ab Apostolo expressum, *quae sperat in Domino & instat in orationibus nocte ac die.* Qua illa pietate in Deum, qua morum facilitate in homines fuerit, nostra oratione commemorari non debet, cum omnibus praeclarae ejus virtutes perspectae explorataeque sint. Corpus, quod illi a natura non satis firmum & e primo puerperio causarium

fu-

fuit, per ſubitam quandam & inexſpectato quodam caſu conſternationem elapſa æſtate, in febriles effervеſcentias diſpoſitum, diuturna tandem febri tertiana exarſerat. Accedebat illi calculi pertinacia, familiare malum. Qui morbi, cum viribus debilitatis ſemper ingraveſcerent, continuo vomitu ac urinæ per octo dies ſuppreſſione ita confectum hoc corpuſculum eſt, ut, cum ne Hercules quidem adverſus duos, ut veteri verbo dicitur, medicamenta tandem, utut validiſſima, tot malis tandem ſuccumberent, illaque piisſimam animam, mente ad Deum ſublata, inter preces lachrymasque adſtantium die XXVI. Octobris hora X. veſpertina efflaret, cum annos pene XXXVII. feciſſet. Bene precemur Matronæ optimæ, quæ ut viva verum virtutis exemplum circumtulit: ita nunc quoque poſt fata in animis noſtris vivere debet, ut extremos illi honores, quos virtus ejus promerita eſt, quam cumulatisſime perſolvamus. Qui ſuperſunt ex illa liberi, quem illa habuit,quem illa precibus ſuis conciliavit, Deum ſibi habebunt propitium, nulla in re necesſitatibus illorum defuturum. Illius jam capiti parata eſt immarceſcibilis illa corona, quæ non e penſilibus Babyloniæ hortis, non ex Alcinoi viridariis, non Heſperidum e lucis, ſed e cœleſti Paradiſo ipſi plectitur; imo ipſa jam corona eſt, atque inter illa diademata, quæ Salvator noſter in Apocalypſi in capite habere dicitur, de qua illud Eſa-

iæ non immerito jactaveris: *Eris corona gloriæ in manus Domini & Diadema regni in manu DEI tui.* Quandoquidem vero ejus quod reliqvum est hodie hora II. efferetur, Vos o Cives Academici, si quis pietatis, si quis virtutum sensus est, si qua humanitatis cura, non tam oratione nostra admoniti, quam vestra voluntate adducti, extremum ipsi persolvetis officium. PP. Kiloni. d. 2. Nov. A. clↄ lↄc LXXXIV.

62.

CUm toties ad funera eorum deducenda nostra vos invitarit oratio, qui vel ætate præcipitata diem suum obierunt, vel in medio annorum cursu vitæ suæ exitum invenerunt; novo nunc exemplo ad exequias florentissimæ pudicissimæque Virginis, vos vocamus: quæ in ipso vitæ limine, cum annos illos attigisset, quos florem ipsum vocat Parmeno Terentianus, & qui jam virum exspectare poterant, ex ipso matris charissimæ sinu abrepta, castissimam illam animam efflavit. Magna virginitatis apud omnes gentes veneratio fuit, magna castitatis pudicitiæque existimatio; quam si in suis ita extulerunt Gentiles, ut veluti cœlo lapsas pio etiam cultu prosequerentur, quæ hanc profitebantur: si sacris suis præfecerunt, atque homine majores crediderunt: quid nos non faciemus, qui ab il-

illo nomen accepimus, quem Virginitatis filium SS. Patres appellarunt. Quo beatior itaque pie defunctæ noſtræ exceſſus cenſendus eſt, quæ illibatum illum ſimplicemque animum, nondum duplicitate aut varietate illa, quam ex adultioris ætatis ac converſationis humanæ figuris induere ille ſolet, in diverſa diſtractum, aut à prima ſua origine longius remotum, non cupiditatum mortalium illecebris ineſcatum, ſed mentem omnino virgineam, in cœleſtis ſui Sponſi manus, ſinus, amplexus dedere non recuſavit. Etenim propius à beatarum mentium indole & conſortio abſunt, qui in tenera illa ætate à prurigine & ardore vitiorum immunes, cogitationum quandam temperiem & æthercam tranquillitatem perſentiſcunt: quibus deſideria cœleſtia voluptatum ſcintillas & fomites antequam in aperta incendia erumpant, depaſcunt. Quam ob cauſam templum Dei & Spiritus S. domicilium virginitatem D. Athanaſius vocabat, in quam ille, qui primus caſtitatis ſignum ſuſtulit, omnibus virtutum ac cœleſtium Charitum choris ſtipatus deſcendit. Nimirum quod de margarita dicit Plinius: *Dos omnis in candore*, id de MARGARETA noſtra dici poteſt, cujus animam virginearum ille virtutum candor, qui è cœleſti roris influxu propagatur, ita imbuit, ut dulciſſimum illud irrorantis Dei commercium etiam in extremis vitæ ſuæ ſentiret, ejusque fulgorem MARGARITA quaſi in magnetem

tem quendam verſa ſequeretur. Quod ſi enim vera ſunt, quæ de unionibus rerum naturalium ſcriptores narrant, reperiri inter illos, qui Regis quoddam, veluti apes, inſtar habeant; cujus Conchæ, ubi capta fuerit, totum margaritarum examen circumfundatur: noſtra quoque hæc MARGARITA ad illum Margaritarum Regem, cœleſtem Sponſum, converſa, illiusque amabili ſpecie pertracta, ut gemma aliqua in ipſius diademate compareret, quæque olim à Deo parentibus data fuit DOROTHEA, nunc ſe ipſam DEO reddidit. Juvat vitæ obitusque hiſtoriam, velut ſpeculum aliquod vobis proponere: neque vel puella hac magiſtra, in hoc mortalitatis ludo vos profeciſſe pœnitebit. Nata eſt KilonI noſtra hæc DOROTHEA MARGARETA Anno cIↃ IↃc LXX. d. II. Martii, Patre Nobilisſimo, Amplisſimo, & Experientisſimo, DN. CÆSONE GRAMMIO, Med. D. Phyſic. & Græc. Ling. Profeſſore in hac Academia celebratisſimo, Collega quondam noſtro honoratisſimo, Matre Nobilisſima omniumque Virtutum genere ornatisſima Matrona DN. DOROTHEA CHRISTINA. Avus illi Paternus fuit Spectatisſimus, Integerrimusque Vir PETRUS CHRISTIANUS GRAMM / Civis & Mercator Tönningenſis. De cæteris paterni ſtemmatis majoribus, è Jutia oriundis, qui à prædio GRAMM, nomen ſuum acceperunt, cum nihil in ſchedis

B.

B.Dn.Parentis conſignatum ſit,ſilentio hic prætermitti debent. Avus Maternus ipſi fuit Admodum Reverendus, Nobilisſimus & Amplisſimus DN. FRIDERICUS JESSENIUS, SS. Theol. D. &Facult Theologic. in hac Academia Aſſeſſor, Paſtor ad D. Nicolai primarius, Vir ob pietatem ſingularemque eruditionem omnibus ſpectatus. Avia fuit Nobiliſſ. & Lectisſima DN. ANNA MOLDENITIA. Proavus ipſi fuit Vir Prudentisſimus & Amplisſimus DN. FRIDERICUS JESSEN, Senator & Camerarius Huſumenſis, Proavia, Ornatisſima Matrona DN. CHRISTINA EMYNGA. His orta parentibus & majoribus id operam ab ipſis ungviculis dedit, ut honeſtisſimos natales & pietate & virtutibus omnibus, quæ in ſexum illum cadere poterant, ornaret. Primum in ipſa domeſtica Parentum Schola, in ipſo matris ſinu educata, tum a præceptionibus tum ab exemplis illorum hominum bonorum morum lineamenta duxit, quæ cum annis paulatim ita excreverunt, ut vel in tenera hac ætate etiam majores natu ſuperaret, & vel viris incutere pudorem poſſet. Matrem ut tenerrime amavit ſemper, ita nunquam offendiſſe illam viſa eſt. Artibus quibus erudiri puellæ ingenuæ ſolent ſedulo incumbens, quod reliqvum habuit temporis non ineptiis, aut deliciis, ut ſolent quæ ad ſeculi genium inſtitutæ mature vultum, habitum, lingvam,animum ad morum illecebras componunt, ſed lectioni ſacrorum libro-

berorum ac pietatis exercitio impendit. Quam attenta ſacris contemplationibus fuerit vel hinc patet, quod ſacrum Codicem novies perlegerit, ut omnibus numeris abſolutam lectionem haberet, & hac ἐγκυκλοπαιδεία exacta, hoc numerorum orbe impleto, in æternitate ῥήματα ἄῤῥητα audiret, jamque VERBUM ipſum cujus tantum ſonum hic perceperat, illic propius videret, ac mente ipſa contingeret. Quibus illa meditationibus immerſa tantum in Philoſophia illa, quæ in mortis meditatione Platonicis conſiſtere dicitur, profecit, ut a rebus mortalibus paulatim animum abducens jam tum cœleſtis vitæ gaudia præcipere videretur. Ipſa enim cum optime valeret, nec ullo morbo tentaretur, brevi ſibi mortem inſtare prædixit; Sed matrem clam haberi voluit, ne triſtitia eam ob cauſam affligeretur. Itaque vel hæc ipſi virginitatis præmium divinatio fuit, ut de Sibyllis loquitur S. Hieronymus. Circa VII. aut VIII. hujus menſis diem febricula corripi cœpit; quæ mitior primum ex indole temporis verni æſtimanda videbatur. Sed inuſitatus circa veſperam indies recurrens langvor cum ſvavi delirio, & habitu vultus funeſtum aliquid minitante, Inquietudo continua, agrypnia, aliaque quæ acceſſerunt interioris corruptionis indicia ſpes inchoare longas vetuerunt: neque præſtantisſima medicamenta morbum infringere potuerunt. Quare cum nihil præter beatum ex hac vita diſceſſum, quem dudum præſenſerat

rat, optaret, generoſo animo mortem contempſit, & divinæ voluntati ſe totam permiſit. Scire enim ſe ajebat pandi ſibi per mortem aditum ad vitam æternam. Precibus continuis ardentisſimisque in Salvatorem ſuum erigebatur, in quem toto animo defixa quaſi cum triumpho quodam, totaque deliciis cœleſtibus ebria, ex hoc mortalitatis theatro, Annos XV. nata, diſcesſit. Bene ſit animæ candidæ, quæ nunc inter Virginum beatarum & purisſima ſyndone veſtitarum choros æternum triumphat: ut nulla jam Matri, fratri, ſororibus mœſtisſimis dolendi cauſa relicta eſſe videatur. Quandoquidem vero hodie ejus quod reliqvum eſt tumulo finitis ſacris inferetur, ipſaq; humanitas & pietas efflagitat, ut quibus poſſumus officiis exequias ejus cohoneſtemus, agite Cives Academici, & in hac florentisſima ætate mortalitatis veſtræ memores, præeunti ad tumulos Virgini frequentes vos præbete comites, & vel ejus exemplo diſcite, quam in ipſis vitæ primordiis ſæpe exitum inveniamus. Quo magis opera vobis danda eſt, ut ad hanc Philoſophiam, quæ in mortis meditatione conſiſtit, vel puellæ hujus exemplo animum generoſa quadam pietate mature inſtituatis. Valete. P.P. KilonI. d. XXII. Martii. Anno cIↃ IↃC LXXXV.

63.

QUoties ex hoc vitæ theatro aliquis decedit, Cives Academici, ſtatim cum ipſo, qui exhalatur, ſpiritu vel bene vel male actæ vitæ fama ſe diffundit: ut non immerito Solon neminem ante obitum ſuum beatum dicendum pronunciarit. Cum enim in vitæ curſu multa ſæpe ex transverſo incidant, quæ a recto virtutis tramite abducant, ut boni interdum eſſe per malitiam aliorum nequeant, qui ſua indole non ſunt mali; ita majorem gloriam merentur, qui ad quosvis caſus & eventus inconcusſi animum illum τετράγωνον ubique oſtendunt. Qui cum in publica luce agant omnia, omnium oculis obſerventur, tum demum publica populi cenſura vel laudabuntur vel damnabuntur poſtquam fabulam illam ſuam peregerunt. Quare eleganter Siracides juſtorum mortem cum ſvavisſimis odoribus componit, qui longe lateque ſparguntur; cum melle, cujus dulcedo in omnium ore eſt; cum muſica, quæ convivarum omnium auribus excipitur. Quaſi ſcilicet ita in ſuccum ſangvinemque illis converſa bonitas ſit, ut non mente ſolum comprehendatur, ſed ipſis quoque ſenſibus obverſetur: cum ex adverſo *Impiorum nomen*, ut Sapiens in Proverbiis ait, *putreſcat* ac cum cadavere ſuo brevi tempore cum omnium averſatione exoleſcat. Imo vero adeo emunctæ naris nonnulli ſunt, ut cadaveroſæ vitæ odor etiam ante

fa-

fata ſubolere illis incipiat, & poſt fata vel ex ipſis mauſoleis, e marmoribus pretioſis, e titulis ampliſſimis fœtor ille ſpiret & cum illis per ſecula ingraveſcat. Quo magis opera danda omnibus eſt, ut vitam ita inſtituant, ne cum fœtore e ſcena diſcedant, ne ſui nauſeam in animis & in ore omnium relinquant: cum, ut veriſſime Sidonius ait, *Improborum probra ut præconia bonorum immortalia maneant.* Ideoque id agamus, ut in omni vita boni potius, quam potentes, factioſi, nobiles, magni & illuſtres non ſolum videamur, ſed & ſimus. *Magno*, inquit Seneca, *impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat. O hominem literatum!* (Addimus generoſum, fortunatum, divitem!) *Simus hoc titulo ruſticiore contenti, O VIRUM BONUM!* Ruſticum enim titulum vocat, qui poſtquam ab urbanis, ab aulicis faſtidiri hominibus cœpit, ad ruſticos hominesque ſimplices, unde prima ejus origo, rediit. Nam & in maximis olim elogiis veteres Romani & Viri boni & Boni Agricolæ titulum ponebant. Diſerte Cato in procemio de re Ruſtica ad filium: *Virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum videri, ampliſſime laudari exiſtimantes, quem ita laudabant.* Non poteſt cuiquam major obtingere gloria, quam ſi VIRI BONI titulum hinc abſtulerit, qui omnibus triumphis & præconiis major omnia titulorum ſyrmata ſupergreditur. Cum enim cæteri omnes vel ab autoritate, vel muneris di-

gnitate, vel potentia & fortunis dependeant; hic ab animo proficiſcitur, & bonæ mentis characterem oſtendit: quo qui inſignitur, quandam divinæ mentis imaginem repræſentat. Quare & Lacones olim Virum Bonum divinum vocabant. Jure in illorum numero recenſemus Nobiliſſimum & Prudentiſſimum DN. PETRUM von Horn/ Senatorem hujus urbis meritiſſimum, germana fide & candore commodisque moribus Virum, & omni ex parte BONUM. Quam cum ipſi lauream ſuſpendimus, illi plus decoris hac commendatione accedit, quam ſi pro noſtri ſeculi indole & ſupercilio omnia illi titulorum apluſtria ſuſpendamus. Quod inter maxima elogia funeralia Marito ſuo Aimilio Valerio in honoribus Ædilitiis mortuo poſuerat Antonia Frontonia Conjux, cum HOMINEM BONUM vocaret, ut memoriæ prodidit Gruterus in æterno Inſcriptionum opere p. CCCXLIX. idem & noſtro huic beate defuncto tum Vidua mœſtiſſima, tum omnes BONI adſcribent. Nunquam illum vel offenſa alicui gravem, vel technis & artibus ſuſpectum, vel ulla re moleſtum, illi cum quibus verſatus eſt deprehenderunt. In Senatorio munere gravem, circumſpectum, induſtrium, prudentem tum Collegæ tum Cives etiamnum deprædicant. Hujus viri ut eo conſpectior virtus ſit, vitæ hiſtoriam ob oculos ponemus. Editus in hanc lucem eſt Patre Nobil. & Prudentiſſim. DN. HILDEBRANDO von

Horn/

Horn / Quæſtore Præfecturæ Reinbeck / Matre Nobil. & Ornatiſſima DN. ANNA, Spectatisſimi Viri GEORGII Töcke / Mercatoris Kiloniensſis Filia. Avus Paternus fuit Integerrimus Vir PETRUS von Horn / Avia METTA Coppuns / Proavus ipſi fuit HILDEBRANDUS von Horn / qui ſuperiore ſeculo, cum gravis illa Bataviæ tempeſtas incubaret, ob religionem puriorem in exilium actus, in Holſatia quietam fortunarum ſuarum ſedem invenit. Ideoque vel eo nomine felicem prædicabimus beate defunctum, cujus familia, ſi divis promiſſis fidem habere volumus, quicquid bonorum e divina manu exſpectare poterit, vel in ſuis nepotibus ſperabit. Nam vel centuplo fœnore, & in natis natorum & qui naſcuntur ab illis jacturam quam ſui cauſa facimus, ſe compenſaturum ſpondet Deus. Avia Materna illi fuit SALOME HENRICI TELEMANNI filia, notiſſima olim nomina & per honeſtisſimorum Civium cognationes & affinitates hic diffuſa. His ortus Parentibus & majoribus bonam indolem & probitatis ſuæ ſpecimina ſtatim ab ineunte ætate oſtendit, mature artibus illis, quibus imbui pueritia ac adoleſcentia ſolet, eruditus. Habuit ille Præceptores domeſticos, in Latinis literis, quas poſtea in Schola Hamburgenſi & Bremenſi ſub peritiſſimis magiſtris diligenter percoluit. Firmata jam ætate primum venit in familiam AULÆ MARESCHALLI apud Reverendiſſimum & Sereniſſimum Bremenſem

ſem Archiepiſcopum, poſtea Regem Daniæ potentiſſimum FRIDERICUM III. glorioſæ memoriæ: cujus poſtea miniſterio admotus, per ipſos XXIX. annos, in variis negotiis regis expediundis & adminiſtrandis, ſumma fide & integritate verſatus fuit, multis tamen gravibusque moleſtiis ut fieri ſolet nonnunquam implicitus. Tandem vero quietius vitæ genus eligens Kilonii domicilium fixit, ac in urbis hujus Senatum cooptatus, fidem & prudentiam Collegis probavit, Civium amorem facile in ſe convertit. Conjugium cum Nobil. & omni virtutum genere ornatiſſima Matrona DN. CATHARINA Büllen / Mercatoris Kilonienſis primarii filia ipſi auſpicatiſſimum fuit, & per XXXV. annos mira animorum conſenſione ita firmatum, ut nihil ipſis acerbius jam acciderit, quam cum ab amplexu tam arcto tam diuturno jam divulſi; ut ille in animo conjugis ſuperſtes eſſe; hæc a ſe ipſa exiviſſe videatur. In his vitæ ſuæ bonis nullum illi jucundius unquam fuit, quam quod a filio unico HILDEBRANDO habuit ſolatium. Etſi enim quatuor ipſi liberi morte præmatura abrepti, unus tamen ſuperſtes, qui inſtar omnium fuit, effecit, ne reliqui deſiderarentur. Quod ſi Solon Tellum Athenienſem eo nomine felicem prædicabat, quod filios bonos & honoratos habuerit: Si Homerico Hectori illud unice in votis fuit, ut Aſtyanacta ſuum ſe meliorem ac præſtantiorem vivus videret; quo animum ejus gaudio perfuſum

ſum creditis? cum filium, quem oculis ſuis cariorem habebat, in cujus educationem & ſtudia omnes, quos poterat, ſumptus impenderat, tam pulchre ſpes ſuas non tantum implere, ſed ultra fidem ſuperare videret. Non intelligunt, quam alte in animum iſte voluptatis ſenſus penetret, niſi qui ſimilem fortunam experiuntur. Videbat ille puerum, adoleſcentem, juvenem ad omnes ingenii elegantias factum, qui mira ac inuſitata felicitate, quod diuturno labore aliis diſcitur, intra breve tempus exhauriret. Quo factum, ut ea ætate qua ſtudiorum curſum vix abſolvere alii conſveverunt, ille ſummis legationum negotiis à Reg. Maj. Daniæ admoveretur. E triennali ille legatione Moſcovitica nuper redux, cum quartana ſemeſtri pene confectum parentem diu exſpectatus hoſpes amplecteretur, adeo ſua præſentia ſenis animum erexit, ut relicto lectulo quaſi reviviſceret, ac minus ſentire febris furorem videretur. Verum cum Filium poſt octiduum negotia alio vocarent, ſtatim ex abſentia ejus pejus habere cœpit. Ad Deum itaque totum ſe convertit, cumque vitæ & fortunæ ſuæ curſum ex voto ſe confeciſſe exiſtimaſſet, divino viatico inſtructus, inter preces & uxoris lamenta LX. ætatis anno animam placide efflavit. Quando itaque hodie ejus quod reliqvum eſt, tumulo inferetur, Vos, ô Cives Academici, ut extremum illi perſolvere humanitatis offici-

um velitis, rogatos volumus. Meretur Viri virtus, quæ nunquam pulchrior quam in occaſu eſſe conſvevit. Præterea communis à nobis omnibus efflagitat pietas, ut eorum funera, qui quaſi anteſignani viam ad cœlos prævivere, non tam luctu & lacrymis, quam honoribus proſequamur. Valete P. P. Kiloni. Kal. Apr. Anno cIɔ Iɔc LXXXV.

64.

QUanquam eo in tempore verſamur, Cives Academici, quo reviviſcunt omnia novosque ſpiritus ſumunt, totaque rerum natura foliis floribusque veſtitur, fructus aliquando lætiſſimos datura; quotidiana tamen ob oculos ex hac vita decedentium exempla omnibus horis nos fato noſtro maturos teſtantur. Quemadmodum enim per hortos & agros jam ſegetes in herba extinctas, jam flores Aquilonis ſævitia decuſſos, jam arbores ipſo ſuo ſucco ſtrangulatas; ita quosdam à matris uberibus depulſos, in ipſo limine vitæ excluſos, ac in pleno juventutis vigore marceſcentes videmus. Adeo vel ipſe Aprilis, qui ab aperiendo nomen inveniſſe creditur, cum naturæ promptuaria in uſum mortalium aperire, in ſuccos & humores plantarum exhaurire deberet; terram in ſepulchra pandit, hominumque corporibus paſcit. Etſi enim O-

Omnia nunc rident & formoſiſſimus annus,
lacrymis tamen & lamentis multorum nunc domus perſtrepunt, & mœroris non unam ſpeciem repræſentant. Itaque qui Veneri olim dicabatur menſis, quod amore nunc omnia exardeſcant, non raro ad Libitinæ etiam officia invitat. Meminiſtis, Cives optimi, aliquoties jam hoc Vere funerali oratione à nobis fuiſſe compellatos. Nam & Virginem florentiſſimam, & Sexagenarium Senem intra aliquot hebdomadas extulimus, ne quid de iis dicamus, quibus ſine parentatonis noſtræ officio funus duximus. Nunc iterum nos ad tumulum vocat Nobiliſſima honeſtiſſimaque Matrona, DN. ANNA MARGARETA, Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi DN. JOHANNIS HENNINGII, J.U.D. Provincialis, tum quatuor Civitatum, hujusque Urbis Syndici meritiſſimi, Uxor dilectiſſima, & plane in ſui ſexus exemplum nata. Quæ, cum hodie tumulo componitur, quod Clytemneſtra apud Euripidem Agamemnoni, è feretro marito occentare poterat:

Jugata thalami fœdere ut conjux tibi
Fuerim fidelis, ipſe teſtari potes.
Scis quam pudica vixerim, quam ſedulo
Tuos penates auxerim, ut lætus domi,
Aut ſi exiiſſes, non minus felix fores.
Rara eſt maritis conjugum iſtiusmodi
Captura: pravas facile ubivis reperies.

Nihil enim omiſit, quo bonæ tueri uxoris ti-

tulum poſſet: ut eo quidem nomine felicem ſe merito prædicare potuerit maritus, qui conjugem illam habuit generis claritudine inſignem, moribus gravem & virtutibus ſpectatiſſimam, domus ſuæ præſidium, familiæ incrementum. Quod ſi Gallorum proverbio non feliciter natus dicitur, qui non eſt feliciter maritatus, non eſt quod fata aut genialia ſua ſidera accuſet Maritus, cui fauſtiſſima ſane hac parte auſpicia affulſerunt. Non tam fortunis, poſſeſſionibus, genere, gratia, quanquam & his illa florebat, quam ingenio cenſeri merebatur. Vere enim de ſe, quod Alcumena illa apud Plautum, gloriari poterat.

Non ego illam mihi dotem eſſe duco, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem & cognatum concordiam,
Viro morigera atque ut munifica ſim bonis, proſim probis.

Nihil de pietate, integris illibatisque moribus nunc dicemus, qui nemini è nobis ſunt incogniti. Domeſticis virtutibus ita mariti rebus præfuit, ita ſuo conſilio ac prudentia illis proſpexit, ut non modo non detrimentum caperent, ſed omni ex parte florerent. Quis neſcit rem familiarem prudenti Matrefamilias, velut altera quadam columna niti? Viros Ariſtoteles

les ajebat in re domeſtica quæſtores eſſe, feminas cuſtodes quæſitorum. Niſi uterque mutua opera conſpiret, fruſtra erunt omnia, ac magis interdum bona uxor, præ Viro in domus ſuæ commoda vigilabit, quæ, ut ait Sapiens, *ſemitas domus ſuæ conſiderat*. In liberis educandis formandisque quam ſollicita, quam ſedula fuit! Sunt enim & hac in re potiores interdum matris quam patris partes. Dum enim pater domo abeſt, dum negotiis immergitur, illa domi affixa, ac velut in ſpecula poſita & in omnes liberorum mores intenta, quævis vel agenda vel omittenda deſignat. Illa providet ne domi mala naſcantur ſemina, ne foris inferantur, cavet. Neque imitabatur illarum mores, quæ de animis ornandis parum ſollicitæ, corpus tantum & membra polire docent, quibus gravius hoc piaculum forte videatur,

Dente ſi nigro fieret, vel uno
Turpior ungue

puella, quam ſi animo nequitiæ maculæ inſideant. Solent plerumque male audire matres, quod filiis præcipue fomenta voluptatum ſuppeditent nimia indulgentia, qui cuticulam quidem curare diſcant, quid vero intus & in cute animus faciat, parum penſi habeant. Non erat ex illarum genere noſtra: neque enim ex illius diſciplina domeſtica unquam pravis judiciis & opinionibus imbuti fuere, ſed bonæ mentis igniculos, ut frequentior matrum cum liberis eſt converſatio, bonorum præceptorum

instillatione fovit: in omnibus certe potius ad mentis quam corporis culturam respexit, idq; operam dedit, ut avitum suæ stirpis decus etiam in illos derivaret. Nata illa fuit Itzehoæ Anno cIↄ Iↄc XL. d. XIX. Febr. Patre Magnifico Excellentissimoque DN. ERICO MAURITIO primum in aula Plönensi, hinc Gottorpiensi Consiliario, tandem Reg. Maj. Dan. Regiminis consiliario ac Ducatuum Schlesvvigæ ac Holsatiæ Vice-Cancellario, magni nominis meritorumque Viro. Mater ipsi Matrona Nobilissima DN. MARGARETA, Viri Plurimum Reverendi & Clarissimi DN. M. NICOLAI Georges/ per XLII. annos Ecclesiæ in Neuenbrock Pastoris meritissimi filia: Quæ cum extremam senectutem suam, filiæ in vicinia viventis fortunis solari debuisset, nunc illam sibi turbato mortalitatis ordine ereptam acerbissimis lacrymis deplorat. Nam filium ERICUM, Jurisprudentiæ solidioris scientia, & variæ eruditionis dotibus insignem Virum, magnum Academiæ nostræ ornamentum in qua ille Collegii Juridici primatum tenuit, dudum illustris Cameræ Imperialis dignitas, illi solatium, nobis decus nostrum, invidit. Avus illi Paternus fuit Nob. & Prudentissimus DN. OTTO MAURITIUS, Senator Itzehoënsis; Avia Paterna, Nobil. & Ornatiss. DN. REBECCA Brockdorffen/ Qui illi utrinque majores fuere, plerique vel Senatoria, vel Consulari dignitate floruerunt, ut vel hinc præcipuo apud suos loco fuisse ap-

pa-

pareat. Non potuit, qui è præclara ſtirpe propagabatur ſurculus degeneris ſucci fructus edere. Ideoque ſtatim prima ætate, pietatem, caſtitatem, mores virgine dignos &

— — *generoſo incoctum pectus honeſto*

oſtendit, & in mariti thalamum has dotes, omni dote potiores intulit, quocum illa per ipſos XXII. annos conjunctiſſimo matrimonio vixit, atque ita vixit, ut nulla unquam dies deſiderium, quod in animo ejus reliquit, exſtingvat. Nam ſincero illum amore ſemper coluit, matronalem ubique gravitatem, ſed ſine ſupercilio præ ſe tulit, ac ſermonis & ornatus parſimonia, in qua mulieris ornatum conſiſtere Demochares judicabat, ſe commendavit. Domus ſuæ negotia, non cum illa tam dividere, quam in unam rejicere poterat Maritus, cum ipſe vel alibi negotia ſua curaret, vel domi aut in curia civilia ipſum officia tenerent. Adeo apum inſtar, quas nunquam inficientes dicebat Varro, quod ageret, ſemper quæſivit, nunquam minus deſidioſa, quam cum domi ſuæ deſideret. Superſtites ex illo matrimonio Filii duo, tresque Filiæ, quarum una ANNA DOROTHEA, Nobil. Prudentiſſimoque DN. GOTHOFREDO PROSPERO JOHANNI HEIDEN, Senatori hujus urbis ac Dicaſterii Provincialis & Aulici Advocato, in matrimonium data eſt. Qui Matris chariſſimæ obitum omnes nunc lacrymis juſtoque comploratu proſeqvuntur. Exceſſit illa e vivis nullo graviore mor-

morbo oppressa. Nam cum obstructionibus per aliquot dies laborasset, ita præter omnium opinionem vis mali aucta fuit, ut citius mors ejus instans quam ipse morbus deprehensus fuerit. Cum itaque frustra adhiberentur medicamenta, totam se DEO permisit, cœlestibusque epulis satiata, placida morte, inter suorum preces & lacrymas, exspiravit. Maritus vero, cui illa nunc ex oculis sublata, memoriam ejus dulcissimam animo reconditam servat. Qui magnum hoc solatium suum interpretabitur, si vos, Cives Academici, ad funus beatæ suæ uxori hodie hora II. ducendum frequenter confluxeritis. Quod cum commune a vobis efflagitet pietatis officium, nos ut facere velitis peramanter vos rogamus. PP. KiloniI. d. XXI. April. Ann. cIↃ IↃc LXXXV.

65.

ETsi ita in orbe hoc vivendum est, quasi extremum quemvis diem duceremus; neque ullo tempore exuenda est mortalitatis memoria: excitari tamen conspectioribus exemplis solemus, quando illa & frequentius ob oculos versantur, & in viris dignitate aliqua conspicuis exhibentur. Vix mensis abiit, cum voce publica funus ex nostro ordine indiximus: nunc ex amplissimo Urbis Senatu primarius Consul, Vir & meritis & eruditione

&

& animi integritate omnibus ſpectatus exceſſit, hodie tumulo inferendus, ſi quid præter inanes exuvias inferri ſepulchro poteſt. Satis enim ſua virum hunc probitas a morte & oblivione vindicat, neque mortis illum comes gloria deſtituet, cui vitæ ſocia virtus fuit. Nobis quoque ille magnum ſui deſiderium reliquit; qui, ut in ſtatione ſua in qua poſitus fuit, honeſte & induſtrie ſemper ſe geſſit, ita nunquam noſtro ordini gravis fuit: verum, ut inter benevolos animos maxima eſt cognatio; ita amore omnes complexus eſt, & quibus potuit officiis ſibi obſtrinxit. Quare cum etiam nos in luctus hujus partem venire æqvum eſt, o Cives Academici, vos etiam officii veſtri memores vos oſtendetis, ut extremum pie defuncto honorem exhibeatis, ejusque exequiæ, quantum in vobis eſt, ſint ornatiſſimæ. Quandoquidem vero ille vivus multis exemplo fuit; nunc in mortuum, qui fortunæ ſuæ & prudentiæ curriculum abſolvit, intuemini, atque e vitæ hiſtoria, quid ex uſu vobis eſſe posſit, diſcite. Natus eſt Nobilisſimus & Amplisſimus Conſul Dn. JOHANNES FUCHSIUS Anno cIↄ Iↄc XXXI. die Decembr. XXVIII. in Thuringiæ Urbe Schköleu / quam celeberrimi Jurisconſulti MATTHIÆ BERLICHII natales nobilitarunt, Parente ejusdem urbis Conſule cognomine, Matre URSULA, Viri Reverendi JOHANNIS LEUPOLDI Paſtoris Prisnizenſis filia. Majores, cum ipſe defunctus non ſatis haberet co-

ſgni-

gnitos, neque anxie inquireret, quia Pater, immaturo illi fato ereptus, atque ipſe in prima juventute extra patriam viveret, hic memorare non poſſumus. Neque enim in illis, ſed in virtute ſola & bona mente gloria eſt, &

— — — — *perit omnis in illo*
Gentis honos, cujus laus eſt in origine ſola.

Satis illi ad virtutem & fortunam fuit, iis prognatum eſſe parentibus, qui & exemplo & præceptis adoleſcentiam ejus regerent, & bonis literis mature erudiendum curarent. Nam poſtquam prima in patria Schola tirocinia poſuerat, Naumburgenſem Scholam decimo & ſexto ætatis anno adiit, in qua quinquennium quaſi Pythagoricum, a præceptorum ſuorum ore, pendens, exegit. Hinc in Magdeburgenſi Schola in clariſſimi tum temporis Rectoris Danielis Claſenii, poſtea in Academia Helmſtadienſi Anteceſſoris incluti, diſciplinam venit. Qui vir ut erat tam varia eruditione quam Jurisprudentia ornatisſimus, quod optimis ingenii monumentis oſtendit: ita ad ſolida in ſtudiis fundamenta ponenda autor illi ſigniferq; fuit. Exacto triennio in Academiam Jenenſem concesſit, atque ad Jurisprudentiæ ſtudium, animum applicuit. Vivebant illic tum temporis JCti præſtantisſimi UNGEBAUR, RICHTERUS, STRAUCHIUS, STRUVIUS, à quibus ille ſcholis qua publicis, qua privatis inſtitutus eſt, atque eas in legum ſcientia radices egit, quæ poſtea in hac ipſa urbe in flores fru-

ctus-

ctusque ſeſe diffuderunt. Nam ex Academia huc concedens invitatus a viro quodam primario eſt, ut filii ſui ſtudiis præeſſet. Quem ubi è privata ſua diſciplina Anno 1659. in Academicam palæſtram miſerat, ſe in forenſem palæſtram contulit, atque Kiloni fortunarum ſuarum ſedem Anno 1660. fixit. In hac ille & vicinis urbibus cauſarum patronum egit, & præclara jam tum in peritia juris ſpecimina dedit. Quoniam vero ſine vitæ ſocia vita; præcipue pragmatica, ipſi acerba futura eſſet, eam ſibi uxorem elegit, quæ & ſvavitate morum aſpera clientum litibus tempora ipſi demulceret, & prudentia œconomica rei familiari præeſſet, pulcherrimisque virtututibus tam thalamum quam domum ornaret. Fuit illa honeſtisſimi hoc in loco Civis, LAURENTII Mutzenbechers/ Filia MARGARETA, nunc triſtisſima ex illius immaturo obitu vidua. Cum illa nuptias 22. Sept. die Anno 1662. celebravit, atque ex ſvavisſimo illo amoris conſortio, decem tori conjugalis pignora vidit: è quibus quinq; filii, LAURENTIUS, JOHANNES, HANSUS JACOBUS, MATTHIAS, CASPARUS HEINRICUS, tresque Filiæ MARGARETHA OLEGARDIS, URSULA DOROTHEA, ANNA BARBARA ſuperſtites. Filius LAURENTIUS ſtudiis Academicis hoc in loco initiatus eſt, jamque Berolini degit. Filia MARGARETA OLEGARDIS Conſiliario Archiatroque Sereniſsſimi Electoris Branden-

denburgici D. CASPARO MARCHIO in matrimonium elocata eſt. Hujus ille fortunas cum firmatas vivus videret, non exiguo id ſolatio & gaudio fuit: quippe cui vita imbecilla & morbis oppleta ſpes inchoare longas non permitteret. Cæteri qui per ætatem ad metam votorum aſpirare nondum poſſunt divinæ providentiæ & fatorum arbitrio ſe nunc relictos vident. Quos una cum Matre reliquisque Cognatis divino ſuo ſpiritu ſummum Numen erigat atque confirmet. Anno 1664. ab hujus urbis Senatu in Sedecim virorumCollegium cooptatus eſt,in quo civitatis jura pro virili ſua defendit, ejusque commodis proſpexit. Anno 1673. Senatorum ordini adſcriptus fuit, ac judicii inferioris & Ædis Nicolaitanæ cura illi commiſſa. Quam ille in Senatu conſiliis promptus, in Judicio fide ac æquitate ſpectatus, in ſacris procurationibus attentus fuerit, Civium eſto judicium, qui vel negotiorum ſpectatores fuere, vel e quotidiano rerum uſu omnia rectius penſitare noverunt. Anno 1680. à Reverendiſſimo & Sereniſſimo Principe noſtro ac Domino Fiſci Advocatus in utroque Ducatu conſtitutus fuit: unde gravis illi adverſaria ſæpe parata, ac multæ ſimultates, partim obſcuræ, partim apertæ ſuſcipiendæ. Acceſſit denique Anno 1682. ut per gradus ipſi fortuna creſceret, in honorum complementum Conſulatus hujus urbis. Qua in dignitate poſitus honeſtatis ſibi rationem

præ-

præcipuam habendam duxit, ne quid civitas detrimenti caperet, ne ex alienis injuriis ipſi lautæ res eſſent. Cum enim, Seneca teſte, ſua etiam togatis ſint latrocinia, ne illorum reus dici poſſet, ſedulo cavit. Via enim λεωφόρῳ inceſſit, neque eorum JCtorum mores imitatus eſt, qui vel in cauſis liquidisſimis, fontibus apros & floribus auſtros immittunt. Majorem ille ad negotia jurisprudentiam, quam vulgo formularum cantores ſolent, attulit, fidem quoque, quam alba veſtis non variegata, delectat, ut depingit Symmachus: Et quemadmodum Medicus Homero πολυφάρμακος laudatur, Miles in bello πολυγύμναστος; ita & ille in arte ſua πολυγνώμων multique conſilii merito laudandus fuit. Nam in jurisprudentia, quod præcipue πραγματικὸν eſt, & illam facultatem animi πραγματικὴν arguit, foro uti didicit: id eſt, ad Holſatiæ forum jura ac leges applicuit. Teſtantur libri ab illo editi de *Inventario* & de *Solennibus Appellationum*, ac ſuperſunt plures, quos ipſe in uſum filiorum magna induſtria conſcripſit. In his eſt *Practica Formularis Holſatica ad ordinem Inſtitutionum Juris congeſta*, & *Introductio in Proceſſum Holſaticum in libros 4. tributa, quorum 1. de Processibus Holſaticis omnium judiciorum, item Receſſuum diſpoſitionibus. 2. de partibus proceſſus ejusdem ſpecialibus, 3. de Processibus in cauſis quibusdam propriis, 4. de Proceſſu criminali, ordinario, inquiſitorio, & bannitorio*, eleganti & concinno ordi-

ne agitur. Adjiciuntur formulæ ad ſingulos proceſſus aptatæ. Norunt JCti quanta olim in formulis cura, ne dicam ſuperſtitio fuerit. Et eſt earum uſus ad ἐμπειρίαν forenſem, ſi legibus ac rationibus, ut hic fit, fulciatur, maxime commendandus. Quare magnopere profuturi hi libri ſunt non tantum iis, qui tyrocinia in Judiciis Holſaticis poſituri ſunt, ut minime ἀπάλαιστοι ad hanc palæſtram accedant, ſed & exercitatioribus, qui πραγματικὰ obſervata è multorum annorum experimentis (nam in his dies diem docet) in rem ſuam vertent, atque in lucro deputabunt. Nam ut fabricando fabri, militando milites, ita agendo fient JCti. Ipſe ille tantæ tamque multiplicis eruditionis helluo Grotius, cum naturalia gentiumque jura æterno opere explicuiſſet, Juriſque Civilis Oceanum emenſus fuiſſet, introductionem tamen in Jus Proceſſumque Batavum ſcribere voluit, ut facem accenderet in patrio foro verſantibus; nequis Diogenes in media luce accenſa lucerna quæreret. Ad hujus exemplum ὁ μακαρίτης Noſter introductionem in Proceſſum Holſaticum adornavit, quam licet ipſe editioni vivus non deſtinarit, & in quibusdam fortasſis extrema manus non acceſſerit; tamen ut in lucem mittatur, omniumque uſui pateat, digna eſt. Gratulatus illi jam tum viventi fuit Epigrammate Encomiaſtico MORHOFIUS noſter, quod cum in laudem beati Viri ejusque operis ſcriptum

ptum ſit, hic loco minime alieno apponemus:

Ipſa Themis cœca eſt. Si Dux ſit cœcus ad illam,
Si lippus, luſcus; non via recta fori eſt.
Cœcus enim cœcum ducit per opaca clientem,
Cui pes, mens lingva eſt cœca; oculata manus.
Sed cœcis oculos, lippis collyria confert
FUCHSIUS, & cauſis invigilare docet.
Qui nunc ergo oculis oculatos pluribus armat;
Cœcos eſſe Duces, qui vetat, Argus erit.

Ita ergo vitam ſuam tranſigebat ὁ μακαρίτης Noſter. Hæc ipſi ἔργα καὶ ἡμέραι fuere. Nam quæcunque conſiliis publicis rebusque forenſibus ſubducere poterat tempora, ea ſtudiis impendit, atque in his honeſtisſima ſibi otia quæſivit, in ſe ipſum à tribunaliũ ſtrepitu ſecedens. Ita viventem comitati ſemper ſunt morbi, nec à latere ejus unquam fere diſceſſerunt, veluti lictores quidam faſces & ſecures ſemper expedituri, adeo ut ex eorum ſatellitio nunquam non mortalitatis ſuæ imago illi ob oculos verſaretur, & Medici ſemper haberent, in quo artem & induſtriam ſuam exercerent. Nam ut ſalus publica Conſulis, ita Conſul Medicorum ope ſemper indiguit. Ita comparatæ ſunt res hominum, ut nunquam deſint incommoda ac adverſitates, cum quibus confligandum. Si fundatisſima valetudo eſt, calamitates nos variæ provocabunt: ſi corpus imbecillum, mor-

borum agmina incurrent, atque in societatem suam etiam alia malorum genera pertrahent. Inter τὰ φοβερὰ morbi sunt, & τὸ φοβερώτατον mors est. Ut adversus illos felicius pugnemus, Medicorum arma in promptu sunt: qui ut ex Hippocratis præscripto χαρίεντες esse debent, non φοβεροὶ· ita τοῖς φοβεροῖς commode opponentur. Corpus ipsi gracile ad cholericam diathesin inclinans, neque abfuit ille in varias se morborum figuras induens Proteus, Scorbutus. Quare quemadmodum ruinosa domus, ubi non putes, vitium contrahit; ita in causario corpore ubique morbi, fallentibus vestigiis, serpent. Primus hic fulcra labanti valetudini supposuit generi beatus Parens, noster quondam Collega CASPARUS MARCHIUS, postea potentissimi Electoris Brandenburgici Archiater, à quo in successorem illa devoluta cura fuit, jam ingravescentibus morbis operosior. Ille per ipsos quasi XIV. annos in uno hoc ægro experimenta cepit: quid edaces curæ, animus turbatus ad vires infringendas possint, in exili corpusculo jam ad contabescendum prono. Cui accesserunt turbulenta tempora, in quæ consulatus ejus incidit, itinera multa, quæ vix ossibus hærentem ita defatigarunt, ut ad retinendum in illo domicilio spiritum omnes machinæ adhibendæ fuerint. Ex his fontibus propullularunt, corporis lassitudo, diuturna pectoris angustia, lipothymiæ graves & palpitationes cordis in multas horas pro-

tra-

tractæ; Tuſſes cruentæ, ventris tormina, ſpaſmi laterum, vomitus bilioſi, ac plurima alia, quæ ſuperiore autumno illum omnino confeciſſent, niſi per ſingularem Dei gratiam ex ipſis mortis faucibus ereptus ad ſe rediiſſet. Sed eluſit tandem omnem humanam operam illa morborum turba, qui circa hoc ſolſtitii tempus recruduerunt, ut omnia extrema imminere viderentur: nam lethalis maraſmus, accedente inexpugnabili faucium ſiccitate & caloribus hecticis ingraveſcentibus, ſucco vitali paulatim abſumpto, animum jam ad cœleſtia inter tot æſtus ſuos anhelantem, die 14. Julii expulit, illeque ſede ſua receptus de humanæ vitæ miſeriis jam triumphos ducit. Jampridem ille ſe inter tot morborum inſultus ad extremum illum agonem armaverat. Nam compoſitis rebus ſuis omnibus, ſanctiſſimo viatico inſtructus divinis contemplationibus ſe totum immerſit, atque ita inter adſtantium preces piam animam efflavit. Vos, ô Cives optimi, ad quos noſtra hæc inſtituta eſt oratio, perpendite humanos animo caſus, veſtræque ipſi mortalitatis memores extremum pie defuncto perſolvite officium. Efferentur ejus hodie hora II. exuviæ tumuloque inferentur, quas ut frequentes comitari velitis, peramanter vos officioſeq; rogamus. Ipſa vos pietas incitat, ipſa illa communia humanitatis officia hoc à vobis requirunt. Valete. Perſcriptum ſigna-

gnatimque Kilonl. d. XXIV. Julii Anno cIɔ Iɔc LXXXVII.

66.

SI quis humanitatis vobis ſenſus eſt, Cives Academici, ut eſſe ſane iis debet, qui humanitatis ſtudia, qui divinam humanamque ſapientiam profitentur: ſi divinitatis æternitatisque curam omnem non abjeciſtis, (meliora enim de bonæ mentis cultoribus auguramur) ad novum Commilitonis veſtri funus, non ſuis tantum, ſed & omnibus bonis luctuoſum animum advertite, ut quid ex uſu veſtro ſit, hoc exemplo mature diſcatis. Ita ſcilicet plerumque comparatum eſt, ut ſero ſapiamus Phryges, tardi utilium proviſores, Epimethei potius quam Promethei, dum diem ex die, de craſtino ſecuri, trahimus, vaniſſimis conſiliis, molitionibus horas, annos, luſtra tranſigimus, & male ſubductis rationibus de fatis noſtris ratiocinamur, eaque noſtro arbitrio diſponimus. Præcipue vero, ætatis ſuæ vitio, ſpes inchoare longas juvenes ſolent, cum multis ſe paraſangis a meta fatali abeſſe exiſtimant, non niſi extrema ſenectute occupanda. Accedunt voluptates, quæ in vegeto corpore regnant, & quaſi Lethæo poculo, eam quæ in animis ſupereſt, cœleſtium rerum memoriam extingvunt. Quare obniti illis ætatis ſuæ inci-

ta-

tamentis debent, qui animi curam habent, meliora melioribus magiſtris moniti, aut à Deo ipſo docti, ut ſtatim in vitæ primordio, quamprimum ſapere incipiunt, de exitu cogitent, ut ſummam illam philoſophiam, quæ in beata morte conſiſtit, animo comprehendant, ac ſera illa & noviſſima tempora ante ætatem ὀψιμαθε͂ς non ſera ſapientia præcipiant. Adeo a teneris adſveſcere multum eſt, etiam iis in rebus & curis, quas ad ſenes in pingvi illo otio noſtro male feriati, ablegare ſolemus; cum earum quotidiana commentatio vera illa Chriſtianæ prudentiæ ſemina in animis ſpargat, quæ creſcentibus annis altas radices agant, & in ramos ſe fructusque diffundant. Nihil vero acriores animo ſtimulos ſubdit, quam ſi varia periculorum exempla humanorumque caſuum documenta proponantur, quibus ſancta ea habenda eſſe doceamur, quæ ad animum raro admittere ſolemus. Et nunc, Cives Academici, triſte vobis exemplum, ſed ætati veſtræ ſalutare objicitur, cum in ipſo flore, annis juvenilibus in virilem ætatem exeuntibus, quibus honorum faſtigia adire, thalamos nobis adornare ſolemus, ex hac vitæ ſtatione evocatur, Nobiliſſimus DN. JACOBUS HENRICUS GUDIUS, non nomine tantum, ſed & re ipſa Bonus. Jam in eo erat, ut ſtudiorum ſuorum uberrimos e Juriſprudentiæ fundo fructus reportaret, cum mors illum inopina oppreſſit & ſpes ampliſſimas evertit. Nos vitæ ejus hiſto-

riam, ut hoc ſaltem illi officium præſtemus, vobis ob oculos ponemus, & vel myrtos & cupreſſos, cum laurus non liceat, ei ſuſpendemus. Editus ille in hanc lucem eſt Anno cIↄ Iↄc LVIII. d. XI. Junii, ab ipſo ſolſtitio ſolſtitiali, quaſi fato deſtinatus, Patre Viro Integerrimo Spectatiſſimoq; BARTHOLOMÆO Guden / Mercatore in hac urbe præcipuo & Ædis Nicolaitanæ Curatore Jurato, cujus hodieque ſupereſt, ut Viri Civisque boni, memoria: Matre honeſtisſima ANNA MAGDALENA, ex HOLSTIORUM genere prognata. Paternus ipſi Avus fuit Prudentisſimus Amplisſimusque Vir JACOBUS Gude / è Senatorio apud Rendsburgenſis ordine: Maternus, Spectatiſſimus HENRICUS Holſte / hujus loci Mercator: Avia Materna, MAGDALENA, e MULLERORUM familia. Proavos a Patris parte habuit Virum Prudentisſimum & Amplisſimum MICHAELEM Gude/Senatorem Rendsburgenſem, & Virum Reverendum BARTHOLOMÆUM Opperman / Archidiaconum apud Rendsburgenſes vigilantiſſimum: a Matris parte Virum Nobilisſimum & Amplisſimum, HANSUM Müllern/ hujus urbis Conſulem. Nolumus cæteris recenſendis immorari, quorum Rendsburgi & KiloniI ſpectata ſatis atque a longo tempore inveterata nomina, noſtra quoque memoria celebrantur. His ille Parentibus, his Majoribus ortus bonæ præclaræque indolis in ipſa pueritia ſpecimina o-

oſtendit. Nam cum deprehenderent in illo tum Parentes tum Magiſtri ingenii ſolertis indicia: illi idoneis præceptoribus formandum tradidere; hi optimis doctrinis animum, ut fœcundum uberemque agrum excoluerunt. Non deſtituit illorum vota, ſed cumulatiſſime implevit, & poſt tirocinia poſita, Academiæ patriæ ſacris anno ætatis XVII. initiatus eſt. Quanta ille diligentia ſtudiis optimis incubuerit, teſtari poſſunt, qui e noſtro ordine ad illa formanda ac expolienda conſilia operamque impenderunt. His ille munitus, ſexto poſt anno, iter Gallicum ingreſſus eſt, ac Lutetiæ per aliquod tempus ſubſtitit, ut in publico hoc orbis theatro, in quod omnium hodie oculi convertuntur, ſcenarum civilium fabricam, ingeniorum, morum, artium, armorum, commerciorum quaſi quandam officinam intueretur. E Gallia redux Angliam perluſtravit, in eaque Oxonium, ſplendidiſſimum illud Muſarum non domicilium, ſed regnum: neque enim in illa urbe habitare tantum, ſed regnare illæ videntur. Per Batavos tandem in Patriam, ad priſtina ſtudia rediit, & ad Jurisprudentiæ fontes, velut diuturnam explere ſitim cupiens iterum acceſſit. Huic enim ſe ſtudio totum tradidit, ejusque curriculum optimo ductore, Collega noſtro honoratiſſimo, DN. NICOLAO MARTINI, JCto in hac Academia celeberrimo, quater, ipſo teſte, abſolvit. Scilicet cum vulgari verbo δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ agenda ſint;

ille ter quaterque ad eandem redire palæstram voluit, ut omnibus numeris absoluta dici possent, quæ ille tractanda studia suscepit. In hoc tam felici studiorum cursu jam metæ admotum mors immatura aggressa est. Nam cum causarium ipsi corpus a matre ad apoplecticos affectus prona obtigisset, sæpius habitus corporis plethoricus simile quid ipsi minabatur. Ac prodromum hujus sui fatalis morbi ante annum habuit, diuturnum periculosumque morbum, a quo convaluit. Sed elapso mense Octobri & Novembri male habere cœpit a cordis angustiis, vomitionibus violentis, tensionibus in cervice & artubus, stupore gravativo, similibusque motiunculis, ut sibi ipsi vix constaret, & ægrum tamen corpus, inter opera & officia quotidiana, traheret. Nam modo urgebat, modo quiescebat morbus: sed maxime inchoabatur & repetebat d. IX. & X. Decembris, & lecto affigebat, tandem in lateris dextri paralysin resolutus. Pugnatum est potentibus adversus morbum atrocem medicamentis, sæpeque signa quædam convalescentiæ se ostenderunt, sed suspecta Medico visa & infida, qui jam tum in initio morbi sinistra omnia auguratus est. Ergo fallaces illæ induciæ in graviores conflictus & tandem extremum agona exierunt: Nam die XX. Januarii hora IIa pomeridiana, postquam animam a vitiorum sordibus cœlesti pharmaco purgatam Deo suo commendarat, e vivis excessit, vel ut rectius loquamur, in

ve-

veram illam viventium patriam conceſſit. Vivat ille nunc & beatis majorum ſuorum mentibus additus, cum omni cœlitum exercitu triumphos perpetuos ingeminet. Hic ille ad vitæ fontes, ab ipſo Agno paſtus, immortales ex ipſa vitæ arbore fructus decerpit; dum nos voluptatum hujus mundi lacunis ebrii, ac luto noſtro immerſi hæremus. Precabimur corpori ejus levem terram, qui dum viveret gravis nemini fuit,& illum bonæ indolis characterem, ab ipſo illi ortu cumque nomine ipſo impreſſum, vita, moribus, ſtudiis, officiis exhibuit, ut nunc quoque in Manibus ejus, quos antiquo illo nomine Bonos dicebant Romani, eam bonitatem merito prædicemus. Quandoquidem vero exuviæ ejus craſtino die hora II. pomeridiana tumulo inferentur, Vos, o Cives Academici, ultimum commilitoni veſtro, nobis etiam non monentibus, perſolvetis officium. Quem ad ædem ſacram, lauream, ſi vixiſſet, inde ſtudiis reportaturum, comitari poteratis; nunc ad tumulum comitari ne gravemini; è quo ille vos docere & vitæ præcepta ſuppeditare videtur. Plus eſt in iſtis exemplis Philoſophiæ, quam in ſexcentis Chryſippi & Crantoris libris, qui Philoſopha ſententia, ignava opera mille virtutes crepant, & ingenii tamen animique pravitate in præcipitia convertuntur ipſi, aliosque malis exemplis in devia abducunt. Invitant vos communia humanitatis officia; Quis enim illa non præſtet mortuo, quem

quem omni honore proſequi pietas ipſe juſſerit, ſocium aliquando noſtrum in Civitate Dei futurum, & in illa ſapientiæ cœleſtis regia veram non ſimulatam philoſophiam profeſſurum. Magna præterea Fratri, cæterisque Cognatis, in acerbo luctu, levatio erit, ſi affectum veſtrum in beate defunctum frequenti præſentia veſtra oſtenderitis. Quod ut facere velitis, nos quoque etiam memores monere, ac cohortatione noſtra impellere voluimus. P.P. KiloniI d. XXVIII. Jan. Anno cIɔ Iɔc LXXXVIII.

67.

ETſi pervulgata maxime de vitæ hujus brevitate ac miſeriis querela eſt, & quotidiana nobis exempla eas ob oculos ponunt; ea tamen animis hominum obrepit earum oblivio, tantaque illi ſocordia obſidentur, ut ſurdis fabulas narrari videamus cum ad vitæ finem expendendum, lethargo in ſoporem dati excitantur. Qui fortuna ſuffragante res maximas conſecuti opibus circumfluunt, honoribus florent, omnibusque adverſus temporum injurias præſidiis ſunt muniti, quaſi callum quendam menti ſuæ obduxerunt, ut deliciis ſuis immerſi, inutilibusque curis ſepulti, nunquam, & ne moniti quidem expergiſcant. Vos plerumque ô Juvenes, ea

ea ætate, qua ſanguis integer eſt, genua virent, latera & lacerti firmantur, dum multæ magnæque ſpes vota veſtra auferunt, non mortis magis occurſum, quam cœli lapſum extimeſcendum putatis. Quare ingerenda vobis mortalitatis illa monita ſunt, quibus ſapere mature diſcatis, & quicquid ex uſu veſtro eſt, animo præcipiatis. Per totam hanc rerum naturam oculos circumferte: nihil eſt, quod non ſingulis momentis inconſtantiam ſuam loquatur, & quadam quaſi moriendi neceſſitate, qua rerum vices diſtingvuntur, veſtræ morti præludat. Sed caligant ad hujus univerſi conſpectum mentis oculi, & qui ab ornatu nomen invenit mundus, inani ſplendore eos vobis præſtringit, ut quaſi faſcinatis, illa pictorum pergula, in qua veri nihil, omnia ficta, imponat. Si hiſtrioniam & præſtigias ſuas Orbi huic detraxeris, fœda omnis ejus facies erit & horribilis: Sola enim ejus ſpecie miſeri tenemur, in illa hæremus & ſtupemus, usque dum ſero tandem ſtultitiam noſtram deprehendamus. Sunt qui campos Elyſios, Theſſalia Tempe, Adonidos hortos, ſylvas lucosque Deorum animo concipiuns; & falſa hac viſione ſe aliosque oblectant: ſed prudentiores & qui ſapientiæ ac pietatis ſpecillis oculos amarunt, in horrido deſerte ſe verſari intelligunt, in hanc quaſi inſulam deportati, & perpetuo carcere delitеſcentes. Quæ hic nobis oſtenduntur deliciæ ac voluptates, imaginariæ ſunt, neque

que quicquam in se habent, quod pectus satu-
ret, sed colore tantum & fuco blandiuntur.
Arrident illa nobis Iridis instar, quæ cœlo nu-
bilo & ridet & lacrymatur, varietate quidem
& repercussione in omnes se colores diffun-
dens, omniumq; oculos mirabili spectaculo in
se convertens; sed quæ fugitivo lumine semper
moribunda deficit, ac in ipso propemodum a-
spectu evanescit. Chrysostomus suis illas co-
loribus depingit; *Etiamsi divitias objeceris, si glo-
riam, si delicias, sive aliud quodcunque ex iis, quæ
magna esse videntur: figura tantummodo sunt, non
ipsius, quæ in rebus est demonstratio, persona quædam
scenica, non subsistens rerum substantia.* Hæc si a-
nimo perpenderitis, nihil in fugacibus falla-
cibusque bonis, nihil in vobis ipsis, nihil in
ætatis flore, nihil in robore vestro præsidii vo-
bis esse deprehendetis. Sed fieri plerumque
solet, ut cum enthymematibus & exemplis ex-
pugnare animos eloquentiæ magister doceat,
omni enthymematum apparatu minus, quam
exemplis proficiamus. Insident illa Oratoris
etiam optimi animo, neque in audientium ani-
mos transfunduntur, ut increpatione illa, qua
Salvator usus ad discipulos fuit, hic nobis quo-
que utendum sit: ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρ-
δίᾳ τοῦ πιστεύειν! aut cum Propheta hæ querelæ:
Quis credit prædicationi nostræ? ingeminandæ.
Certe qui hodie effertur, Collega noster, cele-
berrimi Parentis & Collegæ filius, in ipso æta-
tis flore, cujus ille solstitium nondum attigerat,
at-

atque adeo in vitæ hoc ſuæ vere, optimi Parentis, dulciſſimæque Conjugis amplexibus ereptus, plus ſuo exemplo, efficacior è ſepulchro nunc, quam e Cathedra mortalitatis magiſter vos docebit. Qui cum Oratoriæ ſacræ profeſſor hic eſſet conſtitutus, ut in illa plura nunc didicit, ad ſcholam illam, qua ἄῤῥητα ῥήματα docentur admiſſus, ita plura nunc tumulo hoc compoſitus ſilentio ſuo loquitur, quam ſexcentis præceptis vivus doceret. Nos pro more noſtro extremum hac oratione illi perſolvimus officium, vobis proponimus exemplum, ne in vitæ limine poſiti, in ætatis robore confiſi ſpes longiores inchoetis, ſed ut in his auſpiciis etiam noviſſima meditari velitis. Natus fuit ὁ μακαρίτης noſter Collega JOHANNES GEORGIUS WASMUTHIUS, Patre MATTHIA WASMUTHIO, Theologiæ Profeſſore celeberrimo, cui eo minus titulorum nunc ſuſpendimus, quo magis virtus & fama ejus apud nos, totoque orbe literato pervulgata eſt. Illi quantum vulnus hac plaga inflictum ſit, vos qui paterni amoris aliquem ſenſum habetis, facile judicabitis. Nam cum omnes pene in filio ſpes repoſitas haberet optimus Senex, annis ingraveſcentibus, & e gravi morbo propemodum extrema minantibus, factum eſt, ut dum in temporum calculo ponendo ille laborat, filius tempori ereptus, fatis & æternitati velut hoſtia ſuccidanea immolaretur. Mater ipſi fuit in pietatis ſingulare exemplum nata

DO-

DOROTHEA TARNOVIA, quo elogio omnia quæ hunc ſexum ornant, continentur, Viri magnorum in Theologia meritorum, & in Academia Roſtochienſi Profeſſoris celeberrimi, JOHANNIS TARNOVII filia, ut ſacrum utrinque genus omnia illi auſpicatiſſima ſponderet. Avus illi Paternus GEORGIUS WASMUTHUS, Civis Kilonienſis integerrimus: Avia, ANNA, MATTHIÆ ZOEGÆ, Nobilis Romani filia, qui fortunis domeſticis relictis puriora noſtræ Eccleſiæ ſacra, ab Eccleſiaſte Aulico Schvverinenſi STAMPENIO, poſtea ejus Socero, meliora monitus, amplexus fuit. His ille Parentibus Roſtochii, Anno cIↄ Iↄc LVIII. d. Nov. XVI. matutino partu in lucem editus, matutina fata, expertus, in ipſo virilis ætatis ortu, anno ſcilicet trigeſimo, ne vitæ ſuæ quidem meridiem abſolvit. Præclara ille etiam in tenera ætate boni ingenii ſigna oſtendit, optimis uſus ad lingvas Latinam, Græcam, Orientales Præceptoribus, primum, M. JOHANNE BAUDEWINO, jam Paſtore Stralſundenſi meritiſſimo, hinc HENRICO OPITIO, Orientalium nunc literarum Profeſſore celeberrimo. Quibus Patris poſtea diligentia acceſſit, qui bonos in eo colonos imitatus, id egit, ut ex arbore, quam ipſe plantaverat, bona cultura, præmaturos aliquando fructus decerperet. Non fefellerunt ſuæ Parentem ſpes & vota. Poſtquam enim Anno ætatis XVII. Albo Academico inſcriptus, Theologicis ac Philologicis ſtu-

ſtudiis, ſub moderatoribus Viris Celeberrimis, CHRISTIANO KORTHOLTIO, CHRISTOPHORO FRANCKIO, & HENRICO OPITIO ſe addixerat, qua publicarum, qua privatarum lectionum auditor; diſputatoriis quoque palæſtris ſe exercuerat: honores philoſophicos XXII. ætatis anno, habita de *Jejuniis Hebræorum* inaugurali diſputatione, HENRICO OPITIO tum temporis Decano, reportavit. Ad Theologica poſtea ſtudia majore ſe ardore convertit, ita tamen ut Philoſophica ſtudia non negligeret. Nam de unione perſonali ſub præſidio D. KORTHOLTII, Magnifici nunc Academiæ noſtri Pro-Cancellarii, publice reſpondit, ipſe vero Præſes primum de *cognitione Dei naturali*, hinc de *Philoſophia in genere* & de *motu locali* diſputavit. Quibus speciminibus ut famam ſibi excitavit, ita facile invenit in Nobilium ordine, qui ipſum filiis ephorum optarent. Primum ille REVENTLOVII, hinc BAUDISSIORUM ſtudia nobili homine digna moderatus eſt. Unde ipſi apud agnatos generoſos favor, qui facile, accedente etiam Patris commendatione, à Sereniſſimo Principe Philoſophicæ Profeſſionis ſpem ipſi impetrarunt. Quo factum, ut Homiletices, quam vocant, Profeſſionem à Principali gratia reportarit, poſtquam Homileticas tabulas à ſe conſcriptas Sereniſſimo ejus Nomini inſcripſerat. In ordinem ergo Profeſſorium d. XIII. Octobris An-

ni LXXXVI. receptus pro virili ſua, ut Spartam, quam nactus erat, ornaret, annifus eſt. Cui fini Apparatum Practicum è Parentis conſilio elaborandum ſuſceperat, ejus propediem ſpecimen de *Jeſu in horto, in cohorte, & in morte* daturus. Sed interceſſerunt iſtis conatibus fata, quæ Academiæ Profeſſorem, Parenti filium, Uxori chariſſimæ maritum deſideratisſimum eripuere. Vix enim decem menſes in Conjugio exegerat; quod ille XV. Julii cum nobilisſima præclarisque virtutibus ornata virgine AGATHA, Viri plurimum Reverendi BERNHARDI OLDERMANN, Præpoſiti quondam in Everſchopf & Utholm filia inierat. Quæ nunc mortem ejus immaturam inconſolabiliter luget. Morbus illi lente primum ſubrepſit, occulto quodam contagio, ut videtur, ortus, cum ille in loco, ubi puſtulæ pueriles graſſabantur, verſaretur. Horror, capitis dolor, conatus vomendi, ſpirandi difficultas, principio neglectius habita ſigna, tandem morbum ipſum oſtenderunt. Diarrhœa primum, ſed tamen mox ſedata, febris deinde acrior, & epileptici inſultu acceſſere, partim è præpedita perſpiratione, partim è terrore dormienti ſuperveniente orta ſymptomata. Quo factum eſt, ut pertinaciæ morbi medica manus tandem ſuccumberet: illeque, poſtquam ex illa mentis emotione, in qua nihil inconditi dixit, ſed amabile JESU nomen ſem-

per

per in ore habuit, iterum ad ſe rediret, inter preces, quas ipſe recitabat, & alii verbis præibant, animam jam aliquot ante morbi inſultum diebus cibo cœleſti refocillatam d. XXVI. Aprilis hora VI. matutina placide exſpirarit. Deus Patrem ex hoc in exſpectato caſu tanquā fulmine proſtratum divini ſpiritus robore erigat, bonoque publico ſervet: Conjugi quoque mœſtiſſimæ gratia ſua adſiſtat. Quod reliqvum ejus eſt, hodie hora II. efferetur. Vos igitur, ô Cives Academici, ut extremum pietatis officium Profeſſori veſtro perſolvere velitis, peramanter rogamus. Præterquam enim quod ipſæ humanitatis leges id requirunt, acerbiſſimos optimi Parentis dolores hoc affectu veſtro non parum levabitis. P.P. d. VI. Maji Anno clɔ lɔc LXXXVIII.

68.

ETſi quotidiana ac perpetua hæc in Scholis Chriſtianorum, in ſacris ad populum ſermonibus doctrina eſt, de non deponenda mortis noſtræ memoria; non tamen faſtidium ejus capere quenquam debet, ſed novis illa præceptis & exemplis ſemper reſuſcitanda eſt. Quo magis enim in diem vivimus, fatorum noſtrorum incurioſi, eo magis unus & extremus ille dies, qui vitam noſtram bene vel malè actam terminat, nobis

proponendus est. Quod si illi qui stadia currunt, non in via hærent, aut objecta quadam specie revocari se à cursu patiuntur, sed ad metam præfixam semper adspirant, neque ab illa oculos dejiciunt: multo magis nos ad Christiani hominis extremam metam toto illo vitæ cursu adniti debemus, atque unicum hoc nobis agendum est, ne nos imparatos & ἀπαλαίστους supremus ille agon deprehendat. Quis militem ferat, aut eo nomine dignum existimet, qui ditibus ac opulentis stipendiis conductus ad pugnam animum effeminatum, manus desides, nullos nervos, nulla arma adferat? Et nos inter tot voluptatum, tot sensuum, tot affectuum insidias, tot Orbis & Dæmonis insultus & pericula, ignavo torpore diffluentes, compressis manibus sedebimus; neque ad palmam illam in medio positam oculos convertemus? Perpetuos in corpore nostro circumducimus melioris sapientiæ monitores morbos: tot habemus omnium seculorum, dierum, horarum testes, qui nobis illud μέμνησο ἄνθρωπος ὤν inculcant: omnis non sacrorum tantum librorum, sed & gentilium pagina clamat: *Morieris:* ante oculos ducuntur funera: sub pedibus patent sepulchra, è quibus ipsa illa ossa, ipsi cineres merito sacrum illum & salutarem horrorem nobis incusserint. Nulla denique dies est, quæ aurem obliviosis non vellicet, quæ omnem horam ut su-

ſupremam illuxiſſe non prædicet: Quo magis nobis nullo non tempore matura mors, præſente animo, & fide ac pietate armato exſpectanda eſt. Etſi enim de acerba morte queri plerumque homines ſolent, qui res magnas ſpe & animis moliuntur: etſi quoque in illo, quod hodie ducimus, funere non reprehendenda multis hæc lamentatio videtur, parum tamen illa animo vel Chriſtiano vel philoſopho attendenda eſt. *Hoc quod inter primum & ultimum diem jacet*, ajebat Seneca, *varium & incertum eſt: ſi moleſtias æſtimas, etiam puero longum: ſi velocitatem; etiam ſeni anguſtum.* Addamus nos: Vita hæc, ſi inter virtutes ducitur, ne in puero quidem brevis eſt: ſi inter flagitia conſumitur, vel decrepito ſeni brevis, nec vita quidem eſt, ut qui nunquam cœperit vivere, niſi cum ſe vitiorum ſordibus eripuit, & in lucem ex hoc ſepulchro aſſeruit. Niſi quis proximam ætatem virtutis ac pietatis ſtudio occupaverit, ſenectus non niſi malorum & dolorum ſentina eſt, quæ mortem non proſpicit tantum, ſed & reſpicit: cum mors quotidiana ſub vitæ ſpecie nobis ſubrepat, & per vitæ detrimenta ſua ætati incrementa accedant. Neque enim extremus halitus mortem nobis facit, ſed perficit: ut extrema in clepſydra ſtilla non illam exhaurit, ſed omne ſimul ante defluvium. Accedit quod quæ immatura ſæpe nobis mors videtur, revera oportuna ſit. Neque enim nos hariolari poſſumus, quibus caſibus bonos homines divi-

na sæpe manus præripiat. Ac valent quoque hic illa Publii:

Mori est felicis, antequam mortem invocet:
Dum vita grata est, mortis conditio optima est.

Videmus in Virorum illustrium felicitate reputatam fuisse mortis festinationem. Quam in Pompejo à Vellejo & Juvenali optatam legimus; in Crasso à Cicerone laudatam. Illum enim feliciorem illi judicant, si ante bella civilia decessisset in Campania: Hunc Tullius *cum vitæ flore, tum mortis oportunitate, divino consilio & ortum & exstinctum* prædicabat. Sed hæc in civili fortuna solatia sibi habeant Rerumpublicarum Principes & magnorum consiliorum architecti. Alia Christianis vita est, alia, neque à gentilium Philosophorum lacunis hausta sunt solatia, qui quamcunque sibi mortem, etiam in puerili ætate oportunam, judicant, qua ad æternam illam vitam aditus est. *Quotidianus nobis*, è Præcepto Ambrosii, *est usus affectusque moriendi, ut per segregationem à corporis cupiditatibus, Anima nostra se discat extrahere, & tanquam in sublimi locata, quo terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, nec pœnam mortis incurrat.* Nunquam ergo intempestiva Christiano homini mors esse debet, sed exspectata semper & jamdudum quasi è specula prævisa adveniet, si vel maxime in florida illa & vegeta ætate occupaverit. Quare nec acerbior ille casus videri debet

bet, Amplissimi Consultissimique Viri DN. GOTHOFREDI PROSPERI JOHANNIS HEIDEN, Senatoris de hac urbe meritissimi, & Advocati toties in palæstra publica spectati: cui in ipsa virili ætate, in medio vitæ fortunæque cursu, fata manum injecerunt. Adeo nullum domi consilium adversus mortis insidias Senatori fuit: neque Patrono ulla in die extremo illi dicto vel exceptio vel dilatio profuit. Vos hoc, o Juvenes, vobis exemplum ob oculos ponite, ne aliqua ætatis prærogativa mortis ab insultu immunes vos esse existimetis: atque è vita ejus optimisque moribus quod ex usu vestro sit depromite. Editus ille in lucem est, in Westphaliæ urbe Herfordia, Anno ClƆ IƆC XLVIII, qui ob Pacem Germaniæ a diuturno bello restitutam merito memorabilis est, XVII. August. die, Patre BERNHARDO, Serenissimi Electoris Brandenburgici Quæstore in Sparbergensi & Ravensbergi diœcesi amplissimo; Matre EVA CATHARINA, Viri Generosi, BERNHARDI DETHERINGI, in Wester Hereditarii, filia. De cæteris Viri beati majoribus, etsi ipse aliqua consignarat, nihil tamen inter schedas & scrinia ejus investigari potuit. Neque ea de re magnopere solliciti nunc erimus, cum ex eo tempore, quo nobis innotuit, in bonæ mentis insignibus & natales suos & majorum indolem satis delineaverit. Venit in hanc urbem, Anno ClƆ IƆC LXVIII, quæ ipsi ad studiorum & fortunarum cursum

ſignum ſuſtulit. Primum illi Academia & celeberrimi in illa Jurisprudentiæ Doctores fontes illos juris aperuerunt, ad quos ille, ut diuturnam explere ſitim cupiens, acceſſit, tantumque ex iis hauſit, ut in cauſis orandis feliciter operam poneret. Igitur Anno LXXIV. Prudentiſſimi hujus urbis Senatoris, Viri ob probitatem optimosque mores ſpectatiſſimi, ANDREÆ ELLRODDII filiam CATHARINAM in matrimonium duxit, ſed non niſi quinquennium cum ea exegit. Natus è dulciſſimo conjugio filiolus brevi mortalitatem explevit, & inſecuta illum mater eſt. Poſtquam Anno LXXXIII. XXV. Februarii die in Senatum cooptatus eſt Noſter, ſecundas nuptias, cum SIBYLLA URSULA, PETRI EMMERWALD, Sereniſſimi PRINCIPIS Plönenſis Quæſtoris in Glucksburg, filia celebravit. Verum cum improlis conjugii vincula immaturo hujus quoque Conjugis obitu rumperentur, ad tertios ille amores tranſiit, atque in illis & vitæ & fortunæ ſuæ curſum peregit. Jungebatur illi Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi DN. D. JOHANNIS HENNINGII, Provincialis, quatuor urbium & hujus urbis Syndici meritiſſimi, natu major filia, ANNA DOROTHEA; cujus matrimonii ut feliciſſima fuere auſpicia; ita triſti nunc exitu acerbum illud luctuoſumq; fuit. Vix ille quinque annos his in amoribus abſolverat, cum jam metam ſe contigiſſe videret: Nam qui fulſerant antea ſereni dies,

ni-

nigerrima & ferali tempeſtate, velut nocte quadam, occultati, & omne illud gaudium conturbatum fuit. Adoriebatur illum XXVI menſis elapſi die morbus, qui in febrem ardentem exiit; qua cum ille ad VItum Julii diem conflictatus animam ſuam in divinas manus hora VIta verſpertina reſignavit, poſtquam illam eo ipſo die divino pabulo recreaverat. Sic XL. ætatis anni ipſi impleti in hoc vitæ eremo fuere, ut nunc inoffenſo pede ad beatam illam promiſſionis terram transiret. Gratulemur animæ beatæ de ſuperatis vitæ hujus ſcopulis, & quantum in nobis eſt, ad eundem portum enitamur. Vos vero, ô Cives Optimi, mortalitatis veſtræ etiam in hac vegeta ætate memores vos oſtendetis, ſi ad humanitatis officium exuviis ejus, quæ hodie terræ inferentur, perſolvendum, frequentes confluxeritis. Quod etſi ipſæ pietatis leges à vobis requirunt, vos tamen invitatione noſtra, ut faceretis, rogatos voluimus. Magnum præterea in luctu ſuo, Vidua, Socer cæterique affines ex hoc veſtro affectu levamentum ſentient. Valete P. P. KiloniI d. VIII. Julii. Anno cIↄ Iↄc LXXXVIII.

69.

QVod olim ſapienti conſilio tam apud Græcos quam Romanos inſtitutum fuit, ut publico elogio ornarentur, ac in conventibus publicis celebrarentur, qui vel pro patria rem bene geſſerant, vel de ſalute publica quacunque ratione bene meriti fuerant; id in Republica quoque literaria fieri æqvum eſt, ſi qui doctrina inſignes viri, cæterisque in exemplum nati virtute ſua omnium in ſe oculos converterint. Cum enim virtuti debeatur laus, & ut quisque maxime boni eſt particeps, ita laudabilis maxime ſit, publiceque interſit eorum omnibus memoriam ante oculos poni: & pietatis & prudentiæ legibus conveniens eſt, ſi digna virtutum præconia ad poſteros transmittantur. Nam ſi quis abſurdis & inſanis laudibus virtutes mediocres, vel vitiis pluribus conſperſas, aut vitia virtutum fuco incruſtata in cœlum extulerit: næ ille, præterquam quod ſe ridiculum aliis præbet, & in Rempublicam eſſet injurius, & virtutum pretia turpi mangonio dehoneſtaret. Quis non cum magna animi voluptate legat, quæ apud varias gentes virorum doctorum elogia quibusdam notata ſunt; præſertim ſi id quod res eſt dicatur, ſine fuco ullo, ſine verborum pigmentis & præſtigiis, non diſſimulatis etiam, ſi quæ ſunt (ut nihil ab homine humani alienum eſt) erratis, levioribus, gravioribus, unde quid in omnes partes valeat, velut è penu qua-

quadam ſibi prudentes Viri depromant. Idem quoque nobis jam ab ipſis Academiæ natalibus propoſitum fuit, ut virorum inſignium, bene de Academia, bene de orbe literato meritorum memoria omnibus etiam per nos ipſos innoteſceret. Nam etſi ſuis ipſi coloribus mentem optime in moribus, in ſcriptis pinxerint: æquiſſimum tamen erat, & humanitatis leges efflagitabant, ut modeſtis, & quantum ſine oſtentationis ſuſpicione, in re noſtra licet, eximiis laudibus à nobis cohoneſtarentur. Inter varios fortunæ inſultus, quibus Academia hæc ſæpe conflictata eſt, non levis illa virorum doctiſſimorum jactura fuit, quos vel alii lautiore fortuna propoſita evocarunt, vel fata ipſa nobis eripuerunt. Jam plures ex eorum numero compoſuimus felices & virtutibus ſuis meritisque ſpectatos, qui primi ad hanc Muſarum coloniam deducendam ante hos XXIII. annos ſigna ſuſtulerunt. Qui ſuperfuerunt adhuc ex illo ordine, totidem quot

Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili,

novam hanc in viri celeberrimi jactura plagam acceperunt, dum ipſi ad eandem metam continuo ætatis decurſu deflectunt. Meminiſtis, Cives optimi, ſublatum nunc nobis eſſe triſti fato Virum maxime reverendum & celeberrimum DN. MATTHIAM WASMUTHIUM Doctorem & Profeſſorem Theologum, & inter Academiæ noſtræ decora & ornamenta merito numerandum, & eo quidem tempore, quo

ma-

magna operis ejus Chronologici exſpectatio eruditiorum ſuſpenſos maxime animos tenuit. Nunc ille quoque vixit, &

quem dederat curſum fortuna peregit,

ab ipſis temporum annalibus deſtitutus, quos reſtituere ille tot curis vigiliisque ſuis laborabat. Non ille quidem acerbo, (quarto enim ultra ſexageſimum annum exceſſit) ſed luctuoſo ſuis nobisque funere hodie effertur, & quo conſpectiora ejus merita ſunt, eo ſollicitiorem vitæ ſuæ enarrationem exigere à nobis videtur. Primum in hac ipſa urbe ſpiritum hauſit ὁ μακαρίτης noſter, Anno cIↄ Iↄc XXV. d. XXIX. Junii. Pater ipſi erat Civis honeſtiſſimus GEORGIUS WASMUTHIUS, Mater ANNA, MATTHIÆ ZOEGÆ Nobilis Romani, à Pontificiis ad puriora noſtra ſacra per Eccleſiaſten Aulicum Meclenburgicum Dn. JOHANNEM STAMPENIUM, poſtea ſocerum ſuum, converſi filia. Cum vigorem animi, ac vividum ingenium mature ſatis oſtenderet M. VICOSTADIO, Kilonienſis Scholæ Rectori, in diſciplinam datus eſt. Poſito hic primo in literis tirocinio, eodem anno, quo Pax Germaniæ reſtituta, non ſine felici omine, Academiam Wittebergenſem, & maturo conſilio adiit. Neque enim, qui pravus hodie multorum mos eſt, cruda in Academiam ſtudia intulit, ſed ad tertium & vigeſimum ætatis ſuæ annum Latinas Græcasque literas ita excoluit, ut in utraque lingva, & libero & ligato ſermone feliciter omnia expri-

primeret. Quo exemplo utinam ſapere diſcat juventus, vel potius deliri Parentes, qui, cum Græcam ne à limine quidem ſalutarint, & in Latina vero vix ultra prima rudimenta profecerint, ad Academias tamen & graviora ſtudia rudes filiorum animos extrudunt, ut è trunco ficulno & inutili ligno repente fiant alati & petaſati Mercurii. His igitur geminis quaſi alis ſuffultus, facile aquilæ inſtar illum artium orbem pervolavit, quem ceteræ teſtudines, vel nunquam vel agre perrepunt. Audivit hic in arte eloquentiæ, magnum Germaniæ noſtræ decus, BUCHNERUM, in Logicis & Metaphyſicis SCHARFFIUM, in Phyſicis SPERLINGIUM, in Lingvis Orientalibus SENNERTUM, in Theologicis CALOVIUM & MEISNERUM, ſtatimque hic ingenii, & eruditionis ſuæ publica ſpecimina extare voluit. Primum itaque de *Philologiæ præſtantia ac neceſſitate* orationem publice recitavit, quam eruditam & luculentam, uti ipſum literatiſſimum juvenem, teſtis omni exceptione major BUCHNERUS vocare non dubitavit. Hinc de *Theologia Naturali*, de *Bonitate Tranſcendentali*, quas ipſe elaboravit, theſes ſub præſidio Adjunctorum TRENTSCHII & BILEFELDII habuit, & his quaſi præludiis digniſſimum ſe iis honoribus oſtendit, quos in Philoſophia Decano SENNERTO, lingvarum Orientalium Profeſſore celeberrimo, hodieque Academiæ Wittebergenſis Seniore venerabili, biennio poſt impe-

petravit. Sub cujus præsidio idem disputationem super Psalmum primum à se conscriptam publice ventilandam proposuit. Cum itaque sine cortice jam natare posset Noster, suis quoque auspiciis quædam aggressus est. Nam de *Integritate & authentia sacri fontis Hebræi* bis Præses disputavit, aliosque Scholis privatis docendo, & eruditionem & famam mirum in modum auxit. Cum intra hos carceres plenus illi ad eruditionem cursus esset, ampliora sibi spatia ipse institutis ad alia loca peregrinationibus proposuit. In illustri Lipsiensi Academia celeberrimum HULSEMANNUM cæterosque illic Theologos, in Batavis insignes Philologos GOLIUM, COCCEIUM, GENTIUM salutavit, & è conversatione cum illis familiari, quod summum ad perficiendas doctrinas adjumentum est, Orientalium literarum peritiam magis magisque exornare & perpolire visus est. Ejus ille documentum primum dedit, cum Amstelodami *Grammaticam Arabicam plenam & methodicam* ederet. Perlustratis pulcherrimis ad Rheni tractum urbibus Argentoratum pervenit, & ad SCHMIDII ac beati DANHAUERI clarissimorum Theologorum colloquia sæpe admissus fuit: cumque Philologiæ Hebraicæ studio maxime duceretur, quod Basileæ celebrabatur omnis literaturæ Hebraicæ oraculum, BUXTORFIUM, minime sibi prætereundum existimavit. Cujus ex humanissima conversatione quantum profecerit,

rit; grato ſæpe animo agnovit. In Patriam hinc reverſus θεὺς πατρώυς primum è veteri ritu ſibi ſalutandos auſpicii gratia cenſuit. Nam Sereniſſimi tum Principis Divi FRIDERICI laudes luculenta factaque oratione ita perſecutus eſt, ut & Principi literatiſſimo & omnibus eruditis quaſi aliquo Phidiæ ſigno ſe probaverit, ipſeque jam Academiæ Holſaticæ, quam animo verſabat maximus Princeps, Profeſſor deſignaretur. Quibus conſiliis cum multa eo tempore intercederent, ad Sereniſſimum Principem Meclenburgicum, GUSTAVUM ADOLPHUM, commendatitiæ illi datæ ſunt, quibus id effectum eſt, ut Logices Profeſſioni, in Academia Roſtochienſi tum vacuæ, admoveretur. Quam ille pro virili Spartam ornavit, ita ut lectionibus privatis Hebraicas literas, quibus præcipue ſe conſecraverat, non negligeret. Unde ipſi, quod omnium in manibus verſatur *Hebraicæ Grammatices, Accentuationis & Vindiciarum* opus, natum fuit, magnamque famam excitavit. Cum itaque Anno LXV. quod intra Divi Parentis vota ſubſtiterat, effectum daret Filius Sereniſſimus, nunc Princeps noſter Clementiſſimus, novamque in patria urbe Academiam erigeret, ad Orientalium lingvarum Profeſſionem, velut ad quoddam ſuum regnum è Roſtochienſi Academia, paterni promisſi memor, evocavit, ubi præterea ſummos in Theologia honores munificentia Principis obtinuit. Qua ille fide, qua in-

induſtria in hoc velut theatro quodam ſe ſpectandum omnibus dederit, notius eſt, quam ut noſtra ortione demum debeat recenſeri & exaggerari. Accesſit illi poſtea Anno LXXV. Theologica Profesſio. Verum cum ex opere Aſtronomo-Chronologico, cui ſe immerſerat, labores illi creſcerent, Orientalium Profesſione ſe abdicavit. Quas ille curas, quas vigilias in hoc opus impenderit, credi vix poteſt. Improbo enim ac plane internecino labore, pluribusque, quam quibus Troja expugnata eſt, annis, hanc velut Penelopes telam ſemper texuit, ut, tanquam alter Ixion rotis & orbibus ſuis illigatus, propemodum in pœna & ſupplicio reputare potuiſſet, niſi inexhauſta veri cupiditas animum illi in tam vaſto opere ſæpe fatiſcentem refocillaſſet. Laudanda ſane in illo Viro fuit ſummus ille abdita penetrandi ardor, quorum ille deſiderio angebatur. Erat illi ingenium acre, calidum, vehemens, incredibilis in laboribus asſiduitas, pertinacia ferrea, qui genium ſæpe ſuum fraudaret, ſomno detraheret, amœnitates vitæ pro nihilo duceret: modo ſibi in literis & in ſtudiis habitare liceret, atque id quod ſibi venari propoſuerat, aliqua velut indagine, ex aliquo latibulo erueret. Occaſio illi ad hoc opus è LXX. hebdomadum Danielis calculo ſuppeditata perhibetur, ne quis illis qui

— — *aliena negotia curant*
Excuſſis propriis.

ac-

accenſere poſſit. Maximis certe ſemper ingeniis digna habita fuit, quæ in temporum emendationem cura impenditur, quam aliqui è certis naturæ & hiſtoriæ characteriſmis, aliqui è ſecretis numerorum proportionibus, ac ſeculorum revolutionibus in ſacro Codice ſignatis quæſivere. Non eſt à vero alienum, ut ſingulis hominibus, imo & corporibus, ſuæ ſunt divina providentia definitæ periodi, ita hujus Univerſi machinæ ab æterno illo Architecto eſſe præfinitas, quas arcano conſilio ita abſcondidit Pater ille temporum & antiqvus dierum, ut vix ulli, niſi quod hariolando ille & conjectando aſſequatur, quicquam indulſerit. Fuere qui è temporum, quæ in ſacro Codice notantur, calculo myſtico novam emendandorum temporum rationem inveniſſe ſibi viſi ſunt, Beroaldus, Heinlinus, & nuper in Chronologia, quam vocat, infallibili Ravius. Verum cum nec illi omnibus dubiis ſatisfacerent; fortaſſe & ingenio liberalius indulgerent: ita torſit optimum noſtrum Senem harum rerum inveſtigatio, omniaque finxit, refinxit, ut ſe rem omnem confeciſſe perſvaſiſſimum haberet. Non ignorant, qui artis ejus interiora rimati ſunt, quantis difficultatibus hic omnia obſideantur. Si ad ipſa, unde omnis ille calculus procedit principia venimus: quis hactenus accuratum conditi mundi tempus nos docere potuit? quis Chriſti annum, menſem, diem natalem ad certum temporis articu-

lum reducere poteſt? Nam ſane integris libris dubia illa ventilantur, ac Joſephus Scaliger ſolius Dei eſſe ait certum hic diem definire. Quare prodigio proximum videtur, quod ſe tabulis ſuis indagaſſe, beatus noſter WASMUTHIUS, magna rerum ſuarum fiducia nobis teſtatus eſt, teſtanturque alii, qui ejus rei experimenta ceperunt. Nam aſſumpta certa anni quantitate, poſitoque mundi conditi principio, ita continuo illo tenore anni decurrunt, ut, quod ipſe vivus ſæpe narravit nobis, omnes lunationes, æquinoctia, eclipſes veterum, novorum temporum admirabili concentu conſpirent, quem accuratiſſimum emendandi temporis characterem divinitus docebat Scaliger. Quo argumento motus Excellentisſimus DN. OLIVEKRANTZIUS, maximæ Svecorum Reginæ CHRISTINÆ hoc ita commendavit opus, ut regali plane ſeq; digna munificentia tabularum in ſe editionem ſuſceperit. Ac fervebat jam opus, & ſub prælo ſudabant tabulæ, cum ipſum ab hoc curſu temporum Æternitati aſſereret Deus, & ſpei publicæ hic quaſi obex poneretur. Non deerunt, ubi lucem opus viderit, pii eruditique cenſores: ne nos domeſtico teſtimonio jactantius aliquid dixiſſe, aut immaturo præjudicio orbis eruditi ſuffragia præcipere videamur. Hæc illa animi, quatenus ille eruditus eſt, ornamenta fuere, & quibus orbi literato innotuit: nunc morum pietatisque lineamenta in illo notabitis.

tis. Nihil potuit illo fieri ſvavius. Nam omnibus, præcipue diſcipulis auditoribusque ſuis, facillimum ſe ſemper præbuit, ut nihil adeo in loculis ſuis bonæ eruditionis reconditum haberet, quod non cum omnibus ſine invidia communicaret, imo tardioribus obtruderet; boni certe fidique Doctoris partes cumulatiſſime implevit. Id ſingulare in illo eximiumque fuit, quod effuſus in omnes eſſet, qui ope ejus indigerent, miſeris, etiam ſuo cum detrimento, ſubveniret, neminem à ſe triſtem demitteret, omniumque, quibus bene vellet, cauſam ut ſuam ageret. Multa ſunt memorabiliaque ejus in pauperes liberalitatis exempla, cum furtim ſæpe & per inſidias neſcientibus & non petentibus beneficia obtruſit; ut non raro ejus bonitate indigni quoque homines abuterentur. Neque enim facile animo ejus inſidebant ſuſpiciones, cum ex ingenio ſuo ac bona fide alios æſtimaret. De Pietate, qua in Deum ferebatur, quæ omnium virtutum complementum eſt, & ſi quæ ſunt humana errata facile tegit, quantus hic nobis dicendi campus eſſet, ſi quæ & ipſi novimus, & narrata nobis ab aliis ſunt, exigva complecti charta poſſemus. Non prætereunda & illa nobis ſunt, quæ in fortunæ bonis numerari ſolent. Obtigit illi uxor plane ad mores ejus facta, & ut nomine, ita verè re ipſa DOROTHEA, Celeberrimi Profeſſoris in Academia Roſtochienſi Theologi filia. Singulari enim

pietatis exemplo omnibus fuit, quo è matrimonio duo illi filii superstites fuere: quorum alter JOHANNES GEORGIUS, vivente Patre in Professorum ordinem cooptatus, immaturo suo obitu magnum illi vulnus inflixit; alter vero MATTHIAS, Medicinæ Candidatus è Lipsiensi Academia huc accessit, ut extremum Patri pietatis officium persolveret. Postquam illa acerbo ipsi funere erepta, ad altera sacra connubialia transiit, ducta uxore M. SIGISMUNDI PHILONIS Schellhammers/ Hamburgi quondam ad D. Petri Archidiaconi relicta filia, GERTRUDE, quæ nunc, postquam XVII. cum eo annos exegit, Vidua mœstissima raptum ex amplexibus maritum charissimum deplorat. Morbus ipsum diuturnus à bona & per totam vitam commoda valetudine invasit, cui ille assiduis laboribus, nullo plane recreationis intervallo intercisis, forte jam à multis annis fomitem subministraverat. Ita scilicet res sunt comparatæ illorum, quibus hoc vitæ genus vel ratio vel fors objecit, ut tacita quadam & svavi αὐτοχειρία se ipsos conficiant. Nam dum nimiis meditationibus à corporis ministerio avocant spiritus: dum immoderata discendi cupido coquit versatque pectus, singuli de natura illorum dies & horæ aliquid limant ac decerpunt. Toto pene anno morborum quædam syndrome Beatum nostrum Senem oppugnaverat, magna Virium dejectio, perpetua stomachi fastidia, impe-

pedita concoquendi facultas ac propemodum exſtincta, vomitiones crebræ & vehementes, ἀγρυπνία, is quæ ipſe per ſe morbus eſt, Senectus. Quæ omnia continua quaſi tabe Spiritum ad extremum usque mortis articulum ſibi conſtantem, ferventiſſima in Deum pietate velut alis quibusdam elatum, non tam excluſerunt, quam lentis quaſi veſtigiis exeuntem, imo evolare paratum, die XVIII. Nov. hora III. pom. velut è vinculis dimiſerunt. Memorabilia ſunt notatuque digniſſima, quæ paulo ante beatam mortem jam intra temporum æternitatisque confinia poſito exciderunt, quæ plenius ab aliis ſunt narrata, uberiusque qui ipſi adfuit Verbi divini præco ex ambone ſacro exponet. Nos nunc, quod noſtri eſt officii, ejus quod reliqvum eſt, ſepulchro ſuo hodie inferemus. Vos quoque, Cives Optimi, vel nobis non monentibus, extremam Præceptori veſtro pietatem, ea qua par eſt frequentia, exhibebitis. P. P. d. IX. Decembr. Anno cIↃ IↃc LXXXVIII.

70.

QVartum jam intra annum ex Academico ordine funus ducimus, Cives optimi. Nam pene ipſo die, quo primarius in hac Academia Anteceſſor ſignum ſuſtulit, ſublatus è Philoſophorum

nobis ordine eſt Admodum Reverendus Ampliſſimusque Vir DN. GEORGIUS ERNESTUS HELDBERG, SS. Theol. D. & Logices ac Moralis Philoſophiæ Profeſſor celeberrimus, Collega noſter honoratiſſimus: cum medio tempore WASMUTHII, Pater & Filius, exceſſerint. Primæ Juriſconſulto partes datæ ſunt, ut vel ſic Anteceſſoris nomen tueretur: nam pridie exeuntis anni octogeſimi ſeptimi mortalitatem explevit. Æſtas deinde ac autumnus, illa filium, hic Patrem, illum è Philoſophorum ſubſelliis, hunc è Theologorum ordine nobis abſtulit. Illos felices compoſuimus; reſtat nunc, qui in mediæ ætatis curſu, cum ipſo anno, tribus ante novi anni exorſum horis, exſpiravit, novum non annum, ſed ſeculorum myriadas in cœlis auſpicaturus, cui hodie extremum pietatis officium perſolvimus. Immaturo quidem ille & acerbo funere, cum Academiæ, tum Uxori dilectiſſimæ, & Fratribus ampliſſimis, reliquisque cognatis & affinibus ſublatus eſt; ac longiore ſane vita dignus ipſe videbatur, ſi annorum tantum numero vita hæc æſtimetur. Verum ut ille dudum tum philoſophiæ moralis, tum cœleſtis doctrinæ præceptis domi didicerat, non humana & peritura felicitate, ſed virtute ac pietate vivendi nobis rationem conſtare, ita & nos vel nunc illo monitore ſapere diſcamus, ne vel illum non ſuo nobis tempore ereptum queramur, vel ipſi in præſentis vitæ bonis ita acquieſcamus, ut, ſi

ab

ab illis avocemur, fata de injuria nobis facta accuſemus. Ea mentis noſtræ cœcitas eſt, ut ſæpe intelligendo nil intelligamus, & voluntate noſtra nobis ipſi deeſſe videamur, cum ea miſere concupiſcimus, quæ cum detrimento noſtro & graviſſimo periculo conjuncta eſſe novit, qui ſuo res noſtras arbitrio moderatur Deus, & in filiorum ſalutem vigiles ſemper oculos intendit. Scilicet ut multis ſera mors magnæ infelicitati fuit, ita in felicitatis parte non minima ſæpe eſt, ſi quis mature ſatis iſti rerum & negotiorum turbæ, quæ aliquando nos in vitæ propagatione oppreſſura ſit, eximatur. Quid enim habet hæc, etſi vel ſecula excedat, vita; quam ut patentior nobis fortunæ campus aperiatur, in quo illa ad nos vel aperta vi opprimendos, vel per inſidias evertendos omnes ſuas machinas intendat. Quis ſibi illum temporum curſum adeo certum promiſerit, ut non in aliquo offendat, cum ſemper objiciat nobis aliquid fortuna, quod nos quaſi in ſpecula ſollicitos teneat, ad evitanda quæ nos circumſtant incommoda, aut impendent. Cum principem apud Chriſtum locum ambirent duo fratres, neſcire illos, quid peterent, reſpondit: quod & nobis dictum exiſtimemus, qui illo Doctore dudum novimus, non in illis, quæ vulgo bona haberi ſolent, divitiis, robore, potentia, longiore vita veram felicitatem conſiſtere, ut illorum cauſa magnopere torqueri, aut ea anxiis ſupplicibusque votis

precari debeamus. Si incolumi regno vivis quinquaginta filiis cecidisset Priamus, beatissima ille morte è vita discessisset, quæ ipsi in extrema senectute miserrima contigit. Si Neapoli, cum graviter ægrotaret, diem obiisset Pompejus, in amplissimis fortunis occubuisset, qui postea miser omnique potentia exutus, hostili manu interemptus est. Quod si ex voto vel nostro, vel eorum, quibus ille carus maxime fuit, vel denique ex meritis & virtutibus, quibus ille & se & Academiam ornabat, vita τοῦ Μακαρίτου nostri definienda; quis non illi spatia quam longissima designaverit, ut pleniore ille cursu ad gloriam contenderet, nobis uberiores virtutis ejus haurire fructus licuisset. Sed nunc ille in medio vitæ suæ tempore plus vitæ implevit, quam alii multo longiore annorum via assecuti sunt. Nos ejus historiam, ut mori apud nos recepto satisfiat, ob oculos vobis ponemus. Natus est Anno clↄ Iↄc XLI. d. V. Septembr. Cellæ, in Ducatu Lunæburgico, Patre Nobilissimo Amplissimoque Viro, HENRICO HELDBERGIO, Serenissimi Principis Lunæburgici olim Feudorum Secretario & Archivario: Matre omnium virtutum genere ornatissima, ERMEGARDE, HENRICI LEINEMANNI, Civis Cellensis Primarii filia. Avus illi paternus fuit CHRISTOPHORUS HELDBERGIUS, Civis & Mercator Ulzensis primarius. Avia ANNA Mausals / Proavia ANNA Hinnebergès. Avia illi materna fuit MAR-

MARGARETA Hildebrands: Proavus maternus DIEDERICUS Mauſal / Civis Primarius Ulzenſis: Proavia, BARBARA Meiners. His natus honeſtisſimis & parentibus & majoribus bonæ indolis ſemina ſecum ex utero tulit, unde præclari aliquando fructus prodirent. Eo ipſo die, quo ſacris Chriſtianis initiatus eſt, mater ejus diem ſuum obiit, & è vita excesſit, cujus ille beneficio primum ſpiritum hauſerat. Jam tum in tenera ætate bonæ & erectæ mentis indicia dedit, quæ ut magis magisque tum virtutum, tum artium præceptis excoleretur, ad ScholamMisniæ Electoralem à Parente ablegatus eſt, ubi per triennium, eoque amplius, indefeſſum ſe in ſtudiorum lineamentis ducendis & asſiduum præbuit. Hinc ad Ducalem LuneburgenſiumScholam,abiit quæ tunc temporis in CœnobioWalckenridenſi inſtituta Magiſtris peritisſimis florebat. Hic ubi optima ſtudiorum fundamenta jecerat, amplisſimis à Præceptoribus ſuis elogiis dimiſſus, exacto pene biennio, Anno LXI. magnam illam bonarum artium & morum matrem Academiam Juliam, dignisſimus illa Civis ſalutavit, poſtquam ſcholaſticis ante palæſtris bene ſe firmaverat. Uſus eſt illic Viri Celebratisſimi, GERHARDI TITII, SS. Theol. D. & Profeſſoris contubernio. Hic ille ſe totum divinæ humanæque ſapientiæ ſtudiis conſecravit, longe à pravo illorum more remotus, qui bonæ men-

tis officinam in plusquam militaris licentiæ ſedem convertunt,

Sponſi Penelopes, fruges conſumere nati.

Facile enim Virorum illic celeberrimorum favorem optimis ſibi moribus paravit, quorum felicisſimum eſt cum bonis artibus & literis contubernium. Male habitat doctrina, quæ in malam mentem incidit, & magnum aliquando Reipublicæ, magnum Eccleſiæ malum minatur, ſi autoritas poſtea malitiam armaverit. At noſtro ad bonam mentem bona ſanaque doctrina acceſſit. Nam divino illi beneficio obtigit, ut illos haberet in illuſtri Academia Magiſtros, qui non è lacunis, ſed è vivis plenisque fontibus omnia propinarent, illoque recentem teſtam odore imbuerent, quem in gravioribus poſtea ſtudiis ſervaret. Illos, qui *ſincerum cupiunt vas incruſtare*, ineptos novitatis affectatores quam maxime averſabatur. poſtquam tres & amplius annos hic exegerat, ſpecimine publico diligentiam ſuam probavit. Diſputationem enim de quæſtione illa: *An pnevmatica ſit peculiaris & à reliquis diſciplinis, præſertim à Metaphyſica diſtincta ſcientia vel diſciplina*, à ſe elaboratam, ſub Præſidio M. ANDREÆ FROLINGII, tum Logices Profeſſoris Ordinarii, poſtea SS. Theol. D. & Profeſſoris ac Superintendentis, publice habuit, & è Patria Academia diſcedens domi per biennium ſubſtitit. Hinc Anno LXVII. cum fratre ANTONIO GEORGIO, nunc Parentis ſui in mune-

re illo aulico ſucceſſore dignisſimo, in Academiam Jenenſem ſe contulit, ubi Anno LXVIII. honores Philoſophicos Brabeuta Philoſopho celeberrimo DN. D. BECHMANNO impetravit, qui ipſi non ſine ſingulari honoris prærogativa dati ſunt. Nam inter XXIII. juvenes ſecundum locum tenuit, cum primum vir in munere ſcholaſtico quondam conſtitutus occuparet. Nil attinet recenſere præclara illa, quibus eum celeberrimi Dn. Profeſſores ornarunt, elogia. Nam ſingularem in illo eruditionem modeſtiæ, pietati, bonisque moribus junctam omnes certatim collaudarunt. Percrebuerat tum fama Academiæ novæ Holſaticæ, quæ & ipſum Kilonium evocavit. Quod ille iter fatis quaſi viam monſtrantibus ingreſſus eſt; quæ ſedes illi quietas hic oſtendere videbantur. Primam ergo hic famæ fortunæq; aleam jecit, cum elegans argumentum publice diſputandum ut Præſes proponeret, *de primo complexo totius cognitionis humanæ principio.* Id ille triplici velitatione, docta ſane & ingenioſa, perſecutus eſt, ac poſtea multis acceſſionibus locupletavit, integrum *de primo cognoſcendi principio theoretico & practico* librum aliquando editurus; cui tamen ultima nondum manus admota eſt. Collegia quoque ipſe, ampliſſimi Collegii Philoſophici indultu, inſtituit. His ille præludiis cum ſe majori palæſtræ aptum oſtenderet, Anno LXXII. Philoſophiæ Moralis Profesſionem, à Sereniſſimo Principe noſtro ſi-

ſibi demandatam auſpicatus eſt, cui poſtea Anno LXXV. Logices Profeſſio acceſſit. Patentiſſimus illi & eruditionis & famæ campus datus eſt: geminis enim diſciplinis omne propemodum intellectus humani negotium, quatenus & θεωρίᾳ & πράξει conſiſtit, complecti videbatur. Cum in Logicis τρόπον τῆς ἐπιςήμης doceret, cæterarum quaſi architectus videri poterat, quibus illa diſciplina ſtylobatas, trochleas, vectes ſupponit. Morum doctrina non Theologiæ ſolum & Jurisprudentiæ viam ſternit, ſed & per omne vitæ genus immenſa utilitate longe lateque diffunditur. Ad utramque ille diſciplinam non volaticam, tumultuariam, aut è Novatorum compendiis raptim corraſam eruditionem attulit, ſed ingenii perſpicacitatem, promptam judicandi ſolertiam, vetuſtorum Philoſophorum doctrinis innutritã, ac optimis magiſtris perpolitam. Nulla major ingeniorum peſtis eſt, quam, quæ hodie dominatur, extemporalis docendi diſcendique ratio: qua heſterni diſcipuli in craſtinos doctores mira μεταμορφώσει abeunt, cœci canum feſtinantium catuli. Nemo nunc veræ ſapientiæ ſucco alitur, ut in virile ejus robur adoleſcat: multis ſatis eſt illo vel tingi vel aſpergi: aliqui vel afflatu abſolvi velint. Noſter ut in omni vita verum magis, quam veri ſpeciem ſectatus eſt, ita modeſtis & plenis hac via quã grallatoriis incedere veſtigiis maluit, ab omni theatrico apparatu alieniſſimus. Paucos ille di-

diſcipulos ſolida doctrina ſubactos, levi & circulatoria quadam percurſatione circumactis ſemper prætulit. Quare in docendo fidem, induſtriam, ἀκρίβειαν omnem adhibuit, & ita quidem ſemper in opere ſuo verſatus eſt, ut fundum veri penetraret, omnia exhauriret, omnesque boni Doctoris partes cumulatiſſime impleret. Moliebatur ille omnibus numeris abſolutum opus Logicum, toto illo tempore ipſi exaſciatum, cujus editionem jam tum animo verſabat. Verum immatura illi mors conſilia abrupit ultimamque operi limam invidit. Erunt fortaſſis, qui in iſto librorum Logicorum numero carere orbem literatum hujus acceſſione potuiſſe exiſtimabunt. Sed rectius judicabunt, qui miram quorundam, vel jejunitatem, vel ineptam φιλοκαινίαν non ignorant. Sunt qui infinita propemodum quisquiliarum mole doctrinam illam onerarunt. Qua deterriti nonnulli, cum ingenio non deſtituerentur, & aliquem ex eo faſtum ſumerent, præterea antiqua omnia tanta cura elaborata, tot ſeculorum ſuffragiis firmata, ſtulta quadam novitatis prurigine faſtidirent; omnes propemodum philoſophandi rationes conturbarunt, & quæ anxiè in incomparabili ſuo Organo, magna ingenii ſolertia, illorum ſtudiorum Pater & Princeps Ariſtoteles digeſſerat, illi quaſi in antiqvum chaos revocarunt. Inter hos Noſter quaſi medius, vetuſta cum novis conferens, & accurata omnia

lan-

lance expendens, præcipue illis è Schola Cartesiana magistris novitatis sæpe larvam detraxerat. Qui cum nec veteres, neque nostræ ætatis ea in re Doctores legerent, multa sibi nota invenisse visi sunt; quæ vel dudum aliis & uberius & doctius excussa, vel ipsâ statim fronte inscitiam produnt. In iis tamen aliquo illi numero *Autor artis cogitandi* habebatur, ut qui in paucioribus à regia via deflecteret, sæpe quoque dissentiendi rationibus non levibus duceretur, & quibusdam non spernendis inventis artem locupletaverit, in plurimis tamen aliter sensurus, si nostrorum ille hominum scripta lection sua dignatus fuisset. Derodoni ut insigni nugatori bonam mentem precabatur. In Gassendi quoque Exercitationibus Antiperipateticis ineptias tanto Viro indignas deprehenderat, cujus juvenilis scripti senem postea, ut accepimus, pœnituit. Sed istius quidem integri operis spe excidimus: quo ille absoluto, eandem in Philosophiæ moralis perfecto systemate adornando ordiri telam sibi proposuerat. Nondum enim iis fundata principiis, iis circumscripta limitibus vastissima doctrina est, ut una perpetuaque se διοικήσει oculis eruditorum sistat. Ne quid dicamus de profanis & flagitiosis dogmatibus, quæ in illam à malis hominibus invecta sunt, ut vel eam ob causam Hercules aliquis, monstrorum domitor, & sordium repurgator illi exoptandus sit. Id certe operam dedit Noster, ut recta & plana via juven-

ventutem, non per præcipitia duceret. Accedebat ad ſana philoſophemata vita Philoſopho digna. Fruſtra enim præceptis & ſententiis diſerti ſumus & canori, ſi non ipſa vita & facta verbis reſponderint. Quos enim mores docebunt ipſi vappæ & nebulones? quæ honeſtatis lineamenta duxerint, qui ipſi ne pilum quidem viri boni habent? Etenim ſi minus idoneos Philoſophiæ moralis auditores pronunciabat Ariſtoteles juvenes, qui vitæ modum non tenent, cupiditatibus in transverſum rapiuntur: quid Doctoribus facias, in diſciplinæ, quam profitentur, opprobrium natis, & qui ultra pueros & juvenes in vita delirant? Noſter non Philoſophum ſe tantum, ſed & Virum bonum, cui omnis illa Philoſophia ſervit, ſemper oſtendit. Quod rectisſimum erat, honeſtum, laudabile, decorum, ille omni in vita quærebat, quibus poterat beneficiis, officiis, ejus ope qui indigebant, ſibi devinciebat. Ubi fides ejus requirebatur, nunquam illa claudicare viſa eſt: neque perſonatus ille in virtutis via, in qua multi hiſtrioniam nunc exercent, ambulavit. Quoties magiſtratum Academicum geſſit, ita juventuti præfuit, ut nec nimio rigore ſeverius quicquam ſtatueret, neque per turpem ſocordiam diſciplinam omnem vinculis ſuis ſolveret. Collegis ſuis amore & dexteritate ſpectatus fuit: In negotiis gerendis quid illo laborioſius? quid magis ſollicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? In

Con-

Converſatione ut *paucorum hominum & mentis bene ſanæ* erat, ita amicitiæ ſanctum ſemper nomen habuit. Pietate vera Deum complexus, hac quoque parte bonorum ſe morum Doctorem oſtendit. Cum enim virtutum omnium familiam ducat Pietas, Philoſophi moralis nomine dignus non erit, qui ſuas illam ſibi res habere juſſerit. Svaviſſimum illi cum Conjuge vitæ conſortium fuit. Anno enim LXXVIII. Kalendis Octobribus domum duxit Nobiliſſimam variiſque virtutibus ornatiſſimam Virginem, ANNAM, Nobiliſſimi, Ampliſſimique Viri DN. CASPARIS à DEGINCK, Senatoris quondam Lubecenſis, optime meriti, filiam, cum eodem die ſummis in Theologia honoribus ornatus eſſet. Illa nunc à decennalis thalami gaudiis in graviſſimum luctum conjecta tam cari capitis jacturam acerbe deplorat. Cui divini Spiritus gratia adſiſtat, quæ afflictam excitet, & dolorem omnem abſtergat. Levamento illi ſummo in hac ægritudine erit, quod non Academia tantum in partem luctus veniat, ſed & ipſe Sereniſſimus Muſarum noſtrarum Stator, Princeps clementiſſimus, ProRectori Academiæ Legati vices demandarit, ut ſua quoque per illum præſentia exequias cohoneſtaret. Ut ad vitæ ejus cataſtrophen veniamus, Valetudine uſus eſt non ſatis firma. Cauſarium enim corpus arthriticis ſubjectum doloribus illi à Patre quaſi traditum fuit. Vicibus quidem illi ſuis redierunt;

ſed

ſed nullæ ab illis metuebantur inſidiæ, quæ jugulum peterent. Elapſa æſtate pejus habere cœpit. Nam pene cum continua diarrhœa ipſi conflictandum fuit, quæ viſcerum debilitatem arguebat. Hac ſedata poſtea dolores inteſtinorum recruduerunt, qui illum velut eqvuleo torquere videbantur. Crevit interdum ab ipſis induciis vis morbi, interdum ille remittere novasque oſtendere ſpes cœpit, quas falſas fuiſſe triſtior poſtea docuit eventus: cum latentis in viſceribus ulceris ſuſpicio accederet. Mira illi in his tormentis animi conſtantia, illisque ſuperior mens divino ardore plena in Salvatoris ſui amplexus ruebat. Quare nil attentiſſima ſollicitudine, nihil remediis etiam optimis actum fuit. Nam ultimo Decembris die, ſub veſperam, adeo ingraveſcere cœpit morbus, ut placidiſſima morte, integroque ſenſuum vigore, animam Deo reddiderit. Nos ejus exuviis hodie funus paramus. Ideoque rogatos vos volumus, ut extremum Præceptori veſtro officium, ea qua par eſt, frequentia perſolvatis. Ipſa illa, quam ὁ μακαρίτης noſter profeſſus eſt, bonorum morum doctrina hanc a vobis pietatem atque humanitatem efflagitat. Magno præterea & Viduæ mœſtiſſimæ, & affinibus ſolatio erit, ſi in partem quoque luctus vos venire, veſtraque exequias præſentia cohoneſtari intellexerint. Valete P.P. d. XX. Jan. Ann. cIↃ IↃC LXXXIX.

71.

QUo rariora in veſtra illa ætate, Cives optimi, eorum exempla ſunt, qui è medio illo vitæ curſu atque adeo ab ipſis pene carceribus ad metam præcipiti fato rapiuntur; eo vos attentiore cura hæc verſare animo debetis & quotidiana contemplatione ob oculos ponere, ne vobis quaſi per inſidias extrema illa hora incautis & imparatis, ac aliud agentibus obrepat. Quod ſi enim illi qui in ſtatione ſua à ſummo Imperatore poſiti ſunt, nunquam ita certo in loco pedem figunt, ut non ad primos ejus nutus ab excubiis, è caſtris, ex acie diſcedere, aut quo ille evocaturus ſit, abire parati ſint: id à nobis quoque in hujus vitæ militia fieri æqvum eſt, ut quovis tempore, ſeu veterani, ſeu tirones ad juſſum Domini emigremus. Optime ergo rebus ſuis conſulet, qui ita vitæ ſuæ rationes etiam in juventute ſubductas habebit, ut præſentibus utens ſemper quidem conſulat in longitudinem, ita vero in longitudinem conſulat, ut fati quaſi præſentis extrema ſibi repræſentet, & quamvis horam ſibi ſupremam diluxiſſe exiſtimet, à quovis rerum fugitivarum momento æternitatis curam ſuſpendens. Non ignoratis notari hæc familiaria ætati veſtræ vitia, quæ cum tota in lubrico poſitá ſit, in vitia facile flectatur, utilium ſit incurioſa, cupiditatibus abripiatur, omnia audeat, ſibi ipſi ſapiat, magnos ſpiritus gerat, monitores aſpernetur:

ut

ut eam ob cauſam à Philoſophiæ moralis ſcholis excludendos atque arcendos eſſe juvenes magnus è Peripato Doctor exiſtimarit. Quibus ſi illi idoneos ſe auditores non præſtiterint, facile vel ipſi, quid de ſublimiore illa & divina ſapientia futurum ſit, judicaveritis. Quare, eo majoribus laudibus efferendi ſunt, qui converſis in virtutes ætatis ſuæ vitiis, ejus torrenti mature obniti cœperunt, quo difficilior illa lucta eſt, ac validioribus æſtus ille repagulis cohiberi debet. Præclarum ejus non ita pridem exemplum documentumque dedit Nobiliſſimus literatiſſimusque Juvenis CAROLUS MöRING, eximium ordinis veſtri decus, quod in primo ætatis flore vobis ereptum eſt, & cui hodie exequias paramus. In ejus vitam velut in ſpeculum inſpicite, & maturos ætatis fructus etiam in juvenili illa ætate animadvertetis, ejus quoque exemplo non ſeram illam Phrygum, ſed præmaturam annosque prævenientem ſapientiam diſcetis. Nam quanquam majorum autoritate commovetur præcipue & excitatur juventus, fortioribus tamen ſtimulis vel æqualium vel minorum virtutes impellunt. Quemadmodum olim Athenis natum fuiſſe in aliqua felicitatis parte reputatum fuit: ita noſtrum huncin ampliſſima celeberrimaq; urbe Dantiſco in lucem editum inter prima ejus auſpicia cenſeri debet. Hæc ut commerciis opibusque floruit, ita literarum gloriam, exemplis ad omne ævum duraturis illuſtravit,

& dignum iis pretium ſemper ſtatuit, eoque exemplo quaſi ſignum ſuſtulit, quo juvenum ſpes incenderentur, ut præclaros magnaque patria dignos ſe oſtenderent. Habuit certe Noſter è Patria urbe Patronos, qui ejus ſtudia foverunt, plurimos, qui beneficiis ſtipendiisque juverunt; eorumque ille memoriam ut ſanctam ſemper habuit: ita tum præcipue, cum morti vicinus eſſet, erga populares ſuos ampliſſime prædicavit, & multis ab iis precibus contendit, ut, cum ipſe vivus gratias agere non poſſet, ſaltem in Sermone parentali extremum hoc grati animi monumentum extare vellent, ejusque ad ſuos reverſi teſtes benignique interpretes eſſent. Optimi illi honeſtiſſimique, & quod omnes titulos ſuperat, pii obtigere Parentes, FRANCISCUS CHRISTOPHORUS MöRING Civis & Mercator, Mater virtutibus omnibus ſpectatiſſima CONSTANTIA von Zitteren/ præcipui quondam Mercatoris Dantiſcani WILHELMI von Zitteren & ANNÆ von Junckeren filia, filio nunc ſuo, à quo ſenectutis præſidium ſperabant, turbato mortalitatis ordine ſuperſtites, & in extremum ſuper improviſo filii obitu mœrorem conjecti. Eluxit in ipſis pueritiæ annis optima indoles, quæque ad magna contendere poſſet, ſi bonis artibus & literis fulciretur. Itaque poſt pietatis curam, quam primam ſemper præcipuamque habuere Parentes, ut via expeditiſſima ad doctrinas ſibi neceſſarias duceretur, omni ope-

ra

ra allaborarunt. Nam poſtquam Stargardiæ Polonicam lingvam perdidicerat, quæ Boruſſis ad omnia patriæ ſuæ negotia quaſi domeſtica & ſubſidiaria eſt, Ludo literario Gedanenſi adſcriptus eſt, in quo ille omnium Collegarum palæſtris exercitatus probeque ſubactus ſolidæ fundamenta jecit, ut ita per gradus ille ſtudia emenſus, non deſultorio quodam impetu, media tranſcendendo ac ſumma imis continuando, qui mos nonnullorum eſſe ſolet, repentina ac tumultuaria ſtudia in cathedras & forum propellentium, pervagatus fuerit. Magnam in his fidem ac diligentiam Præceptorum WAGNERI, KRUGII, WEBERI gratus memorq; diſcipulus ſemper prædicavit. Ex hoc circo jam patiens pulveris atque ſolis, totque ſpeciminibus ſpectatus, plenis paſſibus ad patentiſſimum Gymnaſii campum contendit, in quo ille ad omnes, qui illic panduntur, ſtudiorum fontes, quaſi diuturnam explere ſitim cupiens acceſſit. Hic ille Doctores ejus Gymnaſii celeberrimos velut totidem Oracula in conſilium adhibebat, ab eorum ore pendebat, à latere eorum non diſcedebat, ab his non auribus modo, verum & oculis ipſis (ut Plinius loquitur) diſcere paratus. Habuit ille in Theologicis SCHELGWIGIUM, in Hiſtoricis HOPPIUM, jam urbis Syndicum, in Humanioribus TITIUM, in Linguis Orientalibus ROSTEUSCHERUM Seniorem & Rabbi JOHANNEM SALOMONEM, in Philoſophicis BüCHERUM,

jam ad D. Catharinæ Ecclesiasten, & ROSTEUSCHERUM juniorem, quorum jam fama pridem scriptis doctissimis celebratur, doctores, & qui ad optimas ac præclaras doctrinas quasi manu per certa vestigia ductitarent. Hi ratione, consilio, præceptis juventutem ejus foverunt. Hi studia ejus ordinarunt; hos ille velut parentes suos amavit, coluit, observavit. Ex his illum arcte familiariterque diligebat ὁ νῦν ἐν ἁγίοις TITIUS, non patriæ tantum sed & publico orbis literariæ bono ereptus. Cum enim in elegantioribus literis, eloquentia, poësi, in quibus ille regnabat, profectus ejus videret, illum, ut surculos manu nostra plantatos fovere solemus, varia doctrina percoluit, omnes ei loculos reclusit, & novis semper ingenii pensis, ut reliquis commilitonibus exemplo esset, ejus ardorem & ingenium, additis laudum stimulis, velut quodam poppysmate, provocavit. Orationes ergo tam soluto sermone, quam pedibus vincto habuit, quibus doctorum virorum plausus reportaret. Non vero in illis tantum substitit ὁ μακαρίτης Noster: Sed

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,

Ita & ille è cæterorum informatione ad suam utilitatem omnia retulit & ex illorum fontibus quæ potuit in suos rivulos derivavit, idque egit ut ex omnium semente ipsi messes nascerentur. Testantur hoc luculenta ejus specimina, dissertatio *de obligatione hominis erga DEUM*

sub

ſub præſidio ROSTEUSCHERI, aliaque ex Epiſt. ad Tit. cap. 3. commate 10. & 11. *de hæreticis fugiendis* ſub præſidio D. SCHELGWIGII publice ventilata, è quibus non exiguam ſibi laudem comparavit. Hæc inter ſtudia cum octo anni ipſi interfluxiſſent, tam *præclaris ſpeciminibus* firmati, ad Regiomontanam tandem Academiam Anno cIↄ Iↄc LXXXVIII. menſe Februario primum ſe contulit, ſed ſtatim ſequente anno, cum conjunctiſſimum ſibi Amicum ad Academiam Kilonienſem abiturum intelligeret, comitem ſe illi junxit, perque Stedinum, Stralſundiam, Gryphisvvaldiam, Roſtochium, Lubecam, quibus in locis, præcipue Academicis, Viros celebriores ſalutavit, d. XVIII. Maji Kilonium itineris ſui metam, attigit. Hic civium Academicorum ordine receptus facile invenit, qui bonæ menti bene cuperent, inter quos primo loco numerandus eſt Magnificus Academiæ noſtræ Procancellarius Dn. D. KORTHOLTUS, Profeſſor Theologiæ primarius, à quo multa in illum beneficia collata ſunt. Adeo grato animo agnovit illa ὁ μακαρίτης noſter, ut cum ipſe vivus illum declarare non poſſet, ſaltem in parentalibus ſuis hæc commemorari peteret, ne vel ingratus mori videretur, & vel fiduciario officio hoc ſe nexu liberaret. Civibus quoque hujus urbis, bene de ſe meritis publicas eo nomine gratias agi voluit. Accidit poſtea ut plurimum Reverendo Viro Paſtori Eccleſiæ Nicolaitanæ primario

Dn. M. JOACHIMO GIESIO tum ſuis virtutibus tum Amicorum commendatione innoteſceret eorumque conſilio Generoſi Adoleſcentis CAII von THIENEN educationi præficeretur. Qua ille fide & induſtria rem ſuam egerit, quibus monitis & conſiliis teneram hanc indolem duxerit, & illa quæ ſuperſunt informationis ſpecimina loqvuntur, & ipſe, qui hanc præceptoris ſui jacturam deplorat, diſcipulus teſtatur. Quas ille vacuas ab his laboribus horas habuit nullas ſibi vacuas indulſit, ſed omnes vel Profeſſorum lectionibus publicis & privatis vel ſuis meditationibus impendit. Ejus diligentiæ hæc ſuperſunt documenta: diſputatio *de Alexandro Papa Octavo Pſeudonymo* ſub Dn. KORTHOLTI præſidio ab ipſo propugnata, & altera *De Supplicationibus ſacris quæ e ſuggeſtu fiunt*, ad ductum cap. 5. commat. 14. Epiſt. Jacobi, inſtituta, Carmen præterea Heroicum quod de JOHANNIS FRIDERICI Saxonici Electoris æternæ memoriæ virtutibus prope ad finem perductum, ſub auſpiciis D. MORHOFII publice recitare conſtituerat. Sed hujus aliorumque laborum ducta lineamenta ultima illa rerum linea mors interrupit. In his ille ſtudiis juvenilem ætatem tranſegit: Sic ille nocturna diurnaque manu libros verſavit, ut quod alii commeſſationibus tempus, ille lucubrationibus inſumeret, plane ab illo Pamphili Terentiani ingenio alienus, de quo ipſe Pater ineptus gloriatur:

Ho-

Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat, & tamen omnia hæc mediocriter.

Multi enim qui in Academias veniunt, & tales ſibi Simones Parentes velint, & Soſiæ conſilia non inviti audiverint, qui Patri adſtipulans arbitrabatur, *adprime in vita utile eſſe, ut ne quid nimis.* Doctum ergo, omnibusque illis artibus, quæ juvene ingenuo dignæ ſunt, perpolitum vidimus: Nunc pium quoque videamus. Niſi enim Pietas ſtudia noſtra duxerit manca, mutila clauda, cæca erit omnis ſapientia, omni illo mentis lumine, quod à Patre luminum venit deſtituta, & in præcipitia delabetur. Qui in contemplatione rerum & in hac univerſi compage ad pulviſculum usque & minutias omnia rimaturi vel fortunæ vel mechanicæ neceſſitati omnia ſubjiciunt, nihil cauſæ primæ arbitrio permittunt: Qui omnes honeſti & virtutis rationes imaginarias habent, næ faciunt intelligendo ut nihil intelligant & cum ratione inſaniant, aut inſanientem & flagitioſam ſapientiam ad poſteros propagent. Longe ab illorum hominum doctrinis & moribus aberat Noſter ille, pietatem, quam ore profitebatur, quam è præceptis Doctorum hauſerat, non ſummis in labris natantem, non in chartis exaratam, ſed animo impreſſam circumferens, & ad vitæ uſum, moresque Chriſtiano homine dignos ſanæ doctrinæ dogmata convertens. Teſtimonium ejus perhibere poſſunt, qui e Senatu Academico illum familiarius norunt.

Teſtis ipſi domeſticus eſt Plurimum Reverendus Hoſpes, Dn. M. JOACHIMUS GISÆUS, in cujus ille conſpectu & conſortio vixit, quem ille Parentis loco veneratus eſt; Deum pro beneficiis ſibi exhibitis remuneratorem in ipſo mortis articulo illi precatus. Teſtari denique vel ipſa cathedra eccleſiaſtica, ipſæ ædes ſacræ poſſunt, quæ toties orationibus ejus piisque doctrinis perſonuere. Neque enim æri tinnienti ſimilis, ſolo tantum ſono & verbis diſertus declamator fuit, ut illi qui philoſopha piaque ſunt ſententia, ignava opera, ſed veritate ſpirituque verba obſignavit. Ab iſtis virtutibus & moribus quos non Eccleſia fructus ſperare potuiſſet? ſi longius vitæ curriculum ipſi fata indulſiſſent. Neque enim, ut multi divina ſervitia ore profeſſi è perpetuis Bacchanalibus ad vineam Domini, à ganeis & popinis ad aras procedunt, inter illos deprehenſus unquam fuiſſet Paſtores, qui primi Ovili ſuo ſcabiem inferunt, & velut Lupi in prædam feruntur. Jamque aditus illi & janua ad ſacrum aliquod munus patefacta videbatur, cum DEUS illum repente ex hac vita ad ſua regna evocavit. In febrim enim incidit, quæ levior quidem primum viſa neglectiusque ab ipſo habita in continuam ardentemque abiit, cui omnis illa remediorum efficaciſſimorum vis ſuccubuit. Statim illi extrema animus præſagiit. Quare, ingraveſcente morbo, in animæ ſalutem omnes ſuas cogitationes cœleſti viatico à plur.

Re-

Reverendo Dn. M. GABRIELE WEDDERKOPFIO inſtructus convertit, atque adeo verum Theologiæ ſe cultorem, vel, ut rectius loquamur, doctorem oſtendit, omnia illa temporum intervalla, quibus illi mentis uſus integer eſſet, precibus ardentiſſimis, meditationibus cantionibusque ſacris occupans, & à plurimum reverendo illo hoſpite ſuo, aſſiduo in extremo illo agone paraſtata, multum adjutus. Vel extrema illum hora, qua vita exceſſit, ſtrenuum in hac pugna athletam invenit: nam integra ratione, plenisque ſenſibus divinæ ſe voluntati tradens ex monito Pauli 2. *Tim. II, 8.* Chriſtum crucifixum memoria usque ad extremum vitæ halitum tenuit, & hæc ſibi verba in orationis funebris argumentum eſſe voluit, ut vel è ſepulchro ac feretro, tanquam è cathedra veram illam Theologiam, quæ in memoria JEſu Chriſti meritique ejus apprehenſione conſiſtit, ſuperſtites docere videretur. Vixit ergo ac beatam illam candidamque animam, XX. Februarii die intra nonam decimamque matutinam efflavit, poſtquam quartam ſeculi partem annos ſcilicet XXV. menſemque ac diem unum hic in terris impleverat, nunc quod illi ad plenam ætatem deeſt æternitate compenſaturus. Vixit ille, ſed ita vixit, ut etiamnum vobis poſt fata perpetuo exemplo vivat. Vos o Cives, ſiquidem mortalitatis memoriam non exuiſtis, extremum commilitoni officium eo promptius perſolvetis, quo arctius & ipſa huma-

ma-

manitatis officia & commune illud ſocietatis vinculum vos obſtringit. Valete. PP. Kilonl. d. XV. Martii Ao. clɔ lɔc XCI.

72.

QUi ineunte vere ad funus commilitoni ducendum vos invitavimus, nunc ipſo ſolſtitio ad Doctoris veſtri exequias vocamus, qui in medio vitæ curſu, ipſo ætatis ſuæ ſolſtitio nobis ereptus magnum ſui deſiderium in animis omnium reliquit. Vixit ergo fuitque Nobiliſſimus Ampliſſimusque Vir M. DANIEL HASENMüLLERUS, Græcæ & Orientalium Lingvarum Profeſſor celeberrimus ac Collega noſter honoratiſſimus, cui optime de his ſtudiis merito longiora vitæ ſpatia optaſſemus. Sed quod commune literatorum fatum eſt, ex ipſa illa ſtudiorum ſuorum aſſiduitate immaturam ſibi mortem acceleravit, aliisque lucendo, lucernæ inſtar, ipſe conſumptus eſt. Fit enim plerumque ut ſedendo, meditando, ſcribendo, vires omnes à corpore ad animum evocemus, ac nudum omnium morborum petitionibus latus oſtendamus: qui eo majori agmine in ipſam vitæ arcem incurrunt, vel ſenſim & non animadverſi per cuniculos irrepunt. Ita regnare intra viſcera noſtra hoſtem potentiſſimum tandem ſentimus, ubi excubitores iſti

ſti ſpiritus intus revocati portas illi apertas reliquerint. Quemadmodum ſcilicet qui niſu ſuo non abluctatur, torrente tandem abripitur: & ferrum ſibi relictum rubigine exigvo tempore conficitur, quod in omnes partes motu continuo verſatum cum levi partium ſuarum jactura vel integra ſecula vicerit: Ita corpora noſtra per quietem illam præſidiis ſuis nudata exanimari ſenſim & fatiſcere incipiunt, cum ſpiritus illi noſtri quotidiano quaſi in receſſu vivunt, & ſuas ſibi res relicto corporis miniſterio habere videntur. Nos nunc quod poſſumus extremum Collegæ noſtro Doctorique veſtro officium perſolvimus, & quam in ejus funere plagam Academia accepit, quem ex obitu ejus inopinato dolorem mœſtiſſima Vidua, quem fratres & cognati ſentiunt quomodocunque ſolamur. Natus ille fuit Anno clɔ lɔc LI. Eutini d. III. Julii. Patre Plurimum Reverendo VITO HASENMüLLERO Eccleſiæ Eutinenſis Paſtore per XXIV. annos optimè merito, ac Matre omnibus ſexum hunc ornantibus virtutibus conſpicua MARGARETA Nobiliſſimi ac Reverendi Viri VOLKMARI FRANZII, Canonici Eutinenſis filia. Avus ipſi paternus fuit Vir Spectatiſſimus VITUS HASENMüLLER Eccleſiæ Trommersheimenſis Præfectus: Avia MARIA ZWICKERIA, MICHAELIS ZWICKERII Hereditarii in Langenfeld filia. Avia Materna fuit MARGARETA, NICOLAI Jägern/ primum

mum per XX. annos Palæo-Crempenſis, hinc per XXVII. annos Eutinenſis Paſtoris filia. His majoribus & Parentibus ortus Noſter, ac Chriſtianiſmi ſacris initiatus bonæ piæque mentis ſemina mature oſtendit. Nam cum ſacrum illi naſcendi ſorte genus contigerit, ac auſpicato ipſi DANIELIS nomen impoſitum: quodam quaſi omine ad interpretis ſacri munus à fatis ipſis deſtinatus videbatur. Elucebant in puero modeſti mores, bona indoles, ingenii mira felicitas, quæ omnia perrumperet, ſuisque ſe Præceptoribus probaret: quos primum Eutinenſi in ludo nactus eſt in Scholaſtica illa palæſtra optime exercitatos GEORGIUM LAUTERBACHIUM & FRIDERICUM COGELIUM. Hi fundum illum bene percoluerunt bonæq; doctrinæ artiumq; ſemina ſparſerunt, quæ in ampliſſimas poſtea meſſes ſuccreſcerent. Quæ initia ubi feliciter proceſſerant, fundamentis bene jactis ad vicinam Scholam Lubecenſem Anno ætatis XV. tranlatus in NOTTELMANNI, POLTZII, BRüGGII Optimorum Clariſſimorumque Virorum diſciplinam incidit, eosque progreſſus fecit, ut primo ſtatim anno varia eruditionis ſpecimina oſtenderet. Hinc Anno cIↄ Iↄc XXX. ad Academicam lucem è pulvere Scholaſtico adſpirans Patriæ ſuæ Athenas, omni ſtudiorum genere florentiſſimas adire & hic in medio poſita, quam foris fugientia captare maluit. Scholarum ergo tam publicarum quam

pri-

privatarum aſſiduus auditor fuit, ac imprimis in lingvarum Orientalium ſtudio, cui ſe præcipue addixerat, fidum nactus Doctorem, Virum, dum viveret, Celeberrimum D. MATTHIAM WASMUTHIUM, familiariſſime illo uſus. Nam domo ejus exceptus, ab ore ejus pependit, & in illo Phidiam, qui hunc Mercurium ſculperet, invenit. Toto hic quinquennio commoratus Anno cIↄ Iↄc LXXV. Lipſienſem Academiam adiit majore illic theatro ingenii ſui dotes poſiturus. Eo ergo venit, gratus acceptusque omnibus, Profeſſoribus amatus, æqualibus omni doctrinæ ac virtutum genere ſpectatus, jamque ſuo remigio nitens ſine cortice natare cœpit & Lingvarum Orientalium Scholas ipſe inſtituit. His gradibus paulatim ille ad faſtigia adſcendit, ac primum digniſſimus ille Profeſſoribus celeberrimis viſus eſt, qui ſummos in Philoſophia honores capeſſeret. Illi in ipſum Anno cIↄ Iↄc LXXVII. magno applauſu collati ſunt; iisque quaſi in complementum poſtea elegans de *Lingvis Orientalibus* diſputatio, ipſo Præſide habita, acceſſit. Adeo Noſtrum loci hujus celeberrimi amœnitas, iſta doctiſſimorum virorum conſvetudo & familiaritas, ille favor omnium, qui optime ipſi cupiebant, ceperat, animumque ejus deliniverat, ut proprias hic ſibi domos ſedesque quietas, ſi fatis ita viſum fuiſſet, optaverit. Sed aliter conſilia illa ceciderunt. Nam à Patre chariſſimo, cui ſenectus ipſa jam morbus eſ-

esse cœperat, domum revocatus, omnem, quæ foris ostendebatur, spem patrio mandato postposuit. Domum ergo rediit a Patre ingenti gaudio exceptus, qui in illo domus suæ & cathedræ sacræ præsidium ad extremum vitæ spiritum habuit. Cum enim viribus corporis jam imminutis lecto sæpe æger decumberet, Filius in sacro munere vicem ejus explebat, ac præterea generosorum juvenum nonnullorum informationi admovebatur. Hæc inter è vita excedit Pater Anno cIɔ Iɔc LXXXII. huic Filio suo cæterisque ejus fratribus divinam gratiam omniaque illa, quibus paternus animus ornatam prolem suam velit, bona precatus. Verum toto tamen illo anno matri ex illo obitu & morbis afflictæ adfuit, nec à vicaria illa in Orationibus sacris habendis opera decessit. Re familiari hinc recte curata ad Academica & Musarum sacra illorum amore ductus quasi postliminio rediit. Kilonium ergo primam studiorum suorum matrem revisenti Græcæ Lingvæ Professio tum vacua à Reverendissimo & Serenissimo Principe demandata est, ac biennio post Anno scilicet cIɔ Iɔc LXXXV. d. III. Febr. Nobilissimam lectissimamque Matronam ELISABETAM, Spectatissimi Tonningæ Senatoris ÆGIDII HARMENS filiam, Pl. Reverendi Viri JOHANNIS MöSINGII Pastoris Tönningensis Ecclesiæ bene meriti relictam viduam, in uxorem duxit. Quo se amore Nobile illud conjugii par complexum fuerit, quam se veræ

pi-

pietatis affectusque documentis provocarit, nemo inter nos ignorat. Omnibus enim numeris abſolutum charitatis exemplum ſibi toto hoc quo una vixerunt ſeptennio aliisque dederunt, eo colligati uterque vinculo, quod non ſine ſummo dolore ruptum nunc vidimus. Nec infœcundus ille amor, etſi eo infelix fuit, quod gemina proles, filius primum, dehinc filia, ſtatim in ipſo vitæ exordio finem ejus invenerint. Unica nunc illi filia ſuperſtes quam jacturam in Parente ſuo fecerit, tum demum intelliget, cum ad annos maturiores pervenerit, ubi matri chariſſimum hoc amoris pignus, ut maxime optamus, fata ſalvum eſſe voluerint. Addita poſtea ex obitu Beati WASMUTHI Hebrææ & Orientalium Lingg. Profeſſio ipſum quaſi in fundi ſui poſſeſſionem & velut in regnum quoddam ſuum vocavit. Nam cum in WASMUTHI locum ſurrogaretur Collega noſter honoratisſimus Dn. OPITIUS, ille locum vacuum occupavit. De ejus induſtria, fide, dexteritate teſtantur ejus diſcipuli & quæ ſuperſunt, diligentiæ ſpecimina, libelli ad erudiendam in his ſtudiis juventutem Grammatici. Vitam ita inſtituit, ut ob commodos mores, officia, ſtudia Collegiis eſſet acceptisſimus: nunquam enim cum quoquam vel ſimultates aluit, vel ulli mortalium gravis fuit: prudentiam in Magiſtratu Academico ſingularem oſtendit: pietatem quam multi lingva circumferunt, animo proſcribunt peſſimi ſimulatores,

ille facto potius ipso exercuit, quam inani apparatu ostentavit. Quoties ad populum verba fecit, prompta illi decora ac flexamina fluebat oratio, & quæ omnium plausus ferret. His cum ille animi dotibus floreret, corpus quoque, si ab externo habitu judicandum, robustum, vegetum, nervosum ei datum videri poterat. Sed quæ ille morborum semina jam ab aliquot annis aluerit, recurrens per anni vices gravissima pectoris angustia, crebra animi deliquia, cordis palpitationes, lassitudo membrorum, & Scorbutica totius corporis intemperies testabatur, & ipse postea tristis docebat eventus. In his tamen insultibus, qui vel suffocationem ipsi minari videbantur, ille tamen, ubi remiserant paululum, spem vultu simulans firmiorem se, quam revera esset, ostendebat. Hinc Vires ejus, accedente studiorum assiduitate, quotidie retro labi cœperunt, neque totius triennii opera à medico restaurari potuerunt, gliscente intus tabe quadam, quæ omnes vires tacite consumeret. Tanta denique virium defectio fuit, ut extremis illis septem hebdomadibus, non sine vigiliis plurimis, lecto illi decumbendum fuerit: unde in Pede toto tumor aquosus scorbuticus illi natus, qui sine nulla tamen repulsione sensim dissipatus fuit; supra vero genua sangvis extra vasa propulsus musculis continuo acerrimoque dolore incubuit. Non profuit hic quicquam

quam ſingularis illi tum Medici, tum Chirurgi induſtria, verum animo tandem ſpirituque deficiens cum extrema inſtare ſentiret Noſter, cœleſti viatico inſtructus inter preces ardentiſſimas animam XXIX. Maji placide efflavit, poſtquam XXXIX. annos ac XI. fere menſes impleverat. Quando ergo ejus quod reliqvum eſt tumulo hodie inferetur, Vos ô Cives, extremum hoc perſolvite Doctori veſtro officium funusque ea qua par eſt, frequentia, deducite. Facietis, quod communia tantum humanitatis officia, ſed ipſa pietas & quam pie defuncto debetis, obſervantia à vobis requirunt. Valete. PP. d. IX. Jun. Anno cIↄ Iↄc XCI.



PUBLICA ACADEMIÆ NEGOTIA VARIA.

73.

CUm in nupera Homagii feſtivitate carmen aliquod Acroſtichon *Sereniſſimi Principis* Honori inſcriptum, tabulæ huic publicæ affixum fuerit, ſubjiciebatur quidem cenſuræ meæ, quæ publice mihi demandata eſt, carminis ejus impreſſio vel prima vel ſecunda. Ego autem cum plurima

in eo carmine offenderem, quæ vel limatas aures, vel doctos lectores offendere poterant, notavi tamen tantum exstantia quædam, & intolerabilia in quantitatibus errata, misique ad Typographum, ut de illis corrigendis moneret Autorem, quandoquidem mihi tum negotiis aliis publicis occupato, illa emendare nec vacabat, nec ratio carminis facile admittebat. Me tamen invito factum est, ut nihil in illo carmine mutatum fuerit, vel quod festinatio nimia, tum Autoris, tum Typographi, vel quæcunque alia ratio impedimento fuerit. Post impressionem & divulgationem Carminis, schedula quædam, quæ grandia illa & decumana vitia nugacissimis nugis & insulsis rationibus contra meam censuram defendebat, ad manus meas pervenit. Mihi vero quamvis ridiculus fuerit primum visus hic conatus, mirari tamen jam satis non potui Defensoris istius vel temeritatem vel impudentiam, qui in re manifeste falsa jactare se etiam Apologia sua ausus est. Cum vero hocce facto non levis injuria, non tam mihi, quam muneri meo, quod publice sustineo, illata sit, ad Reverendum Concilium detuli negotium, cujus decreto mihi jam, ut publice vitia illa demonstrem, quæcunque pro illis afferuntur discutiam, & impressionis dissensum publico hoc scripto significem, injunctum est.

I. Prima in *Dynasta* producebatur, quæ corripienda erat. Omnium illorum vocabulorum,

quæ

quæ à δύναμαι deſcendunt, prima perpetuo brevis eſt, teſtibus Poetis, quotquot ſunt, Græcis omnibus, teſtibus omnibus quantitatum elenchis. Hypercriticus tamen noſter videtur ex illa ratione ſibi colorem quærere, *quod vocalis (υ) ſit anceps*. Videtur ſane ille neſcire in Græcis, quæ ne pueri quidem ignorant. Anceps dicitur vocalis, non quod in ſingulis vocabulis pro arbitrio vel corripi poſſit vel produci, ſed quod jam in hac jam in illa voce vel corripiatur vel producatur, prout Autoritas definiverit. In illa voce vero, in qua corripitur, neceſſario corripitur, in qua producitur, neceſſario producitur, niſi alia autoritas ancipitem fecerit. Monendum tamen hic de errore Smetii, qui falſam lectionem iſtius Sapphici ex Thyeſt. Senec. v. 603. citat: *cuncta Dynaſtas metuuntq; caſus*. Nam Delrio ibi legit *divitias*, alii *divinas*. Scaliger vero & Lipſius, quos ſequitur Farnabius: legunt *divinat*, quæ & à plurimis editionibus probatur lectio.

II. Prima in *Pericles* producebatur, quæ corripi debebat. Hypercriticus autem ille ita: *Prima in Pericles natura ſua longa eſt, cum dicatur* ἀπὸ πείρας κλῆς. Tantæne intemperiæ ſanum caput agitant? Citatur tamen Svidas nugarum illarum autor, in quo ne γρῦ quidem ea de re. Quis ferat tantam impudentiam? Pericles ipſa Græca vox eſt περικλεὴς id eſt valde celebris & glorioſus. Inde fit περικλῆς. Primam autem in περὶ qui brevem eſſe negaverit

aut in ſanit, aut in Græca lingva plane hoſpes eſt. Perſ. ſat. 4. v. 3. manifeſte corripit.

Quo fretus, dic hoc, magni pupille *Pericli.*

III. Prima in voce Ducis producta eſt. Adeo frontem omnem abjecit ille Defenſor ut & hoc per Diaſtolen eſſe factum defendat. Inſaniam helleboro purgandam! putat ſibi hoc conceſſum eſſe, quia *amplius Scholaris puer non ſit*, quod, ſi vel Imperator Romanus vel Pontifex eſſet, facere non poſſet. Poterit ille dehinc tanquam novus aliquis Dictator Reip. Poëticæ omnes Poëtarum autoritates pro lubitu refingere, vel omnem omnino Poëſin numeris, pedibus, & metris ſuis ſolvere. Juvat tamen etiam addere profundæ ejus critices horribile ſecretum: *Hoc*, inquit, *vocabulo Ducis retento cæſura Hepthemimeris in voce majeſtatica debebat præſcindere pedem præcedentem, quo prolongatione Syllabæ brevis Lector induceretur morula quadam in illa in admiratione ſubſiſtere ad intimius penetrandum virtutes tanti Ducis.* Tanti eſt ſapere!

IV. Prima in voce *Xenocratis* producta eſt, quæ corripitur. Ancipitem defenſor eſſe dixit reſpectu diverſæ originis vel à ξένος vel à ξεῖνος. Ridiculum profecto commentum! Poëtica neceſſitas aliquando addit (ι) ut ſyllaba longa fiat, & ſit ξεῖνος. Ergo etiam prima in ξένος produci debet. Eadem ratione aliquis dicat: prima in *Olympus* longa eſt, quia Po-

Poëtæ Græci nonnunquam dicunt ἄλυμπος. Prima in *monachus* longa est, quia Poëtæ interdum pro μόνος dicunt μοῦνος. Addit ille: *Imo ego ignoro quis eam unquam corripuerit.* Disce ergo, si ignoras. En autoritatem Græcam! Homer. Odyss. ξ.

Ἀλλὰ διὰ ξένιον δείσας, αὐτόν τ' ἐλεήσας.

En Latinam: Martial. XIII. 3.

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello.

V. Prima in *Danaidum* male producitur. Nullus unquam Poëta vel Græcus vel Latinus primam in Danao vel inde descendentibus produxit. Ille vero defendere videtur, vel quod peregrina vox sit, & proin pro arbitrio vel corripienda, vel producenda, qui tamen gravissimus & intolerabilis error est, vel quod descendat à voce Dan vel ἀπὸ τοῦ ζῆν Dorice ζᾶν. Memini me hæc legere in Philippi Cluveri Germania, ubi de Danis agit. Sed hæc nihil neque ad Dionysum neq; ad Danaum, & si quam maxime essent nondum tamen probata est productio primæ Expresse corripitur apud Senecam Herc. fur. v. 756.

Urnasque frustra Danaides plenas ferunt.

VI. Iterum producebatur prima in voce DUCI. Causatur hic Defensor ille incuriam Typographi & omissam esse encliticam que. Credat qui volet. Error idem fuit, qui ante, quod plurima docent argumenta.

VII. Secunda in Andabata male producta

eſt. Græcum eſt Ἀντιβάτης ab ἄντα contra, cujus ultima ſemper corripitur & βαίνεσθαι, ire. Hæc ſunt, quæ in Carmine deſideravi, & quæ contra Hypercrytici illius cenſuram ex hoc publico loco monere debui, tum ut publicæ, & meæ conſulerem autoritati: tum ne alii, ad quos vel Carmen hoc, vel ejus defenſio perveniet, ſi non adeo rei Poëticæ periti ſint, ad falſa inducantur, & ut demum diſſenſum meum publicè conteſtarer. Valete. Dabam è Muſeo meo. XVI. Maji Anno 1662.

74.

EX quo huic Sapientiæ Auguſtali & communi Muſarum hoſpitio nos præfecit Sereniſſimus Princeps, id nobis curatum fuit ſedulo, ne quadam in parte detrimenti quid caperent literarum ſtudia. Nam vel exemplis vos impulimus, vel conſiliis dire-ximus, vel monitis armavimus, vel honorum præmiis provocavimus, vel frigidam ſuffudimus, vel faces admovimus: ut vel in iſtis initiis inter vos videamus, qui in immatura ætate maturam aliquam ſapientiam polliceantur, ipſoque in flore ætatis ingenii fructus oſtendant. Nunquam, quantum in nobis fuit, ab excolendis animis veſtris animos, à ſubſidiis ferendis manus, ab oneribus portandis humeros ſubtraximus: neque adeo inter ſpinas cecide-

derunt ſapientiæ ſemina, ut omnis adoleſcendi ſpes præcluderetur. Ejecimus omni conatu mollem illam deſidiam, ignorantiæ magiſtram, ingeniorum noctem, & vivi hominis ſepulturam, cæterasque fatales literarum peſtes, quæ in ipſius Sapientiæ cor veneni vires ſpargere, atque adeo ipſum Cimbriæ Cor Academiam poterant affligere. Cor Cimbriæ dico Academiam. Quemadmodum enim ab illo in connexa membra: ita ab hac in vicinos artus, & in totum Patriæ corpus diſtribuuntur ſapientiæ fontes. Quod ſi recte prima ſangvinis officina cor creditur; etiam hæc noſtra eſt, quæ & in ipſis rudimentis ſuis, & nullo non tempore primigenii ſui ſangvinis flores in prætextas, epomides, purpuras, infulas, togas, auguſta ſapientum pallia, diffundit. Cor Cimbriæ eſt, cujus gemino tubere aquis ſuis circumfuſo, velut bicolli inter Caſtalias undas Parnaſſo, foventur & paſcuntur Muſæ. Cor illud eſt, quod non ſolum in oculis geritur, ſed & cordi eſt, atque intra ipſos pectoris ſinus concluditur Sereniſſimo noſtro Principi; cui Cordi nos lingvas noſtras (inſolubili naturæ nexu junctas) perenni vinculo copulabimus, ut lingvis publicis promamus, quæ corde noſtro agitamus. Atque ex iſto Corde iſtum ſapientiæ fontem ac ſuccum hactenus traxiſtis, ex iſto ſangvine veſtræ tingentur infulæ, o Muſarum corcula, o Mei, quos cordata eruditio & Virtus, ut ſolida & ſucciplena Cordi noſtro

membra adjunxit. Erigite animos, qui iſtud ſtudiorum ſtadium feliciter decurritis: palma vobis ſuſpendetur. Exporrigite frontem laureis noſtris ornandam. Explicate brachia: ſiſto veſtris amplexibus illam animorum magiſtram, morum moderatricem, Virtutum matrem, ſcientiarum & honorum omnium diſpenſatricem SOPHIAM. Adeſte digni Helenæ hujus proci: ſed abeſte Parides & raptores: abeſte Joves, vel ſub Tauri ſpecie Europam hanc avecturi, vel ſub Cygni lenocinantis forma inſidias Ledæ huic ſtructuri; vel laſcivi Satyri habitu Antiopæ huic vim illaturi, vel denique aurei imbris illapſu Danaën hanc corrupturi. Neque enim vel vi, vel cuniculis & clandeſtinis inſidiis iſtis amoribus ſe inſinuabunt Venerei nepotuli: nec conciliatricibus hic opus, nec lenonibus: ſed ſine dolo & fraude, nec niſi bona mente inſcenduntur caſtiſſimi thalami hujus Amaſiæ, quæ nuda, & vel ſordido palliolo ſatis decore tecta, nullis fucis ornata, nullis pigmentis incruſtata, non meretriciam, ſed ſinceram & honeſtam frontem oſtentat, ſine cultu pulcherrima, ſine illecebris jucunda, ſine deliciis delectabilis, ſine colore ſpecioſa, ſine venere venuſta, ipſo ſuo neglectu pretioſa, ipſa ſvavitate gravis, ſine ortu veterrima, ſine occaſu noviſſima, ſine incremento maxima. Aſpicite vero illam, quæ non è Veneris concha prodit, non in ſplendidiſſimis ædibus regnat, ſed ſecum habitat, ubicunque habitat: quip-

pe

pe cui vel Empusæ cavea, vel Trophonii antrum, vel Egeria Vallis, vel Cumana rupes, vel Diogenis dolium gratius domicilium præbeant, quam Præneste Neronianum, arces regiæ, & quæcunque palatia magnifica. Sedet illa procul ab omnium hominum conspectu, in aliquo Democriti puteo, in aliquo angulo, erudito suo pulvere squalida: Odit enim delicatulos istos atomorum hostes, pulveris literarii impatientes. Intuemini illam, cui non inter comas aurum vel argentum ludit, non Punica in malis mala, non in labris rosæ; quæ non ungventis delibuta, sed sudore pulvere commixto oblita; cujus genæ pro cerussa loligine tinctæ; quæ non alieno incedit cothurno, sed suo graditur socco, non cervices rotat, non gradus frangit. Videte illam incompto vultu, oculis reconditis, macie deformatam, cujus à mortuorum conversatione facies pallida & cadaverosa: Videte chartas nocturna diurnaque manu volventem, ungves præmordentem, caput scabentem, & à sua velut sede ingenium provocantem. Cui vero non forma hæc inusitata & venerabilis, quali Deorum imagines, quas jam ipsa vetustas commendat, apparent, sacrum horrorem amori mistum incutiat, quem non majestate ista summa percellat? Et quærit illa sibi non Pamphilos aliquos, non Narcissulos sui idololatras & parasitos, non Cyparissi de gente nepotes, non aliquos è myrotheciis depromptos Ganymedes, non ista

de

de Pario marmore ſigna, quæ Pygmalionis cujusdam exſpectent oſcula, non byſſinos iſtos candidatos & holoſericos Heroas, qui vel heri vel hodie ex ovo prodierunt. Nam & illa ſibi hanc legem poſuit, ut paribus nubat: qui autem Deæ noſtræ pares eſſe poſſunt, animo toto diſpares & diverſi? Qui placere iſti potuerunt illi quæ feminarum in morem comtos viros viriliter odit; cui magis arrident tetrici iſti Catones, qui nunquam rident; ad cujus palatum & ingenium illi demum ſunt, qui malunt bene ſapere, quam bene olere. Non veſtis illi virum facit: nec è criſtis & phaleris eqvum, aut è vagina gladium æſtimat. Novit illa ſcilicet rarum eſſe ingenio cum genio contubernium: non bene convenire calamo cum calamiſtro, albicantibus iſtis à Creta populis cum pulvere literario: fruſtra ſuperſtitioſam corporis elegantiam jactari, ubi animus in ſordibus volutatur: fruſtra plumbeo capiti, ut in ſublime feratur, pennas induci, quæ dextram magis decerent. Non vel Adonis aliquis, vel Hylas, vel Endymion, vel Hyacinthus ejus merebitur baſia, vel amplexibus ejus fovebitur. Finge vultum immanem, barbarum, torvum, qui nubiferum Apenninum exæquet, qualis ruentem in prælia taurum deceat; ſi intus bona mens habitet, omnibus formis, quas vel ingenioſa fingit fabula, vel ſolertiſſimus pictor pingit, anteponet. Finge aliquem τετραγωνοπρόσωπον, & quadrato capite deformem: non di-

diſplicebit, ſi rotundo ore loquatur, ſi intus animus ſit teres atque rotundus, vel etiam τετράγωνος, quali Virum Bonum forma venerabantur veteres. Non illa naſo adunco ſuſpendit naſatos Chryſippos: non Carneades luſcos hirquis transverſis intuetur: non ridet lacrymoſos Heraclitos: non faſtidit ructantem cæpas Pythagoram: non Speuſippi tuſſim, non Biantis gibbum, non Æſopi ſtrumam, non Lycei barbas & ſupercilia dedignatur: cum Pittaco ipſis ſepulchris immoritur: cum Diogene dolium volvit, omnibus Bacchi doliis præferendum: cum Apolline bubulco Theſſalo boves paſcit & ruſticatur: cum Ariſtotele inter cruentas pecudum lanienas verſari non erubeſcit: cum Protagora abit in exilium: Democrito occæcato ſe totam ſiſtit videndam: Epictetum claudicantem ſuffulcit: latis Platonis humeris fulcitur: Gymnoſophiſtis ſe nudam præbet conſpiciendam. Datur cœleſtis illa Venus, non lætitiæ datori Baccho, non Marti magnanimo, non ſaltatori alipedi Mercurio; ſed claudo alicui & tetrico Vulcano in matrimonium. Præfertur molli Cytharæ ſono candentis ferri ſtridor, ſvaviſſime harmoniæ inconditi malleorum tumultus, hortorum deliciis ſpelunca Lemnia, mollibus favoniis ſpirantes follibus auræ, laureis, hederis, myrtis, palmis virentibus atri carbones. Quo illud ſignificatur, non in otiis aut in ſomno dormientibus obvenire, aut inter

ter pocula infundi ſapientiam, non choreis & tripudiis in orbem actis orbem iſtum ſcientiarum abſolvi aut metam optatam obtineri: ſed inter malleos & incudes verſari, ferro & face armari, ſudoribus diffluere, obſcuris ſpeluncis cum Pythagora concludi, multa lucernarum fuligine paſci, loligine & atramento notari prius debere, qui album SOPHIES calculum expetunt, ut denique tot machinis, tot ſubſidiis, tot inſtrumentis veri fiant fortunæ, Vitæ & Rerumpublicarum Fabri. Multæ noctes illi vigilandæ, qui Amaſiæ hujus noctes & ſplendidiorem gloriæ diem promerebitur. Chartis prius impalleſcet, qui erubeſcere vult noſtro murice: à mortuis tacita petat ſuffragia, ut vivorum acclamationes audiat: domi affixus ſedeat, ut per ora virum volitet: lucernas conſumat, ut faces gloriæ paſcat. Et talibus quidem facilem ſe præbebit Domina illa noſtra SOPHIA, DOMINA, inquam: ſed quæ in liberos homines exercet imperium, & cui ſervire ſumma libertas eſt. Clementiſſimam ſe illis exhibebit REGINA illa, quæ ipſis Regibus imperat, cui ipſa illa Virtutum Regina & Regum Virtus Juſtitia famulatur: quæ in Ariſtotele Alexandro, in Xenophonte Cyro, in Chirone Achilli jura & leges præſcripſit: cui Darius iu Demodocho, Scipio Africanus in Xenophonte ſceptra & faſces ſubmiſerunt: quæ in Ægyptiorum Sacerdotibus, Perſarum Magis, Gallorum Druidibus ad imperii guberna-

nacula ſedit, & divina omnia humanaque temperavit. Ab iis adorari ſe patietur DEA noſtra, quæ homines reddit divinos per humanitatis ſtudia & mortalibus immortalitatem largitur. Quæ Themis in foro, Bellona in ſago, Irene in toga, Ceres in Agris, Thetis in mari, intra ſidera Uranie, inter Amicos Charis nominanda. Cujus numine vivunt imperia, deliquium paſſa & jam pene ſepulta quaſi poſtliminio in vitam revocantur. Ejus igne Prometheæ ſtatuæ animantur. Ea animis prudentiam, prudentiæ conſilia, conſiliis moderationem, moderationi conſtantiam ſubminiſtrat. Illa ipſa invadit ſidera inter divina conſortia; terras perambulat bonorum omnium promiconda: in ipſis terræ viſceribus gemmas & aurum rimatur: è mari profundo opima Neptuni ſpolia reportat. Nemo ergo de dote Amaſiæ hujus dubitet, quæ omnes Naturæ theſauros poſſidet ſola & opum acquirendarum artes profitetur, cujus ſolertia æraria implet Principum, arcas & crumenas Mercatorum. Adeſte ergo SOPHIES cultores & amatores indefeſſi, ambite virtute veſtra & meritis hujus Deæ & Dominæ noſtræ connubium, me parario: ſed ut pro dote afferatis bonam mentem & eruditionem, quo pretio vos quam maxime ornabitis & commendabitis. Ruite in amplexus ejus, quæ magnetica ſua virtute vel ferreos ad ſe animos rapiat. Carpite caſtisſima illa baſia merum nectar & ambroſiam ſpirantia.

Ca-

Capite pileos libera Capita, quibus liber eſt animus, ſed tamen hic honeſte γυναικοκρατούμενος. Firmabimus nos annulo pronubo, iſto æternitatis ſymbolo, hoc veſtrum cum Dea conjugium, quod illud præ humanis iſtis habet præcipui, ut non ipſa morte ſolvatur; ſed ex ipſo rogo illuſtres gloriæ faces accendat, inque ipſo immortalitatis ſinu perenne Mauſoleum ſortiatur. Valete. Dab. e Muſeo meo d. 23. Jan. clↄ Iↄc LXVII.

75.

CUm omnibus illis, qui in ſocietatem aliquam coierunt, ea ſedulo opera danda ſit, ut ad legum præſcriptarum placita vitam, quantum poſſunt, inſtituant; tum iis præcipue, qui literariæ Reipublicæ Cives ſalutari cupiunt, omni eſt contentione laborandum, ne eas tranſiliant lineas, quibus non tam legum ſeveritas, quam ipſa bonis artibus & mentibus familiaris honeſtas eos circumſcripſit. Cum enim illic multitudo imperita & rudis feriſque non abſimilis paſſim deprehendatur, & in ordinem tamen hominum prudentia & legum pœnarumque neceſſitate redigi poſſit; hic autem homines ipſis divinæ & humanæ ſapientiæ præceptionibus ad omnem honeſtatem humanitatemque inſtruantur; his certe nemo promptius vitæ ſectari veritatem de-

deberet, aut morem bonis gerere moribus, quorum custodes legum habemus sanctiones. At vero ita nunc comparatum est, ut vel in ipsa vilissimorum hominum fece & colluvione majorem erga leges & magistratus reverentiam & honesti curam passim animadvertas, quam apud bonam partem eorum, qui doctrinæ & humanitatis studia præ se ferunt. Q[illegible] com- munis est Academiarum morbus, ita nec [illegible] lo nos immunes agnoscimus, quibus in [illegible] posita sunt exempla eorum, qui ab [illegible] adeo legum habenis ferociores sumunt animos & impotentiores. Quorum in numero jure quidem optimo Te O. v. H. K. B. reponere possumus: quamdiu enim apud nos es commoratus, pene nulla turbarum scena hic potuit adornari, quin in ea tuæ si non potissimæ, saltem aliquæ partes fuerint. Eorum omnium justum tibi ex actis nostris texere indiculum, & velut in speculo hoc ponere ob oculos possemus, nisi bene multa sint & apud nos pervulgata omnia essent & decantata. Jam tibi cum Commilitonibus tuis; (ut præcipua tamen tibi ingeramus) jam cum Civibus oppidanis rixæ, vel tua culpa quæsitæ; vel levi occasione susceptæ. Aliquoties Duella divinis humanisque legibus prohibita, insuper etiam habito Pro-Rectoris interdicto vel instituisti ipse, vel svasor eorum & administer fuisti. Conviciis innocentes proscidisti, tela etiam & fustes intentans. Fores Civis injuriosis tibi vocibus salu-

tati violenta manu impugnaſti, ut aliæ petulantiæ tuæ ſpecimina ſileamus. Accidit denique nuperrime, cum celebrarentur in loco publico nuptiæ, & lapidum jactu feneſtræ frangerentur, dum tuus qui forte nuptiis intererat commilito proſpiciens, injurioſis vocibus feneſtrarum impugnatorem impetit, ut tu in via deprehenſus, non ſine magna violentiæ publicæ in feneſtras à te intentatæ ſuſpicione, injuriam ad animum revocares: cumque is tibi ſatis ſe purgaret, ad Duellum tamen non attento graviſſimo Sereniſſimi & Clementiſſimi noſtri Principis edicto, non ita pridem promulgato, eum ſollicitares. Sufficiebant profecto illa ſeveriſſimæ etiam relegationi: nos tamen eam tibi mitiſſimam dictavimus, quam & ipſa lenitas noſtra in multam non adeo gravem commutavit, qua non duellum tantum, ſed alia etiam hactenus impunita delicta lueres, ea tamen lege, ut illa non ſoluta, relegationis ſententia reviviſceret. Quoniam vero abitum te meditari cognoveramus, Arreſti etiam vinculo, ne antequam pœnæ ſatisfactum eſſet, diſcederes, adſtringebaris. Quid vero Tu? Scilicet cum in beneficio deputare lenitatem hanc noſtram debuiſſes, ea turpiter adeo es abuſus, ut rupto Arreſti vinculo clanculum te pœnæ ſubduxeris. Quaſi vero leve ſit & exiguum ipſam Jurisjurandi religionem fallere; Magiſtratus ſui juſſa & decreta ludos jocoſque facere: niſi forte, quæ ſolet eſſet perditorum quorun-

rundam hominum insania, ipsius tuæ malitiæ publicos triumphos in Relegationis elogio ducere gloriosum tibi duxeris, tuoque ingenio dignum. Quare ne maleferiatorum tuique similium irreverenti petulantiæ pedibus imposterum conculcandam substernamus ipsi autoritatem publicam, Te O. v. H. K. B. ob tot enormia facinora, quandoquidem ultro hanc in Te pœnam provocasti, ad ipsum triennium relegamus, & ex hac Academia abesse jubemus. Danda enim nobis opera est, ne pessimo tuo exemplo in transversum abripiantur, qui intra modestiæ & officii limites consistunt, quique pœna sibi irrogata (quod optimum esse publicum existimamus) doceri poterunt sancta ea credere, quæ à Te sunt violata. Vos vero cæteri, qui estis inter nos boni & honesti, tales esse, & amoris humanitatisque officia mereri pergite: si qui mali & similia forte peccaturi, similes vel graviores etiam pœnas exspectate. P.P. Kilon. in Consistor. d. 28. Maij. A. 1669.

76.

EX quo præclaram divinæ humanæque sapientiæ officinam divinæ gloriæ, nominis sui immortalitati Patriæque commodis hoc in loco consecravit Reverendissimus Serenissimusque Princeps CHRISTIANUS ALBERTUS, Dominus noster Clemen-

mentiſſimus, in ea graviſſimis clariſſimisque
Doctoribus ornanda multam magnamq; ſem-
per curam habuit, à quibus ad humanitatem
& vitæ uſum formarentur ingenui juvenes, his-
que velut Ducibus per diffuſum iſtum ſcien-
tiarum orbem circumducerentur. Hujus tan-
ti beneficii, Cives Academici, abunde eſtis
memores, dum quotidie aures veſtras iſtæ Do-
ctorum voces circumſonant, præclarisque
vos præceptionibus inſtruunt: neque, ſi ve-
lit, hoc quorundam ex animis delere malitia,
poteſt, cum Principalis illa undique elucens
Clementia, novo iis ſemper exemplo ſe inge-
rat, & ob oculos omnium verſetur. Ejus
nunc iterum ſpecimen exhibuit Sereniſſimus
Princeps, dum Ampliſſimum JCtorum ordi-
nem, qui per diſceſſum Nobiliſſimi Conſultis-
ſimique Viri HENRICI MICHAELIS, JCti
Clariſſimi, nunc Ampliſſimi Reip. Lubecenſis
Syndici, aliqua nec certe vulgari ſui parte
fuit imminutus, redintegravit. Ad ordina-
riam enim Codicis profeſſionem, quæ hacte-
nus ab ejus abitu ceſſaverat, Nobiliſſimum &
Ampliſſimum Virum, MAGNUM WEDDER-
KOP, JCtum præclarum & in antiquiſſima
Heidelbergenſi Academia per ipſum quin-
quennium Feudorum publicique juris pro-
feſſione magna cum laude functum clemen-
tiſſime vocavit: quam quidem præclare illum
ornaturum minime dubitamus. Nec invitus
ille datam ſibi ſpartam ſuſcepit; quanquam

æ-

ægrè tum à Sereniſſimo Electore Palatino, tum àCollegis ſuis dimitteretur:nec vel ampliſſimorum oblatione munerum ab ſuo ſe inſtituto, patriæ ductus amore, paſſus eſt dimoveri. Cæterum publicas ille Lectiones ſuas (quod felix fauſtumque ſit!) craſtino die Hora X. Oratione de Moralium Corporum Unione auſpicato ordietur. Quod quidem argumentum, de quo bono, ut arbitror, omine verba facturus eſt, dum cum Corpore Academico coaleſcit Collega noſter adeo eximium eſt, ut vel me non monente ab ſe impellere vos ad audiendum illum poſſe videatur. Quanquam & tum humanitatis tum obſequii veſtri pars ſit, præſentiâ Collegæ aut Amico benevolentiam; frequentia vero & auſcultandi diligentia Doctori fidem obſervantiamque primo hoc ſpecimine teſtificari. Quod ut facturos vos eſſe, non dubito, ita ut facere ſedulo velitis omni à vobis ſtudio contendo. P.P. KilonI. ſub Sigillo Academiæ. a. d. 7. Jul. A. cIↄ Iↄc LXIX.

77.

NUnquam mihi, Cives Academici, lætior illuxit dies, quam iſte, quo extremum vos alloquor, Magiſtratu meo me abdicaturus. Nam quamvis moroſe de vobis querendi cauſas non habeam, plurimorum certe ſingularia perpetuaque adverſus

ſus me ſtudia deprehenderim; inſvaves tamen incidunt ſæpe occupatiunculæ, & liticulæ ab ingenio meo alieniores, quibus cum ex muneris neceſſitate vacandum, tot præclaras perire horas neceſſe eſt, quæ in ſtudiorum veſtrorum commoda utilius forte poterant impendi. Cum ergo abeunte jam æſtate, abeundum mihi etiam officio ſit, ſucceſſorque perendie, ipſo ſcilicet Academiæ noſtræ Natali, publice nominandus Admodum Reverendus & Ampliſſimus Vir, DN. PAULUS SPERLING, SS. Theol. D. ejusdemque Profeſſor Ordinarius optimeque meritus, nec non Facultatis ſuæ h. t. Decanus, & Præpoſitus per Holſat. Ducal. officii vos veſtri monere duximus, ut frequentes ad ornandam hanc Panegyrin compareatis, leges more recepto recitandas patienter audiatis, votaque & preces humillimas pro Academiæ, ejus Sereniſſimi Auctoris, novique Pro-Rectoris ſalute DEO allegetis. Requirit id præterea reverentia, quam optimo Seni, communi Holſatiæ per tot annos Præceptori, Muſarumque noſtrarum, quæ in ſinu ejus enutritæ huc tandem duxere coloniam, cuidam quaſi Parenti, jure quodam debetis. Sed & vos cæteri, qui favore veſtro literas literatosque proſequimini, Generoſiſſimi, Clariſſimique Viri, non committetis, quæ humanitas veſtra eſt, ut aliquis Muſarum ſacris ſplendor abſentia veſtra decedat. Dabimus viciſſim operam, ut gratum & memorem erga omnes & ſingulos ani-

ni-

nimum, obſervantiamque noſtram omni ſtudio affectuque teſtemur. PP. in Illuſtri Chriſtian. Albertina, quæ KiloniI Holſatorum eſt a. d. III. Octobr. Anno à nata ſalute cIↃ IↃcLXIX.

78.

TAntum abeſt, ut noſtra, ſeu paterna, admonitio, ſeu juſta & ſevera Citatio Tibi, D. J. a. L. B. parendi religionem ac comparendi in noſtro Judicio attulerit; ut ne per literas quidem vel pervicaciam negati obſequii excuſaveris, vel pœnam, quam ignorare non poteras Te alias non evaſurum, deprecandam Tibi duxeris. Tuo nimirum ipſius judicio jam condemnatus, pœnam omnem, quam multis nominibus es promeritus, ſecura exſpectatione præcepiſti ac præſumſiſti. Quod vero judicium tua in te occupavit Conſcientia, cujus magna vis eſt, & magna quidem utramque in partem, quæque contra Te & actrix eſt, & teſtis, & judex, id niſi nos approbantes exſequeremur, noſtram non lenitatem ſolum, ſed etiam ſocordiam, cujus tamen conſcii nobis eſſe nolimus, ipſe accuſares. Foremus enim publicæ proditores cauſæ; niſi labantem diſciplinam, quantum in nobis eſt, ſuſtineremus, digna in eos, qui mala præbent exempla, animadverſione. Ne vero indicem delictorum Tibi denuo contexamus, aut fami-

miliares illas technas, omniaque petulantiæ, irreverentiæ, ac contumaciæ tuæ specimina, quibus autoritatem Magistratus conculcare, decreta ejusdem ac sententias, interpellando, tricando, negando, excipiendo, toties eludere es ausus, sigillatim recenseamus: saltem novissimum tibi crimen, ut ab uno omnia discantur, ob oculos ponimus; quod sacro Arresti vinculo, quo Te ob tot facinora, & hinc dictatam mulctam aliquam constrictum noras, rupto, violata datæ fidei religione, fuga pœnæ te subduxisti, in extremo hoc malitiæ tuæ complemento quasi triumphum acturus. Quare ob enormia hæc facinora Te D. J. à L. B. proscribimus, & ea lege ex Academia hac CHRISTIAN-ALBERTINA relegamus, ut ne intra quinquennium ad Kiloniensis agri fines revertare. Cæteroquin eam Tibi adprecamur mentem, quam in posterum Deo, Patriæ, Parentibus, cognatis, bonis omnibus, tibi denique ipsi probare aliquando possis; ne ulterius provocata Divini Numinis ira, felicitatem, quam his in terris sperare poteras, una cum æterna vita amittas. Quod reliqvum est, Vos, CIVES Academici, quos pietatis & modestiæ studium tenet, ac obsequii gloria delectat, optimis cœptis constanter inhæsuros speramus. Si quos vero perverse agendi, lasciviendique libido incessit, huic nuncium ut continuo remittant, nec quidquam cum ea commercii habeant, serio monemus; ne,

si

ſi Legibus obſequium denegent,ſuoque magis quam alieno ſapere periculo velint, paribus aut majoribus etiam pœnis involvantur. P. P. ſub Academiæ Sigillo a. d. III. Kal. Dec. A. C. cIↃ IↃc LXIX.

79.

QUamvis eximiæ Virtuti nullo opus ſit præconio, ſuisque ipſa radiis ſplendeat; in oculos tamen hominum ut incurrat ſæpe digito monſtranda aliisque in exemplum ponenda eſt. Illam non ita pridem in Viro Reverendo ac Clariſſimo DN. JOHANNE CHRISTOPHORO DöLERO, Paſtore apud Eſtenſes in Ducatu Bremenſi, digniſſimo ſuſpeximus. Venit ille ad nos modeſtus honorum petitor, exploratusque a Collegis ſingulis ea dedit ingenii, diligentiæ bonæque mentis ſpecimina,ut exſpectationem noſtram non æquarit tantum, ſed & ſuperarit. Nobis certe non obſcurum ſtrenue in literis boniſque artibus transactæ ætatis præbuit argumentum. Quare & dudum illi promeritam laurum ſuſpendere, eosque honores,quos ipſe quidem modeſte ambire voluit, jure quodam ſibi debitos efflagitare poterat,conferre conſpirantibus omnium ſuffragiis non dubitavimus. Quos illi proprios auſpicatosque, Eccleſiæ vero ſalutares auguramur. Horum nos teſtes

his literis profitemur, omnibusque & singulis egregias Viri hujus meritoque ornatas elogio dotes, justo pretio exhibemus æstimandas. P. P. KiloniI, sub Collegii Sigillo Anno 1673.

80.

GRavissime Auribus nostris accidere, quæ tam diu ordinem vestrum exercuerunt odia, neminem latere potest, qui intellexerit, ne quidem post tot preces & interpositam magistratus auctoritatem, turbarum & insolentiæ factam esse remissionem. Nos vero etiam existimamus, proxime à ruina sua abesse, qui non contenti honestiore ulciscendi via, suis ipsi manibus, ferro, sclopetis, denique servilibus plagis, quæ tamen in auctores quoque suos redundant, ad vindictam utuntur. Hæc pridem facta esse, nemo non dolere potest; nemo non execrari; quæ tamen toleranda essent, si in unum duntaxat & alterum reciderent: at nunc qvum in totas tantum non cohortes, in societates serpsisse contagio videtur, quis ferat, adeo contra jurisjurandi fidem, legum sanctimoniam, Magistratus reverentiam, in propria sævire viscera, cædem & sangvinem spirare, quos morum & studiorum æquale certamen conciliare dudum debuerat. Nullum dubium est, quin ordinem ipsi vestrum, contemtissimis

ver-

verberibus & fuſtium experimento apud bonos omnes & Magiſtratum infametis. Pernicies illa eſt ſocietatis, quando ad duorum jurgia omnes concitantur, & ex privata communem faciunt cauſam, inauſpicati alii aliorum arbitri. Quod cum indecorum nobis viſum ſit, veſtris omnium commodis & ſocietati infeſtiſſimum, providere tandem debuimus, ne proſerpens inde contagio, morum & ſtudiorum ſemitam plane everteret, noſtramque Academiam in ultimum conjiceret diſcrimen. Sane, quam nuper adeo firmam putabamus, & auſpiciis vertentis anni munitisſimam ſocietatem, illam ad ineuntis anni ceremonias elapſam eſſe de manibus, quis non paulo cordatior deploret? Scitis tamen & oppido ſcitis, nulla hæc noſtra culpa fieri, niſi ipſa lenitas culpæ accenſeatur, quam adeo intemperie ſua damnant nonnulli, ut vel invitos ad ſeveriorem pœnam provocare ultro videantur. Ne itaque paterna ſemper lenitas & admonitio ludibrio habeantur, in remedium adferimus hanc ipſam indictionem, & tandem aliquando legum noſtrarum fidem vero rigore probaturos nos eſſe, ſerio ex hac tabella promulgamus, carceres, relegationes, & quidquid eſt pœnarum, in ultionem advocantes. Quod ſi quis etiam ſpreta auctoritate noſtra, quæ ſi unquam, hoc periculoſo ſaltem tempore ſervari incolumis debet, nundinarum harumce ſecuritatem, conventuum pacem, militum

ad-

adventantium ſtationes, importuno auſu turbaverit, eum, præterquam quod alienis manibus diſcerpendum ſe præbeat, & ludibrio vel militari aut ſervili exponat, etiam legibus noſtris ſeverisſime damnatum iri, hoc eſt, quod iterum atque iterum vobis ſignificamus. Ut jam nemo amplius dolere debeat ad ſenſum rigoris per ipſa vitia expresſi, nullo ſe exemplo, nullo monito abſterritum, in pœnam incidiſſe, cujus creſcentem gravitatem, non leviter aut temere, ſed poſt ultro citroque habitas deliberationes, ex re eſſe Academiæ nuper admodum judicavimus. Valete. P. P. KiloniI ſub Sigillo Academiæ, d. 9. Jan. Ann. clↄ Iↄc LXXVI.

81.

QUamquam bonæ menti, pietati optimisque artibus & moribus dicatæ ſunt Academiæ: ea tamen nonnullorum in illas venientium improbitas eſt: ut, ubi ſemel juris, pudoris officiique repagula perfregerunt: nihil illis amplius ſanctum religioſumque ſit. Unius apud nos menſis civis fuiſti, C. B. H. & multorum annorum æquaſti flagitia unus, imo ſuperaſti. Hæc exigui temporis opera diesque tibi fuerunt, imo & noctes: nam & illas amaſti, non Atticas, ſed Bœoticas, ſed Baccho madidas, & Stentoreis cla-

clamoribus infames. Vel una illa nuper apud ſociennum tuum comeſſatio, perditorum hominem morum arguit. Nam Lapitharum conviviis ſimile quid molitus, quicquid comminui perdique poterat menſarum, ſellarum, vitreorum ſcyphorum fregiſti, perque feneſtram projeciſti: denique, quod inauditum ſpurcitiæ genus eſt, etiam oleto convivas tuos, Harpyiarum inſtar, beare, & redhoſtimentum hoc relinquere hoſpiti non es veritus: ſed qui muſeum ſuum in ſterquilinium verti adeo ægre non tulit, ut ipſe turpiſſimo facinori ſymbolam quoque ſuam adjecerit. Hinc in plateas itum eſt eodem furore; quique ſtabat ibi currus, hinc illinc agitatus, in partes diſtractus, cujus tu rotas ſolus in loco, quo homines ad infamia ſupplicia damnati ſtatui ſolent, poſuiſti: quaſi dignum illic virtutum tuarum theatrum habiturus. Ubi tu potius Diogenis meminiſti debebas, qui cum videret adoleſcentem lapides in talem locum jacientem: *Euge*, inquit, *puer! attinges aliquando hunc ſcopum.* Qui vitæ honeſtatem bonosque mores amant, ad conſpectum eorum locorum horrent, quæ tu, quaſi triumphali curru in ſolium hoc evectus, conſcendere veritus non es. Neque ſubſtitit hic furor tuus: valvas feneſtrarum vi revulſas in puteum injeciſti: canem ante fores domini excubantem gladio confodiſti. In judicium vocatus reverentiam erga Magiſtratum omnem exuiſti: quin ipſe relegationis pœnam, qua-

quaſi per jocum & ludibrium, poſcere à nobis, velut in præmium, es viſus, homo perditus & impuriſſimus. Tu quoque O. W. B. H. frequentior hactenus cauponarum quam collegiorum hoſpes: cum, ob duellum, & injurias in commilitonem per noctem publice ſparſas, ad carceres damnatus eſſes: à recenti reatu, neq; adhuc per pœnam abolito, ad nova proceſſiſti crimina. Nam ſpurcitiarum in comeſſationibus mutuis, cum altero ſocienno tuo inſtitutis, pars magna fuiſti: imo exemplo tuo illum invitaſti: ut te ab illo in aliorum flagitiorum partem pertrahi paſſus es. Quoniam ergo ſpes bonæ frugis de vobis nunc quidem ſupereſt nulla, velut purgamenta & quisquilias è cœtu noſtro ejicimus. Ideoque Te C. B. H. ad ſex annos: Te O. W. B. itidem H. ad duos annos relegamus: Vosque hodie ante ſolem occaſum hinc exeſſe jubemus. Providendum nobis eſt, ne quid malis moribus peſſimisque exemplis respublica noſtra detrimenti capiat: ne Magiſtratus legumque conculcetur autoritas. Præterea veſter ille flagitiorum curſus hoc obice ſufflaminandus erat: ut reſipiſcere tandem, & ad bonam mentem, à qua dudum exulatis, noſtra hac relegatione in viam ordinemque redacti, redire aliquando poſſitis. P.P. in Conſiſtorio Academico d. III. Novembr. Anno cIↄ Iↄc LXXX.

Cum

Cum omnibus malis remedium sit; nullum esse improbitati ajebat Gregorius Nazianzenus. Id experimento certissimo nunc cognovimus. Nam cum spes nos teneret: fore, ut hac animadversione nostra devii horum hominum à virtute animi in viam reducerentur: tantum abfuit, ut pœnitentiam ullo signo testati fuerint: ut potius, ex insanis insaniores redditi, in sententiam dictis acerbioribus debaccharentur: in viis, in circulis profanas ac injuriosas voces evomerent: & secum quoque comites, ne soli in malam rem irent, abducerent. Mala scilicet mens, malus animus: unde nihil unquam boni exspectes. Hæc tam nefaria ausa graviore pœna coërcenda erant. Ideoq; annos priore sententia definitos ampliamus, & Te C. B. *ad ipsum decennium, Te* O. W. B. *ad quinque annos hinc exesse jubemus: & ut exemplo aliis sit, typis decretum nostrum evulgamus. P. P. d. XIII. Nov.* Anno CIↃ IↃC LXXX.

82.

IPse nunc annus est, & perendinus qui imminet dies insignis memoriam victoriæ reducit, quam à Christiani nominis hoste, omnium seculorum lingvis deprædicandam, Imperator noster augustissimus, ejusque Parastatæ, Heroes incomparabiles, divinis auspiciis reportarunt. Nam si quis ab omni ævo memorabilis Austriacæ genti, si quis Germano populo, si quis universo denique or-

orbi Christiano illuxit dies, secundus ille septembris est, quo non de regionibus & agris, non de fortunæ spoliis; sed de libertate, de religione, de salute nostra certatum, de hoste immanissimo triumphatum est. Itaque merito tum omnium lingvæ in jubila solvebantur, quorum animi consternatione dejecti, præsens sibi exitium ominabantur: unde divina manu erepti non annuos sed quotidianos ducere triumphos debent. Duillii, qui primus è navali adversus Carthaginenses victoria triumphaverat, tantum fuisse gaudium Florus memorat, ut non contentus unius diei triumpho per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jusserit, quasi quotidie triumpharet. Quanto vero major in hac tam incredibili, tam admirabili victoria quotidie triumphandi lætandique causa est, qua omnium salus continetur, cujus fructus ad universum orbem Europæum pertingit. Hujus gaudii & fructus ad se quoque pertinere partem Illustris Naturæ Curiosorum per Germaniam Societas arbitrata est. Quæ cum pulcherrimo instituto, ad naturæ secreta altius rimanda operas jungat, & ad has pacis artes cum autoritate tractandas Augustissimi & Invictissimi Imperatoris LEOPOLDI clementissimo præsidio fruatur; facile, quantum etiam hac victoria suis utilitatibus prospectum sit, intellexit. Quæ enim ipsis fortuna, quæ res, quæ spes, non salvo Augustissimo illo suo Ca-

Capite. Nam hoc ſe titulo à Societate ſua ſalutari clementisſime permiſit, eique primum Illuſtrisſimum, & tam belli quam pacis artibus inclutum Heroem ac Dominum: Dn. Raymundum Comitem Montecuculeum, atque ubi ille fatis conceſſerat, Reverendisſimum atque Celſisſimum Electorem Moguntinum protectores conſtituit. Ne quid nunc de variis in Societatem collatis beneficiis dicamus: nam ut narratum nobis eſt, & ſelectorum cimeliorum icones æri inciſas, ad illam miſit, & torquibus aureis nonnullos è ſociis ornavit, & amplisſima præterea privilegia promiſit. Quare cum lætandi gratulandique cauſas non communes, tantum, ſed & proprias easque gravisſimas haberent, pietatem ſuam ac devotisſima teſtaturi officia, Nobilisſimum & Celeberrimum Virum DN. JOHANNEM DANIELEM MAJOREM, Profeſſorem Facult. Medicæ primarium, Sereniſſimi noſtri Principis Archiatrum, noſtrum ab ipſis circiter XX. annis, & Academiæ incunabulis Collegam conjunctisſimum, & ſuæ Societatis noſtrumque inſigne decus, delegerunt: qui auguſtisſimo Imperatori Dominoque LEOPOLDO de repreſſis hoſtibus, liberata Vindobona atque Germania, publico ſocietatis nomine gratularetur, ac pro ſalute ejus, pro triumphis perpetuis vota nuncuparet. Quas cum in ſe partes lubentisſime Collega noſter honoratisſimus ſuſceperit, eo ipſe die, cujus tantum beneficium eſt, ut nul-

la unquam ætas non meminiſſe debeat, die ſcilicet Martis proximo, hora X. hujus victoriæ magnitudinem publica oratione celebrabit, ſuum illud Epiphonema, quo annus ſignatur, ingeminaturus:

VIVat LeopoLDVs & feLIX sVIs IMperet!

Quando itaque & eruditione Collegæ Clariſſimi dignam, & ſubmiſſæ venerationis affectu plenam orationem exſpectamus omnes, Vos Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi, Vos, Cives Academici, ut orantem audire, cumque ipſius votis veſtra quoque pro aris & focis noſtris, pro armorum noſtrorum felicitate, pro omnium denique ſalute conjungere velitis, peramanter invitamus ſerioque adhortamur. P. P. KiloniI d. XXXI. Aug. Anno cIↄ Iↄc LXXXIV.



PROPRIO NOMINE
EDITA NONNULLA.

83.

NUlla in toto Philoſophiæ latifundio divinior conſeri debet ars, quam Poëtica, non tam pars ejus, quam ipſa Phi-

Philosophia, imo ejus parens & domina, quam illa longe vetustiorem esse, præclara oratione demonstrabat Maximus Tyrius. Plato Poësin τὸ ὅλον vocabat, quod ambitu suo omnia comprehenderet. Antiquissimi Philosophi duo constituerunt, ad quæ omnia reliqua referrent: Deum & Poëtam. Illius officium est, perpetuo agere; hujus, imitari. Ille ex nihilo producit; & hic ex nihilo Pegasos, Chimæras & Centauros sibi fabricat. Accedit, quod ad hanc artem Deo præceptore Poëtas usos fuisse, omnis existimaverit Antiquitas, discipulos autem nullos reliquisse, quod non nisi divino instinctu doceri potuerint; nec successores, quia pares non invenerint. Non desunt tamen, qui & divinissimæ huic arti suam affricent scabiem. Jam miseri illi pedum ferruminatores illam involant, & augusto hoc nomine se venditant vix Apollinares lixæ. Eundum in nervum est miseris vocibus, idque obtorto collo, ad metra sua tanquam ad triremes damnantur. Atque tunc magni sibi & vulgo videntur Poëtæ, & Phæbeas illas frondes jactant, qui Orbilii ferulas non effugiunt. Inde fit, ut tantum ineptiarum chartis illinatur quotidie, ut illis portandis vix molaris sufficiat asinus. Tam fertile nunc est seculum, ut & Eunuchi gignant, & mulæ pariant. Sed & Poëtæ ipsi, qui nomen hoc merentur, inter se diffident, & suos patiuntur manes. Alii indomito nimis feruntur spiritu; alii tumorem quendam affectant,

aut in luxuriem abeunt; alii ignava quadam ſuperſtitione ſe premunt & poëſi ſuæ

— — — deducunt cibum:

Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura junceam.

Tam ſcilicet diverſa, & pro geniorum varietate varia illa eſt, ut certis illam regulis & limitibus coërcere difficillimum ſemper viſum fuerit. De Poëſi autem ipſa loquor non de μετρoποιΐα. Eſt enim hæc minima & ignobilior ejus pars, quamvis nec pro parte agnoſcat Ariſtoteles. Pauci ſunt, qui tentarunt hæc; nulli, qui pertentarunt. Tentabimus jam & nos, quid ingenii noſtri tenuitas hic conferre poſſit. Aperio enim Studiis hujus amatoribus COLLEGIUM POETICUM THEORETICO-PRACTICUM, in quo non ſolum intimiora quædam artis illius πλασματικῆς arcana, & noſtras etiam obſervationes non paucas pando, ſed & ad præſentia ſtatim deduco exempla, & mihi, & Dnn. Collegis, (ſi ita placuerit) elaboranda. Atque ut ſciant illi, qui hac noſtra uti opera amant, quid ſibi promittere debeant, ſumma ejus capita adſcribere non pigebit. Cum Metrica ipſa mihi nihil erit negotii, quæ privata exerceri induſtria melius poterit. Quare & mallem Auditoribus in his mediocriter inſtructis uti, quamvis & plane in literatura poëtica ἀμύστοις utiliter his intereſſe liceat, cum hæc noſtra tam ligatæ quam ſolutæ eloquentiæ facem præferre poſſint. Duabus

bus itaque partibus, absolvam collegium; *Generali* & *Speciali*. In *Illa*: De Inventione & de Elocutione Poëtica agam. Proponam jam (I) Præcepta & Axiomata generalia in Carmine scribendo observanda. (II) De Inventionibus Carminum. Et illæ sunt Poësi vernaculæ; vel communes. De Vernacula hic: & hæc est FICTIO variæque ejus species. (III) De Verisimilitudine, ejusque variis speciebus. (IV) De tribus Fictionum affectionibus. (V) De Fontibus Fictionum generalibus: Consentaneo & Dissentaneo. (VI) De Specialioricus, ubi varia, de Comparationibus, Exemplis, Descriptionibus &c. (VII) De Fictione figurata: ubi de Idolographiis Virtutum, Vitiorum, Regionum, Fluviorum &c. Singulis praxis adjicietur (VIII) De Fictione instituenda circa classes rerum, animatarum, inanimatarum, necessariarum, indifferentium, & quocunque respectu consideratarum. (IX) De Ratione concipiendi materiam Fictione idonea exprimendam. (X) De Inventionibus communibus, ex Locis Dialecticis. (XI) De Inventione inartificiali: ubi multa de Poëtarum Imitatione aliaque ad exornandum carmen facientia. Atque hæc de Inventione. In *Elocutione* differam (I) De Literis, quid illæ conferant ad artificia Poëtica; (II) De Dictionibus, illarum selectu, ubi & de Patronymicis & eorum usu. (III) De Dictionum adjunctis; Epithetis; illorum fontibus, delectu, u-

ſu & abuſu. (IV) De Dictione compoſita: Phraſi ſc. quî illa ab Oratoria differat, illarum poëtica Syntaxi, variatione, amplificatione, & elevatione, (V) De Dictione arguta: ubi de Fontibus acuminum; & Sententiarum in Carmine uſu & abuſu. (VI) De Dictione Figurata: ubi de Metaphoris, & illarum audacia, & de ſingulis figuris, quantum illæ ad ornamentum carminis faciant. (VII) De Connexionibus, Digreſſionibus, Comparationum formulis. (VIII.) De Principiis in Poëſi metricis, & de artificiis per illa in Carmine obtinendis. (IX) De Stylo poëtico & Charactere carminis Epici, Elegiaci, Lyrici. Hæc in Parte Generali. In *Speciali* ad praxin ipſam deſcendemus. Incipiemus autem (1) ab *Epigrammatibus*, quorum fontes & exempla affatim dabimus. (2) *Emblematibus*, hic modum monſtrabimus, quo res quævis ad ſignificationem figuratam poſſit traduci, Pro exemplo ibi tum erit Ciconia. (3) *Hieroglyphicis, Ænigmatibus & aliis*, item Anagrammatibus. Deinde recta pergemus ad Laudes rerum & factorum, & omnia, quæ huc pertinent. Propemptica, Gratulatoria, Epithalamia, Epicedia, & alia, quorum delineationes generales dabimus, & ad circumſtantias applicabimus. Demum annectemus aliquot conſilia pro adjuvanda re poëtica. Atque hac forte ratione pertractabo Collegium. Vos vero, Nobiliſſimi Dn. Studioſi, cum intelligatis, non ſine maximo me-

meo labore hæc à me suscipi, dabitis & favore & frequentia vestra operam, ut me operæ meæ non pœniteat; sic & ego vicissim operam dabo, ut nec vos temporis & impensæ pœniteat. Rostochii 15. Decemb. die, Anno 1661.

84.

AUro notandus est, qui hodie nobis feliciter illucet Chrysogoni, id est, aurei partus dies. Quo olim nomine salutatum Augustum legimus, illum auteæ pacis restauratorem optimum, illum Romanæ gloriæ Statorem maximum. Et sane, si aurea quædam in ferreo hoc seculo liceat captare vel omina vel nomina, insigne felicitatis argumentum quis crediderit, quod aureo hoc die in auras prodierit aureus iste ferrei Septentrionis ocellus, Magnus Maximi Parentis Filius, orbis delicium, Serenissimum Sveciæ Sidus, &, si vota fatis accesserint, aurei seculi restitutor CAROLUS XI. Aureorum sane verborum nuncius iste erat, cum Divo ejus Parenti inter armorum strepitus, tubarum clangores, hostium clades, militares laurus versanti, de nato sibi filio fama adferretur exoptatissima. Effundebatur tum in plausus Septentrio, qui Philippo foris pugnanti domi Alexandrum aliquem genitum credebat, qui jam tum in infante Regia ista CAROLI GUSTAVI auspicia venera-

batur, qui ſolo illo, quaſi cœlis lapſo & divinitus conceſſo pignore acerbiſſimam poſtea Maximi Parentis jacturam ſolabatur. Nec dignius ſane & illuſtrius tum dari argumentum poterat, quod occuparet doctiſſimorum Virorum induſtriam, calamos fatigaret, & omnium vel balbutientium ora ſolveret. Nec aberant hic χρυσόστομοι, aurei ſcilicet oris Oratores χρυσογόνῳ noſtro deprædicando. Creſcunt jam cum ipſa ejus ætate gaudia Civium non ſolum, ſed & exterorum, qui quoties feliciſſimam ejus diei memoriam pia mente recolunt, toties ſpes vota ſua ſupergreſſas, & nova Virtutum Regiarum incrementa ſentiunt, quos non tam ab annis (ea enim in non adulto jam adultæ,) non tam ab inſtitutione, quam à ſangvine & ab utero traxiſſe viſus eſt. Omnes certe pectus amori, animum lætitiæ, lingvas præconiis, manus plauſui conſecrant. Salutant iſtum novum monſtris domandis natum Herculem, vocant Majorum compendium, Poſterorum exemplar, publicorum votorum metam. Exoſculantur in iſto vultu, in iſtis ocellis Charites, venerantur hic Veneres illas, ſed tamen ferreo Marti junctas. Neq; enim ſemper inter ferreos homines aureo licet eſſe Principi: eſt,ubi ferrum ipſa Virtus & ſeculi malitia poſtulat, ut pretioſior tum nominari Princeps debeat, ſi ferreus, quam ſi aureus. Ferrea illi vel in ipſa hac ætate placet juſtitia, quæ aureos imbres in ſinum Aſtrææ labi non

patitur. Cenomannorum ritus mihi hic in mentem: qui quoties Regiæ dignitatis ſimulachrum exprimere vellent, oculo duplex ſceptrum: alterum aureum; ferreum alterum ſupponebant, quorum illud in bonos, hoc in malos vibrandum. Nec valde abludit LUDOVICI IX. Galliarum Regis Symbolum, ut ut non adeo ingenioſum, qui medium inter duas columnas aureas ſe pingi voluit, varia armorum ſuppellectile ad pedes adjecta, cum inſcriptione: *Hercule major erit:* ut ſignificaret, non auream ſemper, ſed & ferro armatam debere eſſe juſtitiam. Ita ergo χρυσόγονος iſte Princeps aureus eſt, ut poſſit debeatque eſſe ferreus, qui tamen & ferreos & plumbeos hominum animos in aureos mutare poterit μεταμορφώσει plus quam Chimica. Tantæ ſunt Virtues eæ minoris etiam ætatis maxime, ut in ſtuporem conjiciant omnes. Mihi certe dum iſtarum laudibus immoror, animus, neſcio quo Numinis afflatu, tactus in iſtos numeros erumpit:

Magna Patris Magni ſoboles, de Sidere Sidus,
CAROLE de CAROLO deque Leone Leo.
Magne Palatino Leo Svecice juncte Leoni,
Quiq; unus gemini corda Leonis habes.
Quantus ab ungve ſolet noſci leo, quantus ab armis;
Tantus ab ungviculis noſceris, ecce! Leo.

Non tamen ſola domi ſuæ & in ſinu gaudet Svecia, aut de tanto ſibi Rege gratulatur: nam & in partem gaudiorum jure ſuo admittetur, Cimbria, quæ ſe Matrem ejus gloriatur. Accedent etiam Muſæ Noſtræ, nunc quoque Magno iſti Nomini affines, quibus ea in feſtivitate ſilendum neutiquam fuit. Eſt inter earum filios Præſtantisſimus & præclaræ ſpei juvenis CHRISTIAN EHRENFRIED CHARISIUS, Pomeranus, qui egregio conatu, prima, in novo hoc Muſarum ſacrario, primus exhibebit Regi ſuo Clementisſimo Pietatis & obſequii devotisſimi ſpecimina, in Panegyrica Oratione, ſuper Natali ejus Auguſtisſimo docte conſcripta, quam cum ipſo hoc die, quo publica habetur diſputatio, non posſit, die XXVI. Novembris qui erit proximus Lunæ dies, hora ante meridiem IX. recitare conſtituit. Huic ergo feſtivitati, ut ea, quam nobis promittimus, benevolentia, intereſſe velint *Auditores omnium Ordinum Honoratiſſimi*, eſt, quod majorem in modum, ea qua par eſt obſervantia, ſtudioſe contendimus. Dabam è Muſeo meo. d. XXIV. Novembris, ipſo iſto Natali Regio. An. LXVI.

85.

EA est Principum super communem hominum sortem evectorum conditio, ut in illustri loco positi omnium oculos in se convertant, omnium animos ad se rapiant; non secus, ac Sol ipse, cum salutares in orbem hunc effundit radios, omnium animos erigit, omnium vultus serenat. Nec reperientur nunc, credo, ingratissimi homines, qui soli dicant convitia, quod populos quosdam fecisse testatur Plinius; vel iis non multum dissimiles Majestatis & Potestatis in terris Divinæ contemptores, qui in sacra ista capita mordaces & scelestas lingvas stringant, in quorum cultum omnium saniorum gentium consensus conjuravit. Quæ enim esset vel impietas vel malitia, illa quæ sunt optima & pulcherrima, quorum numero etiam Principes veniunt, quæ sua natura religiosam aliquam venerationem mentibus injiciunt, & vel ab invitis extorquent, non amare, non laudibus extollere, idque voce ipsa confiteri, quod intus mussitat veri conscia mens, & honestas ipsa dictitat. Non est, quod magnopere hic moremur, quæ vulgo de Principibus spargi solent dicteria, inter quæ non postremum est illud Mimici cujusdam scurræ: *Bonos Principes vel annulo posse inscribi;* nec, quæ in adversum solent objici, infamia inter Romanos Cæsares nomina, Nerones, Caligulas, Claudios, improborum decora, proborum dedecora, illustria marmoris

pro-

probra, monſtra, quæ Roma fœcundiore proventu, quam ipſorum monſtrorum genetrix Africa, protulit, quos nihil aliud peccaſſe dicas, quam quod nati fuerint, nihil rectius egiſſe, quam quod obierint. Fuerint ſane inter illos, qui, ut pudorem exuerent, purpuram induerint, non alio quam civium ſangvine tinctam; qui cives preſſerint, ut aurum exprimerent, imperium mutantes in emporium, Patriæ non propugnatores ſed expugnatores; qui in toro vigilarint, ut ſterterent in throno, muliebrium libidinum victimæ, fœminis viri & viris fœminæ: nunquam tamen defuerunt illuſtria omnium ſeculorum exempla, & vel nunc in ferreo noſtro aurea ſuperſunt nomina, nec inpoſterum de humano genere deſperabimus. Non eſt quod de alienis ſimus ſoliciti: nam vel ſola domeſtica teſtimonia hic rem omnem conficient. In eo ſcilicet ab omni ævo feliciſſima fuit Cimbria noſtra, quod inter tot alia bona, quæ largiſſima manu divina illi conceſſit benignitas, illos ſemper habuerit Principes, qui bonitate & felicitate ſumma omne mortalitatis faſtigium ſupergreſſi, virtutumque magnitudine & nominis gloria orbem univerſum ad invidiam generis humani impleverint, ut vere hic, quod ille de bonis Principibus, invertere liceat: *Malos Principes Cimbros poſſe vel annulo inſcribi.* Adeo hic ſincera, Regia, &, quæ in proverbium abiit, Cimbrica bonitas & virtus ſemper ſceptra geſſit, quæ per tot Majores ducta nunc

nunc in CHRISTIANO ALBERTO, isto orbis delicio, publicæ salutis Vindice, Musarum Statore Optumo Maxumo, Pio, Augusto, Felici, Incluto altissimas radices egit, eaque incrementa sumsit, ut addi ad perfectionem illam nihil posse videatur. Celebrantur jam ista omnia gentium lingvis, publicisque seculi suffragiis æternitati consecrantur, ut à nobis nihil addi debeat, quam, quod ad sublimes istas virtutes colendas restat, religiosum silentium, quo solo nunc in ista infantia pie diserti esse possemus, nisi ingratum illud multis videri possit & injuriosum. Et videbatur tale Generosò Juveni, magno aliquando illustris suæ familiæ ornamento, GERHARDO à BROCKDORFF/ qui quanquam ad commendationem tanti Principis, meritaque ejus ergo mortalium genus immortalia deprædicanda parum se conferre posse crederet, id tamen pietati dandum arbitrabatur, ne inter tot acclamationes & vos omnium solus siluisse, aut publicam istam felicitatem dissimulasse videretur. Non possum non summis efferre laudibus egregium illud Generosi Juvenis consilium & illustrem conatum, quod primus ille è Civibus suis & ex erudita Cimbrorum Nobilitate compareat, prima, in novo hoc Musarum sacrario, Principi nostro Serenissimo exsoluturus vota, & devotissimi obsequii specimina oblaturus. Quod ejus institutum, sive pietati erga Principem, sive præclaræ ambitioni adscribamus,

me-

merebitur certe favorem omnium, & veſtrum quoque, *Lectores omnium Ordinum honoratiſſimi*, in audienda illa Oratione Panegyrica, quam in laudes Sereniſſimi Principis elegantiſſime, ſummoque ſtudio abs ſe conſcriptam, proximo Jovis die, VI. Decembris, hora ante meridiem nona, recitabit. De quo eo minus dubitabimus, quo magis humillimus veſter erga Principem affectus efflagitare videtur, ut vota noſtra pro ejus ſalute fundenda, communibus omnium veſtrum votis & precibus adjuvetis. Valete. Dabam è Muſeo meo. d. II. Decembr. A. cIↃ IↃc LXVI.

86.

VEtus illa eſt & ab omni ævo recepta conſvetudo, quod Viros nos magna in Rempublicam merita nobilitarunt, vivos, etiam poſt fata animis noſtris colore lingvisque ſoleamus eorum laudes deprædicare. Hinc & inter duodecim tabularum antiquiſſima inſtituta lex fuit de honoratorum virorum laudibus in Concione memorandis ſcripta; quo nomine ſalutabantur, qui Rempublicam feliciter geſſerant conſiliis, victoriis illuſtres, aut quocunque demum modo Patriam ſibi meritis obſtrinxerant. Eorum in numero referri optimo quidem jure & Viri literati Piique debent, à quibus major fortaſſis re-

redundat in Patriam utilitas quam maleferiatorum quorundam hominum superba sibi ignorantia persvadet. Quare laudabili non solum consvetudine hac inductus, sed sua etiam pietate incitatus eximius liberalium artium Magister NICOLAUS Nothelffer / Norimbergensis, Viri dum vivere celeberrimi JOH. MICAELIS DILHERRI, Theologi, Philologi, Polyhistoris Clarissimi vitam, virtutes, mores, doctrinam, Oratione docte ab se conscripta, proximo Saturni die hora X. matutina, si dederit DEUS, in Auditori Majori prosequetur. Vastissimum fuit Viri ingenium, quod per omnia Theologiæ, Philosophiæ, Philologiæ spatia diffusum felicissime variis in omni divinæ humanæque sapientiæ parte functionibus admovebatur. Verum frustra à nobis hæc dicentur, cum luculentius ipsa parentantis oratione singula recenseantur, ad quam audiendam Amplissimos Collegas, Cives Academicos omnesque literarum fautores humanissimè invito. Cum enim illum Pietas, qua in Patronum, imo Parentem suum flagrat, ad dicendum impellat; vos ad auscultandum memorabile Viri exemplum, quo compendiosius, quam præceptis docemur, invitet. Quo & gratam vobis celeberrimi Viri memoriam esse, nec parentaturi vobis pietatem improbari ostendetis. Valete. Dab. è Museo d. 18. August. Anno 1669.

87.

CUm utriusque Eloquentiæ tam liberæ quam pedibus vinctæ ſtudia fidei meæ à Sereniſſimo Clementiſſimoque Principe commiſſa fuerint; eam mihi ipſe legem dixi, ne à concredito mihi munere oculos dejicerem, aut præter negotium in alienis rebus quam meis curioſior quicquam agerem, provinciam vero mihi traditam pro virili ornarem. Etenim præceptiones non ſolum vobis dedi lectiſſimas, viamque regiam ad maſculam ac ſucciplenam veterum Eloqventiam commonſtravi, ſed & ſi qua à doctiſſimis viris prodita, vel noſtra animadverſione perſpecta fuerunt, vulgo non cognita, vel, quæ invidia nonnullorum eſt, celata, proferenda ac patefacienda quam diligentisſime curavi. At vero cum ſine exercitio jaceant propemodum, frigeantque omnia præcepta: quanquam eo nunquam vel muneri meo vel vobis petentibus defuerim; ſtimulos tamen & calcar monitione hac publica addere inſtitui, ſiqui ſint, qui rogati ſua ſequi commoda malint exercitationibus oratoriis diligentius incubituri. Peſſima, ne quid disſimulem, in nonnullorum animis hæret opinio, quaſi obturbent hæc ſtudia aliis, quæ πρὸς ἄλφιτον addiſcuntur; cum nulla magis juvent & exornent. Quales, tantum abeſt, ut ſtylum ſæpe, (quod Venuſini Vatis præceptum eſt) ut ne manum quidem illorum cauſa vertere dignentur. Sed eos quidem

ſu-

ſuis relinquamus moribus ac ingenio. Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι. Vos vero, Juvenes optimi, qui quid ex uſu veſtro ſit rectius noſtis, ſi Ducem Doctoremque veſtrum non ſpernitis, conſilium inſtitutumque, in quo nunc ſum, ſalubre vobis ac frugiferum deprehendetis. Scholas ſcilicet oratorias, binis per hebdomadam horis, quas ipſi deſignabitis, in ædibus meis inſtituam, lectiſſima ad orandum argumenta, tum ex hiſtoriis, tum è civili moralique ſapientia deprompturus. Quæ a vobis elaborata, cenſura noſtra perpolita, audiri publice ac legi aliquando typis deſcripta mereantur. Qua in re cum præter emolumentum veſtrum, honeſtæ etiam gloriæ cupiditas excire ac peragitare animos veſtros debeat, ipſi, opinor, quid ſtatuendum vobis ſit, nobis etiam non monentibus diſpicietis. Proximo Mercurii die IIa pomeridiana de hora commoda deligenda deliberabimus. Valete. Scribeb. a. d. XXVIII. Aprilis Ann. CIↃ IↃC LXXII.

88.

CUm omnes eos, qui commodis noſtris conſulunt, charos habere, hos laudibus ferre, mactare honoribus ſolemus; tum eos præcipue, qui cuſtodes gubernatoresque populorum quaſi divinitus dati Res communem utilitatem continentes, o-

mniaque, ſine quibus nec ſalva eſſe ſalus publica poteſt, regunt, movent, moderantur. Hos ſive ipſi Reges fuerint, ſive eorum adminiſtri, Viri ſapientiſſimi, vivos quidem amore ſummo atque obſervantia; mortuos etiam divinis honoribus non paucæ olim gentes coluerunt, ne magni adeo longique boni memoriam, ad ſempiternas ſeculorum ætates propagandam, unius ætate hominis haberent circumſcriptam. Ac ipſi adeo Reges, qui ſe Virorum prudentiſſimorum conſiliis permittentes glorioſi laboris eos ſocios conſortesque voluerunt, tantum abeſt, ut gloriam hanc illis inviderent, ut omni potius ſtudio ac conatu ad ampliſſimum fortunæ faſtigium productos, velut vivam prudentiæ imaginem, pene in ſolio ſuo collocarent. Nec immerito quidem: cum iis quaſi genio quodam, aut altera quadam mente inſpirati, adeoque voluntate, conſiliis, natura ad civilem communitatem conjuncti in unam coaluiſſe perſonam viderentur. Si Platonis Scholam interrogemus, Regem illa nobis formabit, duplici mente præditum: quo illa poëtiſmo quidem ad ſignificandam muneris iſtius majeſtatem; nos ad rei veritatem convenientius uti poſſumus. Hanc ut duplicatam etiam ipſi agnoſcamus, nihil vetat; alteram ſcilicet ejus, qui ſummæ rerum præeſt; alteram ejus, qui miniſtrator ad eadem ſedet gubernacula, ſed eas inter ſe neceſſitate quadam junctas, ut uno per has ambo contineantur

com-

complexu, nec hic ab illo divelli poſſit, quem conſiliorum autorem, ſolicitudinum ſocium, omni in cogitatione habuit conjunctum. Quam auſpicatum ſit fueritque ſemper regiæ potentiæ ſapientiæque, ſive in uno, ſive in duobus conſilii voluntatisque communione conjunctis contubernium, ejus imaginem nobis exhibent fabulæ; fidem faciunt Hiſtoriæ. Hydram aggreſſurus Hercules Iolæ miniſterio; Ulyſſis conſilio Diomedes; Neſtoris prudentia Agamemnon, Rex ille Regum Homero vocatus, utitur: qui nil adeo à Diis optabat, non imperii potentiæque incrementum, non excidium Aſiæ; quam ut decem ſibi daret Neſtores: quo omnem votorum ſuorum ſummam complexus ſibi videbatur. Quot ſuperſunt, ne longius arceſſamus, illuſtria hujus rei in Hiſtoria Romana exempla? Annon eos quos in ſocietatem conſiliorum adſciverant Imperatores Romani, amicos ſuos, familiares, Parentes, Reipublicæ cuſtodes ac conſervatores, periculorum, bellorum, victoriarum ſocios, non latenter, aut furtive, ac in angulo, non ad aurem; ſed in luce & in oculis civium, in conſpectu urbis ampliſſimique Senatus, & quaſi in aliquo orbis terrarum theatro, cognomentis profecto honeſtiſſimis appellarunt? Annon ſtatuas illis juxta ſuas erigi curarunt? Annon in nummis monumentisque publicis eorum imagines ſuis junctas circumtulerunt? Sed quid vetera ac peregrina ſectamur, rerum noſtra-

rum incuriosi? cum domi nobis nascantur exempla, illustriora profecto, quam ut ab illis lucem mutuentur: nobiliora, quam ut à quoquam ignorentur: celebratiora, quam ut nostra vel eloquentissimorum hominum præconia requirant. Quis est, qui Illustris Excellentissimique Domini JOHANNIS ADOLPHI KIELMANNI A KIELMANSECK, nomen non Cimbris tantum, sed exteris etiam cognitissimum ignorat? Quis non redivivum in isto vultu Nestorem aut Mæcenatem sibi intueri videtur? Quis non sub ista fronte quantæcunque etiam fortunæ capacem habitare animum fatetur? Quis inter nos, quis inter vicinas ac remotiores etiam gentes ignorat, quot quantasque res ille gesserit, omne in ævum victuras, omnium ingenia fatigaturas, ex quo à Divo FRIDERICO, ac SERENISSIMO DOMINO Nostro, CHRISTIANO ALBERTO, velut quædam eorum dextella, in consiliorum ac rectionis societatem assumptus est. Quibus id præcipue effecit, ne tempora hæc prioribus inviderent, seris etiam nepotibus eorum simulachrum absolutissimum transmissura. Quis in multis inveniat temere, quæ in Uno Viro & Virtutis & industriæ & fortunæ reperiuntur ornamenta? Si Eloquentiam quæras, illam animorum expugnatricem, illam consiliorum rectricem; Herculem non Gallicum, ut est in fabulis, sed Cimbricum, qui velut catenulis quibusdam aures mentesque trahat & impel-

lat:

lat: si agendi vim ac efficacitatem singularem plane & divinam; Briareum aliquem centenas operi manus expedientem: si alacritatem ac vigilantiam; Argum aliquem centenis oculis tum Domini tum nostræ saluti prospicientem admiraberis. Illam vero excelsi animi prudentiam, tantæ molis, & majoris quoque capacem, quis animo se assequi, quis verbis exprimere posse confidat? Sive enim exploret fata, quo præitura sint; sive eorum benignitatem sua sollicitudine adjuvet; nihil est tam impeditum, quod eorum favore non conficiat; nihil tam arduum, quo non pertingat; nihil tam firmum, quod non perrumpat: nihil tam profundum, quod non emetiatur. Quæ omnia ut sunt numero infinita, magnitudine immensa, ac exigua aliqua efferri oratione nequeunt, animo tamen comprehensa habemus ac memoramus, cum tanti Herois laudes luculenta doctissimaque oratione celebraturus est SIMON HENRICUS MUSÆUS, præstantissimus eximiusq; Juvenis, &, quod ad laudem illi satis est, paternarum Virtutum æmulus. Quem enim omnes veneramur, in quem oculos patria universa convertit, quem quasi cœlo lapsum palladium intuemur, cujus beneficiorum ad omnes fructus pertingunt: ejus uti omnibus ob animos versari debet memoria: ita peccare se Noster existimavit, nisi & ipse aliquo documento pietatem suam adversus illum publice profiteretur. Qua in re cum summopere lau-

dandus ſit, non poſſumus, quin & Vobis, *Lectores Omnium ordinum honoratiſſimi*, inſtitutum ejus commendatum eamus, quod favorem certe veſtrum & plauſum meretur. Quare ut ad audiendam Orationem, quæ die Mercurii hora ante meridiem nona recitabitur, frequentes adeſſe velitis, non adeo nos rogamus (quanquam & hoc facimus) quam ipſa KIELMANNIANI nominis gloria, immortalia illa in Cimbriam univerſam, Academiam, Civitatem merita efflagitare videntur. Valete PP. a. d. Octobr. XII. A. cIↃ IↃc LXXIII.

89.

QUam publice utilia ſint, ac in omnes partes valeant illa orandi exercitia, non ignorant, niſi qui hebetes plane ſunt & impoliti, aut imprudentes rerum æſtimatores. Etenim cum tantum animo comprehendamus, quantum verbis apte efferre poſſumus: quis niſi mentis inops omnem verborum curam abjiciendam eſſe exiſtimet? quis rerum intelligentiam conſequi ſe poſſe confidat, niſi eloquentiæ præſidio armatus ad ſtudia literarum venerit? Cui omnia illa bono addiſcentur, ſi vel accommodato ad docendum ſermone uti quis neſcierit, vel ad Reip. negotia tractanda admiſſus, elinguis, infans acceſſerit? Quam ob cauſam apud ſapientis-

tisſimas gentes, Græcos & Romanos, ludi inſtituti fuerunt, in quibus fictis ſimulatisq; argumentis animi atque ora juvenum formabantur: Viri etiam, imo Conſules & Senatores, quotidiana hujus artis tractatione, ut ſe perficerent, allaborarunt. Ejus ſtudii quam latè pateant commoda, vel ex eo, niſi ſtupidi omnino ſumus, deprehendere poſſumus, quod ſub eloquentiæ regno omnes diſciplinæ & literæ cum ipſis Rebuspublicis effloreſcere & quaſi reviviſcere cœperunt. Cujus rei non tantum manifeſta, tum apud Græcos, tum apud Romanos ſunt exempla: ſed & ſuperiorum temporum barbaries & calamitas nos docuit, quam infeliciter majoribus noſtris elegantioris hujus doctrinæ contemptus ceſſerit. Olim cum vigerent illæ artes, quanto ſplendore ſimul & pietate fulgebant in Eccleſia apud Græcos Baſilii, Gregorii, Nazianzenus ille & Nyſſenus, Chryſoſtomi, Cyrilli: E Latinis Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, ut ſexcentos alios prætereamus: qua autoritate regnabant in tribunalibus Papiniani, Modeſtini, veneranda illa nomina quorum umbram vix præſtant, qui hodie cum bonarum artium contemptu triumphant leguleji. Illos ſanctiſſimos utique & eloquentiſſimos in Eccleſia Viros excepit poſtea genus hominum agreſte, fraudulentum, barbarum, ſuperſtitioſum, inepti è clauſtris Poſtillatores: è quibus qui cæteris ar-

gutiores videri volebant, ipſis Theologiæ & Philoſophiæ ſacrariis ſe ingeſſerunt,

—— —— —— *Ut Auſtri.*
Floribus & liquidis immiſſi fontibus Apri.

Quorum temporum inſcitia ne nunc quidem ſatis deplorari poteſt. Hos è JCtorum familia inſecuti ſunt rudes illi & inepte ſeduli gloſſatores, & qui illis pejores ſunt Rabulæ, ſolis litigandi artibus omnem Jurisprudentiæ fundum circumſcribentes. Sed bono noſtro & univerſæ ſapientiæ fato accidit, ut excitatis elegantioribus, per inſignes Viros, ſtudiis, reviviſceret ſanior Theologia & Philoſophia: alia facie appareret Jurisprudentia, à Budæis, Alciatis, Hotomannis, Cujaciis, Auguſtinis luci ſuæ reſtituta: ac omnes adeo artes cum ipſo ſeculo renaſcerentur. Quam felicitatem ne ipſi & nobis poſteris eripiamus, opera nobis danda eſt, ut elegantiores tueamur artes, quarum princeps eloquentia eſt. Eam omni ſtudio & induſtria graviter excolamus, cujus fructus in templa, in tribunalia, in Aulas, in Scholas, in populos, tam pacis quam belli tempore longè lateque diffunduntur. Non ignarus utilitatum iſtarum Nobilisſimus Eximiusque Juvenis BALTHASAR HELD/ Dithmarſus, cum ad rerum civilium doctrinam applicare animum decreverat, ut mature iis artibus, ſine quibus illa ſuſtineri non poteſt, adſveſceret laudabili profecto conſilio Eloquentiam, pro illo quo in literas rapitur impetu, præ cæteris

ris omni ſtudio tractandam ſuſcepit. Cujus ille inſigne ſpecimen daturus, inſtanti hujus menſis die VI. hora IX. matutina de NECESSARIIS IN AULA LITERIS, doctam elaboratamque orationem remoto libro commentario habiturus eſt. Ad quam audiendam; ut non ſunt quotidiana apud nos hujus induſtriæ exempla: ita frequentiorem veſtram, *Lectores Omnium ordinum honoratisſimi*, præſentiam nobis pollicemur: Omnes, ea qua par eſt obſervantia & affectu rogamus, ut benevolam dicenti dare operam, & ad ſumma tendenti ſtimulos favore ſuo addere ne dedignentur. P. P. a. d. Febr. II. Anni cIↄ Iↄc LXXIX.

90.

SI qua humanarum rerum eſt veneratio, nulla, certe, ſi à Deo diſceſſeris, major eſt, quam quæ Viris Principibus debetur; quorum incolumitati civium militant præſidia, autoritati præſto ſunt obſequia, ſaluti omnium conſpirant vota. Prudenti itaque conſilio, ut pleraque, ab Ægyptiis, illa Regii muneris inſtituta fuit diſciplina, qua ad majeſtatem virtuti jungendam Principibus; civibus ad amoris & venerationis invitamenta præiverunt. Nam inter ἔργα καὶ ἡμέρας Principum, quas illi, teſte Diodoro, velut in tabula conſignatas habebant, præcipua hæc fuerunt:

Deducebatur ſingulis diebus in ædem ſacram Rex, inſignibus Regni ſplendidoque habitu decoratus. Peracto rite cultu divino ſolennem recitabat pro ſalute Regis precum formulam Sacerdos. Inde virtutes ejus verbis,quod potuit, ornabat, non diſſimulatis etiam, ſi quæ fuerant erratis: ſed rejecta in pravos conſiliorum architectos culpa. Prælegebantur hinc de præſtantiſſimorum Principum factis & conſiliis ſacri commentarii. Quo velut quotidiano virtutum ludo inſtituti Reges, officiis ſuorum civium vota vincere, & morum exhaurire exempla allaborarunt. At Cives Reges ſuos non ſecus ac indigetes, & velut ſummo Numine datos rerum arbitros, adorabant, cumque uberrima ab ipſis ad homines derivarentur beneficia, animos eorum quaſi ex mente divina decerptos colligebant. Qua pulcherrima autoritatis & obſequiorum, è virtute mutua orientium, conſpiratione, feliciſſima ipſis fuit,ac reliquis gentibus in exemplum poſita Respublic. Non itaque vel vanæ aſſentationi, vel ambitioni illa Panegyricorum vetus imputanda conſvetudo eſt: ſed ſubfuit laudabilis huic conſilio aſtutia: ut objecta virtutum ſpecie ſtimuli quidam animis impingerentur, quibus ad amorem earum pertracti, nunquam à regia illa via deflecterent. Ne quid de ipſa pietate dicam, qua commendabant ſe regibus cives & officium in beneficii materiam convertentes, ſuos è Regia gloria

fru-

fructus persentiscebant. Fuit, ut vidimus Ægyptiis quotidiana Principum celebratio, ac ad eorum exemplum à nobis quoque instituenda. Sed vel annua saltem sit, cum quotidiana esse non possit: quanquam hæc intra animos nostros, Principum optimo CHRISTIANO ALBERTO, non ephemera, non horaria pietas, sed ultra secula duratura succrescit. Redit crastina luce natalis Serenissimo Domino nostro dies. Quæ cum prima sit, unde ortum reliquæ trahunt, honorem merebitur palmarium. Perculit ejus diei & ipsius Serenissimi Principis religio præclarum præstantissimumq; juvenem NICOLAUM NICOLAI Husumensem Holsatum, eoque adduxit, ut quam meditatus est in Reverendissimi Serenissimique Principis Domini nostri Clementissimi, laudes, Orationem doctam splendidoque auditorio dignam, cras, III. sc. Februarii die, hora X. matutina publice recitandam susciperet. Meretur hominis virtus minimeque vulgaris in humanitatis studiis, multis jam ab annis, spectata eruditio, vestro singulari favore atque officio ornari. Quare vos omnes, *omnium Ordinum hospites honoratissimi*, ea qua par est observantia obnixe rogatos volumus, ut huic interesse festivitati, eamque vestra illustriorem reddere præsentia velitis. Imo vero tantum abest, ut precaria hæc velitis nobis exhibere officia, ut potius eo cupidius nostra impleturi sitis vota, quo vehementius communia in Domi-

mi-

minum Clementissimum studia vos impellent, ut preces nostras pro ejus salute fundendas, communibus omnium vestrum votis & precibus adjuvetis. Valete. Dabam è Museo meo d. II. Febr. Ao. cIↄ Iↄc LXXXII.

91.

EST ille seculi nostri morbus, ut qui Philosophiæ sacris imbui cupiunt, non ab ipsis fontibus illam arcessant, sed jejunam quandam & volaticam discendi rationem, solida veterum doctrina explosa, consectentur Neque desunt ad prærupta illa & interrupta studia cæci cæcorum duces, qui ut ipsi velut canes è Nilo, ex hoc sapientiæ Oceano, raptim aliqua hauserunt, & primoribus labris degustarunt; ita alios per eadem littora, velut Abaridis sagitta instructi protrudunt. Quare qui è ludis istis compendiariis prodit discipulus, si philosophiæ orbem universum, cum illis alatis Mercuriis suis semel pervolitarit, totque annorum labores improbos in menses aliquot contraxerit: *momento temporis exit Marcus Dama*, ad infulas & cathedras ablegandus. Cum Patrum nostrorum memoria reviviscerent artes & bonæ literæ, unius disciplinæ campi patentiores in certos quasi fundos tribuebantur, & stipendiis amplissimis conducebantur, qui partes unius disciplinæ publice docerent, ut eo

eo ſolidiora eſſent diſcentium ſtudia, & omni ex parte firmarentur. Sed nunc ſæpe fit, ut unius magiſtri, nec alias otioſi, leve & tralatitium negotium credatur tota Philoſophia. Nam tumultuaria aliqua τ͂ ὅρων explanatione res omnis abſolvitur, & nonnunquam hic contingit, quod Græcorum adagione dicitur: ὄνῳ τὶς μῦθον ἔλεγε; ὅδε τὰ ὦτα ἐκίνει. Hinc illam ſtudiorum maciem ad publica negotia adferre videmus homines ſemper junceos, nunquam ſucciplenos. Quotus nunc eſt è Philoſophantium ordine, qui veterum philoſophiam vel à limine ſalutavit? Prout enim illis aptum eſt & commodum, novo alicui magiſtro & uni ſe mancipant, nunquam in hoc Philoſophiæ orbe vel κοσμοπολῖται, vel cives, ſed vel advenæ, vel inquilini. Erat vero altius ex omni ſeculorum memoria repetendum, quibus progreſſibus artes erui cæperint, quam per mundi ætates à prima illa origine in varietatem opinionum diſcerptæ fuerint Barbarorum & Græcorum Scholæ: ne ad novas opiniones, quæ è veterum cineribus reſuſcitatæ, velut ad oracula reſpiciamus. Ita enim ſemper ille doctrinarum orbis proceſſit, ut qui primum divina diſciplina ducerentur homines, reliquarum gentium quaſi pædagogi divinitus conſtituti, ſuis artibus moribusque illas imbuerent. Quæ ubi in hoc ſapientiæ ludo profecerant, alios rurſus populos habuere diſcipulos, inque eos doctrinæ ri-

vum

vum derivarunt: ſed de quo Horatianum illud uſurpaveris:

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

Nam & in hoc Sapientum regno, & doctrinarum illa ſucceſsione contingit, (liceat mihi παρῳδεῖν!) quod de univerſo humano genere idem Vates Venuſinus pronunciavit.

Ætas parentum pejor avis tulit
Indoctiores, mox daturos
Progeniem inſipientiorem.

Quæ omnia cum ſecum reputaret præſtantisſimus & eximiæ ſpei juvenis, PETRUS ANTONIUS BURCHARDUS, laudabili conſilio, ita ad philoſophiæ ſtudia animum applicuit, ut non in illis tantum, quæ heri nudiusque tertius in ſcenam producta fuerunt, hæreret, ſed & antiquorum ſacraria philoſophorum accuratiore oculo perluſtranda ſibi crederet. Quam ob cauſam vaſtisſimum de veterum philoſophorum ſectis argumentum in Diſſertationem contraxit, non contemnendum eruditionis & diligentiæ ſpecimen exhibiturus. Quam cum publice d. xv. Febr. hora X. matutina recitaturus ſit, nullis noſtris vel lituris interpolatam, vel acceſſionibus locupletatam; *Omnes omnium Ordinum hoſpites honoratiſſimos*, ea qua par eſt obſervantia rogatos volumus, ut ſua hunc actum ornare præſentia & novos ad majora currenti ſtimulos favore ſuo addere ne dedignentur.

Da-

Dabam è Museo meo d. XI. Febr. Ann. clↄ Iↄc LXXXIII.

92.

CUm ii, qui literarum studiis incumbunt, metam sibi certam præfixam habeant, eam certe non attingent, si compressis manibus sedentes nunquam sedant in viam: verum omni conatu hoc illis agendum est, ut stadium hoc decurrant & palmam sibi propositam consequantur. Alacri itaque animo res suscipienda est, non detrectandi labores, qua data porta ruendum est, removenda obstacula: neque committendum, ut vel segnities vel voluptas illis obrepat & a sperata palma excludat. Sunt enim studiorum præmia tam splendida, tam dulces harum utilitatum illecebræ, ut vel Herculeos labores allicere solarique possint. Nam ex ipsius laboris gravitate crescit earum jucunditas, ut molestiæ ipsæ non modo non contemnendæ, sed vel ob dulcem earum memoriam ultro expetendæ videantur. Sunt vero in medio posita literarum præmia, quorum spes invitat, quorum intuitu nulli labores subterfugiendi: ac si injuria hominum illa subriperentur, sibi ipsæ in mercedem cedunt & æterna voluptate animos pascunt. Neminem itaque ab instituto suo laudabili dimoveat, si viderit forte non virtuti & bo-

bonæ menti, non optimis artibus, ſed ignorantiæ, ſed ſceleri præmia conſtituta: ſi pedibus conculcari viderit eruditos ab hominibus, quos brutis propiores facta oſtenderent, niſi ſpecies homines mentiretur. Felices olim pronunciabat Dux Mediolanenſis, qui aureis purpureisque retibus piſcarentur, id eſt: qui auro ſuo ſapientum & doctorum hominum ſibi jungerent conſortia. Verum, ut nunc ſunt ſecula, quibus per tumultum, furorem & libidinem aguntur omnia, tantum abeſt, ut aureis retibus trahantur eruditi; ut potius in ferreæ neceſſitatis & anguſtiarum retia compingantur. His tamen periculis & neceſſitatibus firmum & conſtantem animum opponere debent, qui literis ſe addixerunt. Quos ut ſuo velut celevſmate excitaret Nobiliſſimus ornatiſſimusq; Juvenis Dn. HENRICUS OLTEN / Ditmarſus, doctam ac bene commentatam de DIFFICULTATIBUS ET FRUCTIBUS STUDIORUM Orationem d. XII. Julii hora X. ant. recitabit. Nimirum his quaſi præludiis voluit primum ſpectari optimus Juvenis, longe ab illorum moribus abiens, qui ſe ad majores palæſtras inermes protrudunt. Signum itaque ſuſtulit, quo ad illas evocaret, claſſicum cecinit ad hæc ſtadia perniciore curſu transmittenda. Veſtrum eſt favere honeſtiſſimis conatibus, *Hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi*, quos ſi non diſplicere vobis frequenti veſtra præſentia oſtendetis, etiam ipſi currenti, ad illa quæ reſtant

ſtant

ſtant ſpacia conficienda ſtimulos & calcaria admovebitis. Vos vero, Juvenes lectiſſimi, iſta adhortatione firmati, quam nondum ingreſſi eſtis, vel nunc demum ſuſcipere & ingredi ſtudiorum rationem non detrectabitis: qui vero viam jam vobis aperuiſtis, ut quam belliſſime decurratis, enitemini. Dab. Kiloni. d. VIII. Julii Ao. cIↄ Iↄc LXXXIII.

93.

MAgna Eloquentiæ & Hiſtoriæ affinitas eſt: mutuas enim operas jungunt, & civili prudentiæ quaſi alæ geminæ adſiſtunt, quarum illa remigio feliciter orbem ſuum decurrit. Hiſtoria eventuum exemplis velut telis quibusdam oratorem armat, & oratoris vim omnem in ſubſidium vocat, cum res geſtas ornare deſcribit, & ex ipſius prudentiæ penu depromptas operi ſuo conciones immiſcet. Hiſtoria rerum aliquam ſylvam ſubminiſtrat oratori fabro, quam ille in varios uſus fingat atque refingat. Cum itaq; Eloquentiæ & Hiſtoriæ geminæ atque ſororiæ, ut ita dicam, partes mihi ſint injunctæ, id ſemper operam dedi, ut earum diſciplinarum interiora pro virili excuterem, eaque Auditoribus meis inculcarem. Publicis enim privatisque lectionibus, toto hoc, quo docui tempore, Eloquentiæ tam ſolutæ quam ligatæ partes ita

explicui, ut quæ ab aliis omissa, vel leviter tractata, mihi præ cæteris excolenda sumerem. Nam vel *Oratorem Civilem* præceptis exemplisque lectissimis exhibui, vel totam *Characterographiam*, sive de Stylo doctrinam, vel *Pathologiam Oratoriam*, vel de *Arguta dictione*, de *Excerpendi ratione*, de *Argutis Thematibus sacris eruendis*, de *Epistolis scribendis*, de *Inventionibus Poeticis*, de *omni tam Latina quam Germanica Poesi*, ea proposui, quæ publicam aliquando lucem, si ultima illis lima accesserit, non spernendo ut puto, juventutis fructu videbunt, modo Deus vitam valetudinemque firmam concesserit; & bonis conatibus non intercesserint horum temporum difficultates. Quæ ad Germanicam Poësin spectant, jam tum à me in antecessum data sunt, eaque *Latinorum Carminum* plenior editio sequetur. In HISTORIA, ex quo Eloquentiæ professioni illa juncta fuit, ea præ cæteris spectavi, quæ & civilis usus essent, & ab horum temporum viris doctissimis nove observata, vel etiam prætermissa, aut mea industria, ut se interdum aliqua obtulerunt, notata. Historiam itaque vel universam proposui, vel eam, quæ à Caroli Magni imperio ad nostra se tempora extendit, vel Taciti quædam commentationibus illustravi: unde nonnulla suo quoque tempore ad editionem seligentur. Neque literariam historiam prætermisimus, cujus bonam partem lectionibus publicis de *Re Bibliothecaria*, privatis de *Notitia Autorum* expedi-

divimus. Et hunc campum vaſtum ſane & diffuſum, intra tres annos proximos, operoſo ſane labore bis decurrimus. *Naturalem quoque Hiſtoriam*, ut hodie illa tot obſervationum fœcunda meſſe ditata eſt, tentavimus. Quæ omnia, ubi paulo diligentius tractata, & continuis acceſſionibus perculta fuerint, prælo, Deo ita volente, ſubjicientur, præſertim, cum non deſint, qui ad editionem eorum maturandam impellunt, viri doctiſſimi. Hic laborum Academicorum curſus hactenus nobis fuit, à qua non deflectemus, quam diu vel valetudo, vel temporum iniquitas conſilia noſtra non deſtituet. Quoniam vero inter ſchedas noſtras non pauca ſunt privata induſtria nobis congeſta & notata, quæ ordinariis noſtris deſtinari lectionibus non poſſunt, verſantur enim in argumentis remotioribus, id nunc conſilium arripui, ut, quia & illa in uſum tum juventutis noſtræ tum publicum cedere poſſunt, illorum autem prælectionibus à via λεωφόρῳ, quam ingredi in publica informatione debemus, abducimur, ſingulis hebdomadis lectionem, quam Acroamaticam vocare licet, habeamus. Proponemus iis argumenta ſelecta, è quibus illud de PATAVINITATE LIVIANA, quod ad utramque noſtram Spartam ex æquo ſpectat, primum nunc producemus. Ejus prima lectio proximo Martis die hora IXa antemeridiana habebitur, quam reliquæ ſuis ſingulæ hebdomadis ſequentur. Ubi hoc argu-

mentum exhausimus, vel de *Meritis Germanorum in re literaria* dissertatio, vel *ἱστορούμενα Jurisprudentiæ Romanæ*, vel *de eo quod in disciplinis divinum est tractatio*, & plura alia illud excipient, quæ hic enumerare ambitiosum forte videri queat. Si denique continua ista & per plures lectiones deducenda argumenta defecerint, nunquam nos destituent singularia, ex historia civili, naturali, literaria, & omni philologia depromta: quorum elaborationi ut majorem operam impendimus, ita ad editionem aliquando procurandum seponemus. Vos modo honoratissimi Dnn. Auditores, quorum ego commoda unice respicio, id operam date, ut novos usque diligentiæ nostræ stimulos subjiciatis. Quod ad ordinarios nostros labores attinet, & quidem historicos, proximo die Jovis hora IXa publice *introductionem in Historiam* calamo excipiendam dabimus; privatis lectionibus ad historiam universalem, si Dn. Auditores ita velint, reversuri. In Oratoriis nova Rhetorices Elementa in tyronum non solum, sed & adultiorum gratiam concinnabimus. Nam cum libelli compendiarii, quos hactenus quidem vidimus, præcipua Rhetorices parte, enthymematum sc. inventione manci sint & mutili, & vero diffusi tum Aristotelis tum Cl. ejus interpretis *Schraderi*, qui præ cæteris diligentius in hac doctrina versatus est, commentarii pro usu juventutis prolixiores videantur, in compendium rem omnem contrahemus, ut hæc

hæc velut lineamenta habeant eloquentiæ tam civilis quam ſacræ cultores, ad quorum ductum orationis corpus efforment. Denique & figuras & quicquid ad ornatum orationis ſpectat in concinniorem ordinem redigemus. His lectionibus pomeridiana IIa deſtinata eſt, quarum initium proximo die Jovis fiet. Privatim, ubi lectiones de *amplificanda oratione* abſolverimus, Scholas *Oratorias Practicas* inſtituemus. Verum de his ipſi, quod viſum fuerit, ſtatuetis. De me omnia, quæ commodis veſtris, vel veſtro vel meo judicio, inſervire poterunt, exſpectare vos jubeo, Id ſaltem ſtrenue laborabo, ut vobis fidem operamque meam, quam maxime fieri poteſt, probem, & orbi literato, noſtrum hoc, qualecunque etiam fuerit, rem & veſtram & communem juvandi ſtudium innoteſcat. Dabam è Muſeo meo d. II. Septembr. Anno cIↄ Iↄc LXXXIII.

94.

TErtius jam annus eſt, ex quo reſpirare, depulſis à jugulo ſuo telis, Germania cœpit. Neque enim ignotum cuiquam eſt, aut unquam ex animo tantæ rei delebitur memoria, quam divino beneficio, adverſus barbarorum furorem, liberata Vindobona, vita, ſalus, libertas, Civium aſſerta ſit. Itaque poſtquam ſemel Deus nos reſpexerat,

eodem victoriarum cursu fortuna nostra processit. Perrupti illi obices, expugnata castella, fusi exercitus, ac Buda regia Hungariæ sedes sexies frustra tentata, septima hac & fatali quasi obsidione eodem quo Vienna die liberata est, expugnata in nostrorum manus pervenit. Ut vel ex eo appareat, nihil hic temere, vel sola virtute militari factum, quanquam hæc summa ac incredibilis fuit, sed fatorum occultis consiliis rem eo fuisse deductam. Erectus est totus, qua patet, orbis Christianus ad hoc εὐαγγέλιον, & ad se hos pertinere triumphos existimavit. Ubi non jubila & tripudia audita! Qui populorum, urbium plausu! Quam innoxiis ignibus lusitatum est! Quæ Deo immortali supplicationes decretæ! Quorum in gaudiorum societatem etiam Musas nostras admitti æqvum est. Excitavit hujus lætitiæ sensus eximium præstantissimique ingenii juvenem ANTONIUM BURCHARDUM, ut publici gaudii argumentum in ingenii & pulcherrimorum conatuum occasionem converterit; Nam cùm dies festus eam ob causam a Serenissimo Principe, Domino nostro clementissimo indiceretur, statim id cepit consilii, ut publicæ gratulationi ipse quoque accederet. Quare intra paucos dies orationem suo Marte concinnavit non solum, sed & memoriæ mandavit, quam die XVII. Septembris hora X. recitaturus est. Maluit enim properata pietate in recenti gaudio paulum ferventior, quam se-

ro

ro officio segnior & remissior videri. Quandoquidem ergo& publica hæc causa per se invitat, & præclari juvenum conatus favore omnium digni sunt; ideoque *Auditores omnium ordinum honoratissimos* ad publicam hanc panegyrin, præsentia sua cohonestandam, ea qua par est observantia invitamus. Aderit oranti chorus Musicus, qui gratis vicibus intervalla dicentis interpunget. Amant enim alterna Camœnæ, præcipue in tam illustri argumento, in quo non voce tantum dicentis aures impleri, sed & cantu numerisque mulceri, & ad lætitiæ sensum animi omnium impelli debent. Dab. è Museo meo d. XV. Sept. Anno clↄ Iↄc LXXXVI.

95.

CUm in Republica omnium consilia, opera, labores eo tendere debent, ut salus publica in tuto collocetur; tum id maxime opera danda est omnibus, ne ab Honesti via λεωφόρῳ ulla in re deflectant. Etsi enim mutuis utilitatibus sustinentur Societates, illæ tamen honestate tanquam spiritu & vita animari debent. Itaque quicquid Reipubl. bono sapimus, quicquid domi forisque agimus, id hoc charactere insignitum se ostendat. Jam olim in Stoicorum Scholis disputata hæc definitaque fuere: Quicquid honestum sit, id utile censeri, nec utile quicquam, quod

non honeſtum ſit, habendum eſſe. Adeo innexa illigataque hæc ſibi voluere Philoſophi, ut nulla ratione honeſtatem ab utilitate ſejungendam putarent, atque uno utramque nomine appellarent. Solet vero illud quod Honeſtum dicitur, quibusdam quaſi gradibus diſtingvi. Eſt enim aliud perfectum numerisque omnibus abſolutum, quod cum ipſa virtute pari gradu procedit: aliud vero commune ſeu populare, quod honeſti ſimilitudinem habet: & neutrum cum utilitate ita contendi debet, ut emolumentis noſtris ſit poſthabendum. Aliud vero in ambiguo poſitum ab utilitate interdum ſuperatur, vel eam ſequitur. Ideoque bene proſpiciendum eſt illis, qui ad Reip. clavum ſedent, ne prudentiam civilem alia quam honeſtatis lege definiant: tum vero demum utilitatis rationem ſectentur, cum vel obſcura vel fucata honeſtati ſpecies accedit. Multo minus audiendi ſunt cum pernicioſis ſententiis ſuis, illi qui nulla honeſtatis habita ratione, ſola utilitate omnia in Republica metiuntur, & ad hanc tanquam ad metam ſemper proſpectant, neque ullam niſi quæ cum utilitate conjuncta ſit, prudentiam eſſe arbitrantur. Hos docta oratione retundere conatus eſt Præſtantiſſimus optimæque ſpei Juvenis, MICHAEL HENNINGIUS WEDDERKOPFIUS, qui elegans hoc in exercitationem primam Academicam ſibi argumentum propoſuit: QUOD HONESTAS OPTIMA SIT PRUDENTIA. Quoni-

niam ergo die XXI. hujus menſis, hora X. illam publice orationem memoriterque recitaturus eſt, ad hanc panegyrin *Omnes omnium Ordinum Auditores honoratiſſimos* officioſe atque peramanter invitamus. Quos ſi ex voto faventes frequentesque Noſter ille nactus fuerit, de beneficio maximo ſibi gratulabitur, novosque ad majora ſtimulos ſibi addi ſentiet. Nos orationem doctis auribus non omnino indignam ſpondemus, ut non adeo male horam poſituri ſint, quam illi oranti indulſerint. Dab. è Muſeo meo d. XVI. Jan. Anno cIↄ Iↄc LXXXVII.

96.

CUm plures imperandi formæ ſint: nam vel unus; vel uno plures; aut multi populos regunt: diſputatum jam olim fuit, & nunc quoque disquiri ſolet: cui inter illas formas principatus debeatur. Nam ut plerique animati ſunt; ut ſuis vel cupiditatibus vel utilitatibus ducuntur: ita temere interdum cupideque decernunt. Quare inter tot diverſa hominum vota, quælibet illarum ab his laudabitur; ab illis culpabitur. Unius imperium antiquitate cætera vincit: nam ad Dei παντοκράτορος, ad Parentis familiam moderantis componere exemplum conſveverunt, qui decentius de humana natura ſentiunt. Illi enim vel humana divinis miſcen-

do è cœlo natales ejus arcessunt, vel saltem ordinis sui fines non egrediuntur. Qui nihil a se belluini alienum existimant, ovium boumque greges, cum suis pastoribus hic adducunt: quibus ad primatum ejus è natura stabiliendum

Venit & Upilio, & tardi venere bubulci.

Ac sane, cum barbari rudesque homines primum in ordinem redigendi sunt; cum fundanda imperia: omnia rectius unius, Heroica virtute præditi, imperio perficientur. Si difficultatibus extremis remedium quæritur; unus erit *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*, qui res lapsas restituat. Cum vero jam tum optimis institutis firmata est Respublica; cum opibus floret, civibusque rerum usu exercitatis: emancipari quasi gestit populus, & ad majorem vel libertatem vel æqualitatem adspirat. Quare, naturæ quodam instinctu, has imperiorum *ἀνακυκλώσεις* in Rebuspublicis observamus: ejusque insigne exemplum gens Romana ob oculos ponit. Pessum ivissent res Romanæ, nisi plurium prudentia iis nutantibus subvenisset: iique ipsi Rempublicam evertissent; nisi in imperii societatem etiam populus admissus fuisset. Cum & ab illis turbatum esset, omnia discordiis civilibus fessa in unius potestatem redierunt. Qua iterum subruta, cum alia ratione Roma non posset; affectato in animos homi-

minum per religionem imperio, etiamnum, veteris gloriæ umbram tuetur. Hanc ob caussam, quod rerum eæ vices essent, & motibus facile concuti posset: non unam imperii formam; sed illam, si monarchia esset, plurium; si aristocratia vel politia, unius imperio temperatam, ad diuturnitatem sapientes magistri commendarunt. In omnibus reipublicæ conversionibus, libertatem æqualitatemque semper cives sibi propositam habent, ad quam naturæ quodam impetu aguntur. Quare si illarum cum potentia æquilibritas quædam & ἰσονομία institui potest; recte se habere & firmo omnia talo stare videntur. Quem cum in Aristocratia & Politia finem præ cæteris obtineri posse multi existiment; cum in illis commercia, literas, artes florère videant, Respublicas (hoc enim nomine appellant) in cœlum laudibus extollunt. Illorum sententiam Nobilissimus Eximiusque Dn. JOHANNES ERNESTUS SCHRöDERUS Gedanensis, suo quoque calculo comprobavit: qui die Martis hora Xa orationem de *Magnificentia Rerumpublicarum* (ita enim ipse inscripsit) habiturus est. Nam cum in patria honesto loco natus, multarùm in Germania Belgioque Academiarum hospes, eruditionis suæ publicum edere specimen vellet: illud sibi delegit, quo erga Respublicas omnes affectum, erga Patriam pietatem suam ostenderet. Cum enim Respublicas generatim

ac

ac universe laudat; eodem penicillo, iisdem coloribus patriam depingit: quæ sub Serenissimi Polonorum Regis auspiciis, pleno liberarum Civitatum jure gaudet. Quid enim in illa urbe non magnificum est? quæ opibus, civibus, consiliis floret, & literarum gloria ad omne ævum duratura illustratur. Qua cum ille patria non indignum se civem præstet: nam & domi præclari Doctoris disciplina ad literas elegantiores formatus; & aliis quoque in Academiis, & in hac ipsa iisdem se totum studiis tradidit: dignissimum certe Musæ nostræ judicarunt, quem in cathedra Oratorem admitterent; quem ipsi, *Hospites omnium Ordinum honoratissimi*, de nobili argumento verba facientem libentes frequentesque audiretis. Quocirca omnes ea qua par est observantia studioque rogatos volumus: ut sua hanc panegyrin præsentia ornare ne dedignentur. Mutuis provocari ingenia officiis debent: Nam ut *stantes in curribus Æmiliani* spectatorum plausibus animantur: ita & hi ad eadem spatia & curricula conficienda illorum exemplo invitantur. Dabam è Museo meo. d. III. Aprilis Anno cIↄ Iↄc LXXXVII.

97.

ANnus jam abiit, ex quo de Regia urbe BUDA, felicissimis Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI auspiciis recuperata festum hic diem celebravimus; & nunc etiam hic annus nova memorabilis victoriæ gloria insignis, ut communes Orbis Christiani plausus tulit; ita & à Musis nostris solenne efflagitare officium videtur. Nullus scilicet sterilis nobis annus elabitur; sed ut messium, ita victoriarum labor in orbem redit, ac autumnos singulos novis semper triumphis auctos videmus. Quam divini Numinis admirabilem benignitatem qui non grato animo agnoscit, næ is ab omni non pia tantum, sed & bona mente derelictus &, qui lucem hanc & solem adspiciat, indignus est. Nam certe sublimioribus stimulis hic animos nostrorum concitatos, & terribiliore quam humana manu hostes impulsos, quis inficias iverit? præsertim cum paucæ nostrorum manus validissimas hostium copias, non vi tantum sed & dolis & machinationibus usas, non profligarint tantum, sed & ita retuderint, ut præter tristes imbellis turbæ reliquias nihil hostibus supersit, omni præterea apparatu bellico, omnibus castris, commeatu, gaza exutis. Atque ut divino hæc gesta impulsu appareat, conspirantibus quasi in idem temqus fatis navali & terrestri prælio à Venetis tota propemodum Peloponneso iidem hostes feliciter expulsi. Cu-

Cujus Victoriæ bono cum non illi tantum, qui pugnarunt, & quorum auspiciis pugnatum est; sed universa propemodum Europa, nosque ipsi fruamur: nam triumphorum illa gloria facile clandestinas aliorum molitiones exstinguit: etiam in Holsaticis Athenis lætantium voces exaudiri æqvum erat. Excitatus ergo laudabili conatu fuit Præstantissimus & Eximiæ spei Juvenis MICHAEL HENNINGIUS WEDDERKOPF, ut luculento aliquo specimine pietatem suam publice testaretur. Nam in laudem admirabilis hujus victoriæ orationem comptam & elaboratam d. XX. hora X. memoriter habiturus est. Ad quam panegyrin frequenti sua præsentia cohonestandam omnes omnium Ordinum Auditores honoratissimos ea, qua par est, observantia ac humanitate invitamus. Nam præterquam quod præclari juvenum conatus virorum doctorum favore sustentandi & in majus extollendi sint, ipsa hujus Victoriæ memoria per se excitare animos omnium debet, ut qui ante in publica fama plausus suos sponte ostenderint, nunc quoque nostra cohortatione impulsi in nostræ lætitiæ partem venire non dedignentur. Dabam è Museo meo d. XVIII. Septembris Anno cIɔ Iɔc LXXXVII.

98.

CUm Reipublicæ conſervandæ præcepta tradit optimus civilis prudentiæ magiſter Ariſtoteles, prudenter ille Reipubl. cuſtodes monet, ut ad τὰ μικρὰ animum advertant, ne quid detrimenti Respublica capiat, aut ejus compages, ubi in cumulum excreverint, labefactetur. Etſi enim Prætor modicum non curat, ut Jurisconſulti docent, curare tamen præ cæteris Reipublicæ moderatores debent, in qua errores etiam leves ſemper gravioribus viam ſternunt. Scilicet quemadmodum natura ita comparatum eſt, ut in corporum geneſi à minimis proceſſus ad maxima inſtituatur, ita & in eorum deſtructione à minimo, quod vix advertas, corruptionis ſemina ſe primum inſinuant, totam illam maſſam ſuo tempore, ubi vires ceperint, depopulatura. Athleticæ valetudinis corpora, ubi ſpiritus vitales vel parum veneni hauſerint, niſi ſalutaribus remediis excuſſeris, cum tempore proſternentur. Leviculo primum errore in calculo admiſſo, quicquid ſubduxeris erroneum erit. Animum ergo & oculos omnes in partes verſabit prudens præteriti & futuri temporis arbiter, Vir Civilis & Reipublicæ gubernaculis admotus, ut ex Architectonicæ artis regulis omnium rationem ineat, nihil curvum mutilumque in hac compage admittat: qui ſibi ſuæque arti dictum

pu-

putabit, quod de rerum genesi dixit Lucretius:

— *Ut in fabrica, si prava est regula prima,*
Normaque si fallax rectius regionibus exit;
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina atque absona tecta,
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Nam sane & in Republica, si quid pravum, distortum, nec satis aptum est, error errorem trudet, & varam vibia seqvetur, usque dum mole ruat sua, quod male junctum, & caducis parietibus superstructum est. Vidit hujus utilitatem argumenti Nobilissimus & Eximius Juvenis CHRISTIANUS ALBERTUS SCHMIED / Schlesvvicensis idque sibi præ cæteris elegit, in quo ingenii vires periclitaretur. Quoniam enim civilia sectatur studia, quibus aliquando Rempublicam ornaturus est, hoc sibi DE MINIMO IN REPUBLICA NON NEGLIGENDO Thema publica oratione pertractandum, è patentissimo illo campo seposuit. Quo labore cum pro ingenii sui viribus laudabiliter de-

defunctus ſit, perendie, die ſc. XX. Jan. hora X. in Auditorio publico orationem illam ex memoria recitabit, è minimis magna minaturus. His enim auſpiciis ingredi hoc iter maluit, in minimis primam quæſiturus laudem, ut majoribus cum tempore progreſſibus viam ſterneret, & Nobiliſſimæ ſuæ familiæ aliquando decori ac ornamento eſſet. Ad hanc ergo Orationem audiendam *Omnes omnium Ordinum Auditores honoratiſſimos* ea qua par eſt obſervantia & humanitate invitamus. Magnum ille beneficium interpretabitur, ſi frequenti præſentia hanc panegyrin ornaverint. Quod ut facere haud gravate velint, nos quoque omnes, magnum ipſi calcar, ad perſequenda ſtrenue, quæ egregie cœpit, favore ſuo addituros, diligentiſſime rogamus. Dab. KiloniI è Muſeo meo d. XVIII. Jan. Anno cIↃ IↃc LXXXVIII.

99.

CUm è Sophiſtarum ludo aliquando prodiret, qui Juſtitiam publica oratione celebraturus eſſet, objectum ipſi fuiſſe accepimus, acta illum agere, qui

Rem nulli obſcuram, neque noſtræ vocis egentem

commendatum iret, ſuaque pulchritudine, ſatis ornatam, panegyricis illuſtrare coloribus, atque adeo Soli facem accendere laboraret. Nec male quidem illi judicarunt, cum in illa hominum ſocietate vivere ſe crederent, quibus mens læva non eſſet, & quales Diogenes accenſa lucerna, in ipſo foro, Athenis quæſiverat. Quemadmodum ſcilicet parricidio pœnam nullam legislator ſtatuerat, ne atrociſſimi ſceleris ſuſpicio cuiquam ſuboriretur: ita illi ne laudandam quidem Juſtitiam exiſtimarunt, ne in diſputationis diſcrimen præſtantia ejus adduceretur. Ac ſane eo inſaniæ proceſſit nonnemo inter illos Sophiſtas, qui τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν gloriæ ſibi ducebant, ut Juſtitiam publica declamatione non ſolum ſtultitiæ convicio inſectaretur, ſed eam, ut Reip. noxiam, ex illa ejiciendam omnibus argumentis contenderet. Qui quidem ad illorum accedere Æthiopum inſaniam videtur, quos Solem orientem conviciis & maledictis proſcindere tradunt Hiſtorici: à quo tamen omnis vita noſtra, omnis frugum ubertas, velut inexhauſto fonte promanat. Neque deſunt hodie, ſi non facie, animo tamen nigri tenebriones, minime certe inter Lucis filios reponendi, quam ſplendididis etiam titulis populo imponant, qui quanquam profiteri publice non auſint, intus tamen & in cute cum Sophiſta illo ſentiant, omnique opere juratos ſe juſtitiæ hoſtes o-

ostendant. Non sustinent hujus Divæ splendorem Noctuæ, præ qua οὐθ' ἕσπερος οὐδ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός, quo illam elogio Aristoteles ornavit: sed potius cum Viro illo bono Horatiano, qui ubi clara voce Janum Patrem & Apollinem, audiente populo, vocaverat, tacitis tamen precibus Lavernam sibi faventem optarat, hæc apud se quotidie mussitant:

— — — pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da sanctum justumque videri,
Noctem peccatis ac fraudibus objice nubem.

Quare non immerito, jam dudum terris profugam & cœlo receptam Astræam fabulati sunt Poëtæ: &, ut nunc sunt tempora, quibus omnia pene vitia triumphant, mirum videri non debet, si, ut omnibus virtutibus, ita quoque Justitiæ de Patrono laborandum sit. Hujus se Divæ amore perculsum ostendit Generosus Juvenis, HENRICUS à BUCHWALD, Eques Holsatus, qui postquam studiorum, quæ hominem nobilem ornant, fundamenta prima illa ætate, quæ plurimis otio & socordia transit, feliciter jecerat, præcoci quidem, sed non immaturo ingenii partu, orationem de JUSTITIA *Felicitatis Civilis fundamento*, enixus est. Enimvero laudanda hæc est generosi Juvenis industria, qua

qua ille, velut primitiis quibusdam & auſpiciis, maturioris ætatis meſſes uberiores, magnas Generoſisſimi Domini Parentis ſpes, quaſi repræſentare videtur. Scilicet, ut Aquilinorum pullorum acies ad ſolis lucem exploratur: ita Noſter quoque ad Divæ Aſtrææ radios firmare ingenii aciem voluit, ut virtuti, quæ cœli filia eſt, Principum amaſia, nobiliſſimarum mentium Regina, maturè conſveſceret, eamque ſibi propitiaret. Nihil enim magis nobilem animum quam Juſtitiæ amor ornat, quo à plebeja ac in vitiorum ſordes abjecta humilitate, velut nota quadam gentilitia, ille ſejungitur. Quandoquidem ergo Orationem ſuam XXV. Febr. proximo ſc. Martis die, hora X. matutina, memoriter pronunciaturus eſt; ut frequentes adeſſe, ac benignas oranti aures præbere velint, *Hoſpites omnium Ordinum honoratisſimi*, eſt quod peramanter officioſeque rogamus. Excitandi optimorum Juvenum animi favore noſtro ſunt, ut ad ea, quæ reſtant, ſpatia alacrius conficienda, majus illis calcar addatur. Valete. Dab. è Muſeo meo. die XXIII. April. Anno cIↃ IↃc XC.

100.

EST illa animis hominum insita sciendi cupido, ut præsentium non tantum, & præteritorum cognitione pasci velint, sed & abdita ac à vulgari sensu remota, & futura velut indagine venentur, eorumque pernoscendorum ardore angantur & torqueantur. Quæ etsi quædam ingenii nostri intemperies dici potest; non tamen adeo reprehendenda est, aut illi in nobis igniculi restingvendi, modo non extra orbitam ferantur, aut eos invadant limites, quos humanæ intelligentiæ attingere fas non est. Neque enim ferenda est illorum improbitas, dicam an insania, qui ad rerum occultarum scientiam obtinendam

Flectere si nequeant superos, Acheronta movebunt,

& quasvis artes, quæ vel à profana superstitiosorum hominum industria excogitatæ, vel longa à malis geniis propagine derivatæ sunt, in subsidium adhibebunt. Quantus hic nonnullorum labor est, qui cœlum terræ, summa imis, sacra profanis, divina dæmoniacis miscent, ut aliquam rerum sibi negatarum notitiam alicunde extricent. Sunt qui ex astris de suis & aliorum fatis ratiocinantur, qui ab eorum configuratione spes metusque suos sus-

pendunt, & velut ex ſpecula quadam omnium rerum viciſſitudines ſe prævidere poſſe arbitrantur. A cœlo ad elementa procedunt oſtiatim per omnes naturæ tribus arcana ſua rimaturi. Jam ignem, lucem, aëra ſollicitant, plusquam Lyncea perſpicacitate illa deprehenſuri, & vel fumos ipſos, nebulas in pariete pictas, in ſpeculationum ſuarum conſilium adhibent. Alii ab aquis fluctuantibus ſibi certi quid pollicentur: terræ pulvere, per puncta impreſſa, rerum eventus deſignant. Omnes animalium claſſes hæc divinandi licentia pervagatur, ut & in viſcera eorum ſæviat, nec manes quietos patiatur. Nam vel aves, ut ſecretorum divinorum conſcias, vates illi explorant, vel in ſordidis animalium extis ſua arcana legunt, vel denique à mortuis ac pridem defunctis oracula exſpectant. Cæterarum, quæ ex omni propemodum re & inſtrumento capiuntur, divinationum genera, & fere infinita ſunt, quis recenſeat? E numeris, literis, nominibus, ſordibus, pelvi, cribro, cera, plantis, fructibus, ex ſexcentis aliis aliquid curioſuli iſti exſculpere ſibi videntur, quo iſtam ſciendi, ut ita dicam, ingluviem & orexin, quaſi furfuribus & carduis paſcant, nunquam ita ſaturandi, quin nova his βουλιμία excitetur. Verum relinquamus has delirantibus ingeniis ineptias. Non deſunt ſuæ quoque Sapientibus divinationes, quas illi animo per omnia ſcientiarum arcana

cir-

circumducto præcipiunt, & velut ex penu instructissima quasi quidam promicondi depromunt. Insunt quædam rebus, negotiis, actionibus τεκμήρια: sunt quidam hominibus, ratione ingenii, indolis, patriæ, fortunæ, conditionis, affectuum characteres, vulgo quidem non satis observati, sed qui prudentibus & rerum usu exercitatis statim in oculos incurrant, unde illi eventus & successus consiliorum colligant, & velut oracula quædam simplicioribus promulgent. Sed illa non quotidiana intelligentia & communi pervulgatoque vitæ usu comprehenduntur, at emunctioris naris homines requirunt, qui omnia etiam minima possint ἐξακανθίζειν, qui singula vestigiis odorantes ad ipsum tandem cubile persequantur. Fuit hæc Averrois sententia non solum, sed & Plotini; multarum scientiarum congestione ita intellectum humanum præparari posse, ut intelligentiis cœlestibus conjungi videatur; quod in senectute demum post diuturnas speculationes contingat. Et hi quidem suo per nos sensu abundent; non tamen omnino reprehendendi. Nam quo magis se fœculenta corporis & humorum mole liberat animus, præcipue in iis qui morti sunt vicini, toto illo sedimento suo, pravorum affectuum fomite in præceps acto & subjugato, accedente præterea continua θεωρίᾳ vel rerum usu, diviniore quasi luce circumfundi videtur, ut, quod de Geniis dicere solent

lent philoſophi, non per longinquas ratiocinationes, ſed quaſi per induitum omnia etiam abdita, longinqua, futura comprehendat. Et hac ſane, ni fallor ratione propius ſemper ad τὸ θεῖον, quod in omni ſapientiæ parte elucet accedimus. In rebus civilibus earumque prudentia tot ejus rei documenta ſunt, ut uberrima ejus argumenti, ſi quis falcem illi ſuam immittere velit, ſeges futura ſit. Quare laudandus maximopere eſt Eximius Præſtantiſſimusque Juvenis, BARTHOLOMÆUS, JOH. OTTO HANNEMANNUS, qui luculento de *Divinatione Civili* ſpecimine, Oratione ab ſe elaborata, ſuum in hoc argumento mihi ingenium & diligentiam probavit, & Parenti optimo, Collegæ noſtro honoratiſſimo, ſpes ampliſſimas oſtendit. Quam cum ille craſtino die, hora X. publice memoriter recitaturus ſit, *Omnes omnium Ordinum Hoſpites & Auditores honoratisſimos*, ut adeſſe frequentes velint, officioſiſſime rogatos volumus. Dabimus operam, ne in ingratos hoc collatum beneficium videatur. Valete. Dab. è Muſeo meo. d. XIX. Martii Anno cIↄ Iↄc XC.

101.

QVemadmodum non ita pridem JUSTITIAM in theatrum produxit, Generosus Juvenis, & in ea omnem Reipublicæ felicitatem sitam esse ostendit; ita nunc Germanus ejusdem frater, Generosus Juvenis CASPARUS à BUCHWALD, Eques Holsatus, Germanam Justitiæ sororem TEMPERANTIAM suis quoque coloribus depictam daturus, animi corporisque robur illa conservari, publica memoriterque recitanda oratione contendet. Pulcherrimas sibi uterque amasias, ut splendidis natalibus ortas, ita suis dignissimas elegerunt, quarum illi honorem & decus propugnarent, patrociniumque adversus belluas sub humana pellicula latitantes susciperent. Ac laudandi sane vel ideo honestissimi eorum conatus sunt, quod in juvenili ætate constituti, earum spectatores formarum audire malint, quæ non cum Venere è maris spuma ortæ, sed cœlo originem debent, ac potius quotidianas illas delirantis seculi formas ex animo delere assvescant, non tantum idonei Moralis Philosophiæ auditores, quos Juvenes esse negabat

Ariſtoteles, ſed & ejusdem & virtutum publici Præcones. Sunt ſcilicet gemini illi cardines, quibus Reipublicæ Sphæra volvitur, JUSTITIA & TEMPERANTIA, quæ ſibi virtutes iis ſunt innexæ vinculis, ut in conſervanda publica ſalute mutuas omnino operas jungant. Quemadmodum enim hæc providet, ne per cuniculos vel ψευδόθυρον irrepant hoſtes, pravæ cupiditates: ita illa domeſtico legum præſidio omnia munit & coërcet. Quod ſi temperantia bene partes ſuas egerit, parum quod agat, habebit Juſtitia, illius cuſtodia ab omni inſultu ſecura. Cum enim cupiditates malas Temperantia exſtirpat, fundum illa ſubtrahit, in quo radices figit injuſtitia: fomitem extingvit, unde incenduntur pravi affectus & flagitia, fontem illa obſtruit, unde

mille nocendi artes & fraudum nomina mille

nova ſemper ſucceſſione propullulant. Ubi corporis voluptates animique motus ſemel in ordinem redacti ſunt; nullis jam pœnis, vinculis, laqueis ad eos compeſcendos Juſtitia indigebit. Ubi vero affectus & libidines dominantur, luxu omnia diffluunt, avaritia

fe-

fervent pectora, fulcienda injustitiæ præsidio intemperantia est, ut novi semper cupiditatibus fomites subministrentur. Utinam vero surdo orbi non narrentur fabulæ! qui nunc quidem totus ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται, injustitiæ ac intemperantiæ quasi diluvio immersus. Quos enim non voluptatum ille torrens abripit? quæ non amplius pedissequæ sed duces naturæ sunt. Quis nunc vel de pago aut vico dixerit? quod de Romana Republica Tertullianus in Apologetico, nulla per sexcentos annos illic visa adulteria. Quis cum Curio rapis velit esse contentus, ut spernere Samnitum aurum possit? quis non omni potius, & quod non ostenderunt, auro emunctos ad raparum prandia dimitteret? Videmus multis servire ventri ingenium, qui spongiarum instar implentur ut depleantur, ac deplentur ut impleantur. At longe sapientius Spartani quæ sibi à Thasiis mittebantur, cupedias & varia potus genera, Plutarcho teste, in servos suos distribuerunt, servilibus ingeniis aptiores has gulæ delicias rati, quam liberis hominibus, voluptatum imperio non subjiciendis. Serviunt scilicet, & quidem nequissimam servitutem serviunt, quibuscunque etiam titulis ornentur,

tur, quacunque vel purpura vel toga vestiantur, qui cupiditatibus & voluptatibus se mancipарunt. Animam siccam sapientissimam Heraclitus olim dicebat, dixerim ego & justissimam: Nam non sapientiæ tantum, sed & Justitiæ mater Temperantia est. Non male dixerim etiam Pietatis: neque enim frustra Sanctissimus Salvator τὴν σωφροσύνην nobis commendat, scil. ne nos minus paratos & ad pietatem minus intentos decretorius ille dies deprehendat. Nulla denique Reipublicæ pars est, nullus ordo, qui non temperantia fulciatur, & quasi nervis quibusdam solidetur. Nam quemadmodum in uno illa homine vigorem, vivacitatem, ingenii subtilitatem, sedatos mores generat: ita in universæ Reipublicæ corpore singulorum hominum cumulata illa virtus ad Reipublicæ felicitatem conspirat. Quid? quod nec ab ipsa militia, in qua tamen per vim pleraque agi consveverunt, omniaque in omnes licere multi existimant, abesse temperantia potest, sed præcipuus illi locus relinquendus est, etiam in hostili solo. Quam ob causam inter eximias Pompeji, felicissimi Imperatoris, virtutes, nihil adeo extollit Tullius, quam illam morum innocentiam,

am, temperantiam, continentiam, quod *non avaritia ad prædam, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem illum revocarit: quod signa, tabulas atque ornamenta, quæ alii tollenda arbitrabantur, ille ne visenda quidem sibi existimarit.* Quo factum est, ut bellum piraticum, quod tot annis tot Imperatores fatigaverat, ille ineunte vere susceptum, media æstate confecerit; ut provinciæ & socii velut è cœlo delapsum intuerentur, hostes vero tanti viri virtutibus ultro se submitterent. Verum cum tota in hoc argumento versetur *Generosi Juvenis* oratio, nolo vos morari amplius, aut paulo intemperantius de Temperantiæ laudibus præfari. Quare ut X. April. proximo scilicet Jovis die, hora X. frequentes oranti adesse, vestraque illum excitare benevolentia velitis, *omnium Ordinum Hospites & Auditores Honoratissimi*, peramanter officioseque rogatos volo. Vos certe, o Juvenes Nobilissimi huic causæ quam maxime favere æqvum est: quibus inter Musas & Charites, hæc quoque Diva Σωφρoσύνη dulcis illa ingeniorum nutricula, Bonæque mentis soror & comes omni affectu ita colenda est, ut omni-

omnia voluptatum & cupiditatum irritamenta, tanquam Circes veneficia, Sirenum cantus, ſcopulos & præcipitia vobis fugienda exiſtimetis. Valete. Dabam è Muſeo meo. die VI. April. Anno

cIↄ Iↄc XC.

F I N I S.






